UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00680590 7



I. Frey inv. et del. Michael Sorello ſcul. Romę

Christo confixus sum Cruci.

Viuo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. ad Gal. 2.

BULLARIUM
Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci
CAPUCINORUM

SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Reſcriptorum
Oraculorum &c. quæ â Sede Apoſtolica
pro Ordine Capucino emanârunt

JUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS

BONAVENTURÆ A FERRARIA

Sac. Palatii Apoſtolici Concionatoris, Epiſcoporum Examinatoris, Sacrarum
Congreg. Rituum, & Romanæ ac univerſalis Inquiſitionis Conſultoris,
necnon totius memorati Ordinis Ministri Generalis
nunc verò Archiepiſcopi Ferrarienſis.

Variis notis, & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAELE A TUGIO IN HELVETIA

*Ejuſdem Ordinis Concionatore, Sacræ Theologiæ ex-Lectore, ac pro
Natione Germanica Secretario Generali.*

Tomus Primus.

Complectens Bullas, Brevia, Decreta &c. Ordinem
Capucinum generaliter concernentia.

ROMÆ, MDCCXL.

Typis Joannis Zempel Austriaci prope Montem Jordanum.
SUPERIORUM FACULTATE.

BX
3104
A2
1740
t.1

LIBRARY
AUG 19 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

DIVO FRANCISCO ASSISIATI
NON NISI IN CRUCE
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI GLORIANTI.

AD Aras tuas, Beatiſſime PATER, appendo in homagium, Diplomatici Operis mei primitias, eaſque jure Tibi nuncupo, cum ſint collectæ pro tuâ Prole, pro Ordine Capucino. Habet quidem Hic pro ſuæ perfectionis baſi â Te Regulam, Bullâ Sanguinis, & Amoris in Monte Alverniæ firmatam, quinque Sacrorum Stigmatum Sigillis munitam, & ita Evangelicam, ut, ex Divi Vincentii Ferrerii Oraculo (a), qui illam ſervat, Sanctus ſit, & quando moritur, poſſet canonizari, *nihilominus, poſtquam, qui prius* erant numero brevi Filii tui, & pauciſſimi incolæ Sodalitii tui, repleverunt faciem orbis terræ (b), *iis, vel ad tutamen, vel ad legem, vel ad privilegium neceſſaria fuére Apoſtolica Monumenta. Horum compilationem Tibi acceptam fore eò minus*

(a) *Serm. de S. Franciſco.*

(b) *Iſ.* 60. 12.

ambigere licet, quò magis in ea Providentia Eccleſiæ erga Ordinem Capucinum & Obedientia Ordinis Capucini erga Eccleſiam miro reſplendent commercio.

Reſplendet in ea erga Ord. Capucinum Providentia Eccleſiæ, dum hæc memor Viſionis, in qua Baſilicam Lateranenſem, ad caſum hiſcentem, ceu novus Atlas ſuſtentâſti, Eccleſiam tuam ſeu Ordinem, reciprocè copioſis gratiis, favoribus, & privilegiis contra omnem lapſum ſolidavit, & ſolidare non ceſſat.

Reſplendet in illa Obedientia Ordinis erga Eccleſiam, dum, quæ ab hac in legem ſancita fuerunt, ab Illo in Opus publicum congeruntur, ut facilior & exactior reddatur eorum obſervantia, & ex hac compleatur Obedientia, quam in Ordine tuo, erga viſibile Eccleſiæ Caput, Summum Pontificem, expreſſo Regulæ præcepto voluiſti peculiarem.

Accipe proin FRANCISCE in Anathema, Opus, quod nomini tuo Sacratur, & qui plagatus in Domo Dei *factus es* ſignaculum divinæ ſimilitudinis, *Signaculo tui beneplaciti illud obſigna.*

Accipe IGNITE CHERUB munus, quod offertur, & vibratâ in illud amoris tui ſcintillâ, eleva illud in Ordinis Capucini ſplendorem, & gloriam.

Accipe PATER Librum, & cum Libro Me, jure mancipatûs, & Filiationis Tuum, & inter Tuos Minores

Minimum, & Indigniſſimum Filium
Fr. Michaelem Tugienſem Capucinum.

APPRO-

APPROBATIO.

TOMUM primum Bullarii Ordinis noſtri, â P. F. Michaele â Tugio in Helvetia, ejuſdem Ordinis Concionatore, Sac. Theologiæ ex-Lectore, ac pro Natione Germanica Secretario Generali, compilati, ac diverſis Notis, & Scholiis elucubrati, â Nobis reviſum, vigore præſentium approbamus, &, ut ſervatis ſervandis typis mandetur, concedimus. Datum Romæ 1. Novembris 1739.

L. ✠ S.

F. BONAVENTURA A' FERRARIA Miniſter Generalis approbat.
F. Petrus Maria â Luca Procurator Generalis.
F. Juſtinus Bitterenſis Deffinitor Generalis.
F. Bernardinus â Sancto Angelo Deffinitor Generalis, & ex-Vicarius Generalis.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Ph. Spada Arch. Theodoſiæ Viceſgerens.

APPROBATIO.

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, perlegi primum Tomum Bullarii, Sacri Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, in quo præter Bullas, Seraphicam hanc Familiam in communi concernentes, variis notis dilucidatas, Tractatum ad rem Diplomaticam Iſagogicum exhibet Admodum Reverendus, Doctiſſimus, ac Religioſiſſimus Pater, Fr. Michael Tugienſis, Ordinis Minorum Capucinorum in Provincia Helvetica profeſſus, SS. Theologiæ ex-Lector, & Reverendiſſimi Patris Generalis Secretarius. Cumque in eo nihil omnino orthodoxæ Fidei dogmatibus, Sacratiorumque morum regulis, vel Canonum decretis adverſum offenderim, quin imò totum Opus â methodo, eruditione, ac induſtria plurimum commendabile, ad hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrationem utiliſſimum, atque pro diſciplinæ, & obſervantiæ regularis cuſtodia accomodatiſſimum repererim, ut ex Archivi tenebris, quæ Reipublicæ profuère nunquam, in commune obſequium publicæ per typum luci, ac immortalitati donetur, digniſſimum cenſeo, qui ſubſcribor.

Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam, hac die 26. Maii 1740.

Fr. Dominicus Gentis Ordinis Prædicatorum, SS. Theologiæ Magiſter, ejuſdem in univerſitate Colonienſi Doctor, ac Collegii Caſanatenſis de Urbe Theologus, pro Natione Germanica, manu propria.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Sac. Palatii Apoſt. Mag. Ord. Prædicatorum.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

APoſtolicorum Monumentorum copiam à Sancta Sede pro Ordine noſtro ſucceſſive emanâſſe, ex ſpectato hujus ſtatu, nemo non poteſt conjectare, ea tamen in Provinciis deficere, ex vario queſtu multifariam eſt compertum. Inde, ſicut olim egeſtate panis preſſæ Provinciæ Iſraëlis in Ægyptum, providè collecto frumento abundantem, ſeceſsêre, *ut* (a) *emerent eſcas, & malum inopiæ temperarent*, ita & Ordinis noſtri Provincias, quæ ſe hujuſmodi Monumentis orbas conſpexerant, Romam confugere oportuit, ut tam ex Archivo Generali Ordinis, quàm ex Tabulariis Vaticanis, ipſis de illorum communione provideretur, *malumque inopiæ* Apoſtolico ſubſidio *temperaretur*.

(a) Gen. 41

Rm̃us P. Bonaventura â Ferraria, Miniſter Generalis Ordinis, cum Rm̃o Definitorio Generali æquè communi Religionis decori, ac particulari Provinciarum utilitati, aſſiduâ curâ intentus, bonum opus deſiderari, ex una parte dignoſcens, & ex altera non levia ex continuata hujuſmodi participatione incommoda perſpiciens, myſterio illius à S. P. Franciſco habitæ Viſionis inhæſit, &, ſicut olim Sanctus Pater, dum ſe micas panum ſubtiliſſimas colligere, haſque præ tenuitate è manibus excidere ſibi videretur, cœleſti voce fuit monitus, *ut unam de micis omnibus Hoſtiam faceret, & Fratribus manducare volentibus tribueret*: Haud aliter fatus Rm̃us P. Generalis, cum micas Apoſtolicorum Documentorum laborioſè collectas, & diſiunctim Provinciis communicatas novo jacturæ, & diſtractionis periculo expoſitas fore reminiſceretur, conſultum cenſuit, ut fieret Hoſtia una, ſeu *Bullarium*, quod publico typo impreſſum indigis Provinciis ad omnis caſûs ſubſidium diſpenſaretur.

Ardua hujus collectionis provincia dum mihi fuit demandata, quantùm de ratione operis lætabar, tantùm de præviſa difficultatum mole deiiciebar: Bilanci tamen cogitatui pondus non leve adiecit Sancta Obedientia, quæ, ut operi accingerer, vires pollicebatur & ſuppetias. Has & illicò in Encyclicis

clicis Generalibus, per quas â RR. PP. Provinciarum Superioribus, Documentorum in Archivis Generalibus aſſervatorum Indices, ſeu exemplaria ad almam Urbem mittenda expetebantur, reales inveni; Cum tamen magnæ ſpei parcus correſponderet effectus, magno expenſarum diſpendio plura ex Archivis Vaticanis, & Secretioribus Scriniis debebant extrahi, ut Opus (exceptis Decretis, Officium Divinum concernentibus, & ex induſtria ob facilem eorum mutationem ut plurimum omiſſis) evaderet completum.

Præponitur operi titulus *Bullarii*, non, quod Bullas Apoſtolicas duntaxat complectatur, ſed, quod inter ea, ex quibus conflatur, Bullæ nobiliorem conſtituant partem. Æmulari volui circa hoc illorum exemplum, qui ſuas Bullarum, Brevium &c. Compilationes, Bullarii denominatione decorant, regulæ Philoſophicæ inſiſtentes: *à nobiliore parte aliquando fit denominatio*.

Addita ſunt in calce quorundam Documentorum Scholia, ſeu Notæ, Rerum, & Virorum: Rerum, ut per illas hæ dubiæ explicentur, vel mutatæ indicentur, vel additione cohærentium Monumentorum magis ſolidentur. Virorum, ut præclara Eorum merita ab oblivionis dedecore vindicentur, & ex commendata Illorum virtute poſteri animentur ad glorioſam hujus imitationem. Hæ & illæ ex peculiari ſtudio, & cautela ita formatæ ſunt, ut nemini ulla offenſionis occaſio ſuppeditetur: ſuntque potiſſimùm Laconicæ, cum in Verbo abbreviato, ſcopo meo ſatisfactum autumarem, & alieno muneri me immiſcere noluerim. Utque illæ clariùs paterent, Aſteriſci aliquoties, & ita appoſiti ſunt, ut Aſteriſcus in Conſtitutione ſimplex, Aſteriſcum ſimplicem in Nota, & geminatus in Conſtitutione, geminatum in Nota, relativè vocet. Si dein nec Notas rerum, nec Virorum inveniri occurrat, eas non prætermiſſas, ſed plures earum ad alios Operis Tomos remiſſas eſſe ſcito.

In Notarum ſtylo durum aliquando, & obſcurum me reperies; nec mirare, fui talis ex ſtudioſo conatu: durus, ut eſſem in tranſcriptione fidelis; obſcurus, ut eſſem cautè clarus. Ex hac ipſa ratione in Ortographia receſſi ab uſu illorum, qui, cum diverſitatem verborum hauriant ex ſenſu, accentus tam acutos, graves, quam circumflexos prætermittunt, & econtra eorum leges potiſſimum ſum ſecutus, qui accentibus, ceu *Verborum anima* æquivoca diſcernunt, & ſunt inter Nationes potiores.

Zoilum

Zoilum â Fratribus exſpecto nullum , cum omnes ab æmulationis vitio puros teneam , & omnes graviſſimo judicio, & ſenſui Reverendiſſimæ Definitionis generalis , quæ præviè & morosè facto examine hoc , vel illud poni , hoc vel illud omitti ordinavit , cujuſque rationes ſcrutari humilis Subditus renuit, modeſtè acceſſuros eſſe ſupponam . Si alicui tamen opus minus arridere contingeret , illius meminiſſe ex D. Hieronymo eum cupio : *Laborem meum nemo cogitur legere , qui non vult : ego petentibus ſcribo , non faſtidioſis , gratis , non invidis , ſtudioſis , non obſcitantibus* .

Zoilum alium non timere debeo , aliàs nec ad lineæ tractum manum movere debuiſſem , cum ea ſemper viguerit criticandi libido , ut præclariſſimi temporum Viri , quorum verba , ceu Oracula , Sententiæ quaſi Decreta æſtimabantur , ab ea non fuerint liberi , ita quidem , ut B. Pamphilus Martyr *Satius cenſuerit , nihil unquam in lucem mittere quàm tot ferientium aculeos pati , tot mordentium dentes ferre* . Huic timido judicio tamen morem geri , non convênit , ne , cum criſis , quæ usûs eſt , timeretur , bonum , quod ex Bullarii typò S. Ordini adnaſci præviſum eſt , negligeretur . Ubi tamen aliqua æqua cenſura digna reperire erit , Lectorem amicum quemcunque rogo , ut , infirmitati meæ compatiens , me docilem de errore inſtruat , in aliis Operis tomis facilè corrigendo . Fratres autem obſecro , ut me ad confectionem ſecundi Tomi properantem , orationibus ſuis coadiuvent .

ISAGOGE

AD UNIVERSUM BULLARII OPUS

Continens Succinctam Pontificiarum Bullarum, Brevium &c.

DESCRIPTIONEM.

EA eſt rei Diplomaticæ abſtruſa materia, ut, qui illius regulas, ſeu leges non bene callet, in errorem facilè dilabatur. Derivat obſcuritas tam â formalitatum copia, quàm ab earum mutatione; ſancivit illam cura legalitatis, iſtam cautela doli ſuggeſſit. Plurimùm tamen & Ariadnico calamo applanârunt labyrinthum eruditi Viri, qui materiam hanc, vel ex profeſſo, vel incidenter tractârunt. Inter primos commemoro Emum Card. Vincentium Petram *in præmialibus ſuorum Commentariorum ad Conſtitutiones Apoſtolicas*, R. P. Joannem Mabillonium, Ord. S. Benedicti, Congregationis Sancti Mauri in Galliis *in ſuo Tractatu de re Diplomatica*, R. P. Antoninum Bremond Ordinis PP. Prædicatorum, S. Theologiæ Magiſtrum *in præfatione ad Bullarium ſui Ordinis &c.* Inter ſecundos recenſeo Eminentiſſimum Cardinalem Joannem Baptiſtam de Luca *in ſua relatione Curiæ Romanæ*, Petrum Rebuffum Jurium Doctorem *in ſua praxi beneficiorum*, Emanuelem Gonzalez Tellez *in Commentariis Decretalium*, Thomam Stubbium, Corradum, Ciampinum, & alios. Inde & horum, & illorum præambulâ doctrinâ, ceu face, in hac introductione utar, non, ut materiam coacervatione reddam prolixiorem, ſed, ut illam ab iis fusè deductam, & criticè ventilatam, in Enchiridion reducam, quin tamen ex brevitate quid intelligentiæ ſubtrahatur eorum, quæ lectionem, vel ex materiæ neceſſitate utilem, vel ex illius raritate conficiant amænam. Reſtringitur autem hoc prœmium ad Bullarum, & Brevium Apoſtolicarum Categoriam duntaxat, ne ab excurſu in totum introductionis ſyſtema, Tomus difformiter turgeſcat: hinc ea, quæ Decreta SS. Congregationum, vivæ vocis Oracula, Reſcripta &c. concernunt, ad ſecundi Tomi veſtibulum cum Curiæ Romanæ Epitome aſſervantur.

Bullæ cum in hac materia partem conſtituant nobiliorem, & opus ab iis, uti in Præfatione dictum eſt, titulum mutuet, telam quoque ab iis exordior, pro majore claritate, & ordine in caput, & ſectiones dividendam.

CAPUT PRIMUM
De Bullis Apoſtolicis.
SECTIO I.
De Etymologia, & origine Bullarum.

BUllam diverſos ſortiri ſenſus ex Sacræ, & profanæ antiquitatis memoria patet.

Conſiderata in ſenſu analogico, ſignificat tumorem excreſcentem, qualis videtur in aqua v. g. per fiſtulam rarefacta, & in globum, ſeu protuberantiam ſphœricam tumefacta.

Sumpta in ſenſu hiſtorico, denotavit olim honoris inſigne, conſiſtens in theca linea in tumorem elata, figuram cordis exprimens, remedia contra invidiam continens &c. â Romanis, vel victoribus in fortiter geſtorum prœmium, vel aliis in fortiter gerendorum ſtimulum appenſum. Tali ex auro confecta, uti Cardinalis Petra (*a*) recenſet, inſignivit in prœmium Tarquinius Priſcus ſuum Nepotem, dum in pugna, Sabinos inter & Romanos inita, ſingularis fortitudinis ſpecimina dedit. Aliis ad collum in ſtimulum fuit appenſum, quatenus illud *inſpicientes*, prout ex Macrobio in Saturnal. Rebuffus (*b*) memorat, *ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent*.

(a) *In prœm.com. ad Conſtit. Apoſt. fol. mibi* 3.

(b) *In praxi benefic. fol. mibi* 311.

Spectata in ſenſu morali caducitatem vitæ humanæ innuit, quæ, ſicut aqua in tumorem verſa, vix viſa evaneſcit, & velut Bullæ umbra pertranſit.

Accepta in ſenſu Curiali, & prout fini meo proximius accedit, eſt Litera, Diploma, ſeu Scriptura ſigillo munita: Bulla dicta, per metaphoram â tumore, quem vel impreſſio, vel appenſio ſigilli cauſat, unde Perſeus ait: *Non equidem hoc ſtudeo Bullatis, ut mihi nugis pagina turgeſcat*. Quo in generico ſenſu litera ſigillo munita, & litera Bullata ſynonimicè conveniunt.

Origi-

Originem literas bullandi ſicut antiquam eſſe, omnes aſſeverant, ita eas appoſitione, vel impreſſione annuli, olim ſigillatas fuiſſe concordant, datque talis praxeos documentum Sacra Scriptura, Eſther 8. ubi dicitur: *Scribite ergo Judæis, ſicut vobis placet ex Regis nomine, ſignantes literas annullo meo*. A Jezabele quoque literas, quibus Nabothum injuſtæ mortis victimam deſtinaverat, obſignatas fuiſſe annulo, 3. Reg. cap. 21. legimus: *Scripſit itaque literas ex nomine Achab & ſignavit eas annulo ejus*. Ut autem vel diplomatibus accreſceret fides, vel falſariorum temeritas cautiùs compeſceretur, vel Sigilla contra temporis injuriam ſervarentur, uſus invaluit, ut hæc auro, vel plumbo inſculpta, Scripturis filo lineo appenderentur. Videturque, quod Neronis tempore hæc cautela inceperit, cum Briſſon (*c*) ex Svetonio in Neron. c. 17. ſcribat: *Adverſus falſarios tunc primum repertum, ne tabulæ, niſi pertuſæ, ac ter lino per foramen trajecto obſignarentur*. Uſurpabatur poſtea ad talia Sigilla pendula â poſteris Imperatoribus, & Regibus diverſa materia; aliquando enim ex cera, aliquando ex plumbo, aliquando ex auro (prout infra in ſectione de Sigillo fuſiùs diſſeretur) ea confecta fuiſſe docemur.

(c) *De formulis* c. 6.

Morem talem aſſumpsêre & Summi Pontifices; ne tamen cum cera Sigillum diffluere contingeret, vel ex auro illius ſubtrahendi anſa præberetur, Sigillo plumbeo Diplomata ſua communius communiri curârunt, præſertim, dum horum copia quaſi degeneraret ad exceſſum. Durat adhuc uſus Sigilli aurei, & plumbei pro Bullis, Sigillum autem cereum Brevibus duntaxat imprimitur. Inde Bulla Pontificia ſpecificè ſumpta, & prout ab omni alio Diplomate diſtinguitur, *eſt Litera Pontificia in membrana exarata, Sigillo Apoſtolico orbiculari ex auro, vel plumbo confecto, & cum cordulis eidem appenſo ſignata, ſeu munita*.

Perperam proin extra Italiam vulgus ſine diſcrimine Bullam vocat, quidquid in genere Scripturæ à Curia Vaticana recipit, cujus erroris nec ſe immunem fuiſſe confitetur eruditus Papebrochius, dum ait, *neceſſe habeo excuſare, nomine Bullæ indifferenter, & more vulgi uſus ſum in Decretis, Reſcriptiſque Pontificiis appellandis*.

Jam verò, ut Bulla Pontificia ita definita legalis cenſeatur, plenamque in Curiis ſibi conciliet fidem, oportet, ut præſcriptas complectatur formalitates, cum juxta Rebuffum, ſi non ſit perfecta, non ſubſiſtat.

SECTIO II.

De Bullarum materia.

MEmbrana pellicea, ſeu pergamena, talis defacto eſſe debet, ad differentiam Signaturæ, quæ in papyro ſcribitur; Et quamvis vetuſta Bullarum exempla, tam in Archivo Aretino, quàm in illo Caſtri S. Angeli, in papyro ex frutice confecta aſſervari teſtetur Dominicus Raynaldus, olim Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos, nihilominus Bulla legalis jam non cenſeretur, quæ foret in charta, vel papyro exarata, citatque (*d*) Cardinalis Petra deciſionem Rotæ, qua Bulla vitioſa judicata fuit, quod non in pergamena, ſed charta fuerit ſcripta.

(d) *In prœm.com. fol. mihi* 33.

Eſt autem experientia docente, membrana ſemper rudis, ad nigredinem deflectens, & juxta Rebuffi opinionem groſſa, ut facile raſuras admittat, & melius cancellari poſſint aliquando ex incuria irrepentes calami errores. Nec debet lineis aptari ab blandiorem characteris formam, cum & hæc debeat eſſe inculta, prout dicet.

SECTIO III.

De Bullarum Charactere.

COncordat hic membranæ, eſtque quoad apparentiam difformis, hinc, ſi in tranſumptis errores deprehendantur, ſicuti multifarii deprehenſi ſunt â me, nemo miretur. Gotticus tamen, ſeu, uti alii dicunt, Gallicus eſt, & quidem juxta ſenſum Cardinalis de Luca, (*e*) *quia in Gallia tempore, quo Sedes Apoſtolica reſidentiam habebat in Civitate Avenionenſi, magis practicari cœperunt reſervationes, & affectiones Apoſtolicæ Beneficiorum cum expeditione Bullarum &c.*

(e) *De Relatione Cur.Rom. fol. mihi* 244.

SECTIO IV.

De Bullarum Idiomate.

EX linguæ humanæ confuſione, qua Deus Babelicæ turris ædificatores, eorumque temeram ſuperbiam punivit, tres linguas, Hæbraicam ſcilicet, Græcam, & Latinam, ceu aliarum

rum

rum Matrices & primigenias, & in titulo Sanctiſſimæ Crucis expreſſas, pullulâſſe communiter compertum eſt. Harum ultima, Romana Curia tam *ob ejus potiorem in Latio, ſeu Romano diſtrictu originem, tam ob ejus è Latio ad exteras Regiones propaginem, tam ob ejus ingeniam præſtantiam*, in diplomatibus uſa ſemper eſt, & utitur adhuc.

Dico primo *ob ejus in Latio potiorem originem*, cum enim â tempore D. Petri Summi Pontifices in ſinu Latii, ſeu Urbe Romana Sedem ſuam collocaverint, leges in lingua Materna, quam latinam fuiſſe gloſſa notat, concipi debebant, *ne quis (f) cauſari poſſet ignorantiam literarum*, ac aliàs populus nunquam poſſit obligari ad incognita, nam ex D. Pauli effato, *ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum, ita & vos per linguam, niſi manifeſtum ſermonem dederitis quomodo ſcietur id, quod dicatur?* Hinc & in Regnis & Rebuſpublicis Pragmaticas ſanctiones, Leges, Edicta &c. in loquela materna evulgari, experientia teſtatur.

(f) *In verbo voce §. alienandis auth. de non alienandis.*

Dico ſecundo; *ob ejus ex Latio ad exteras regiones propaginem*, ita velocem, ut Plutarchus ſuo jam tempore in Platonicis quæſtionibus dicat, *ſermone Romanorum univerſi fere mortales nunc utuntur*. Quapropter cum Diplomata Pontificia, plerumque leges, quæ totius orbis Nationes afficiebant, continerent, aliaſque, ut unum, idemque Diploma omnium Nationum complecteretur idioma, fieri non potuerit, linguam latinam, ceu communiorem, in illius expeditione adhiberi neceſſe fuit, & adhuc neceſſe eſt, præſertim, cum lingua Hæbraica moderno tempore apud paucos, Græca verò apud eruditos quaſi duntaxat floreſcat.

Dico tertio; *ob ingeniam linguæ latinæ præſtantiam*: latet enim ſingularis in illa verborum Majeſtas, expreſſio & nervus, ut etiam in Conciliis, quibus Græci intererant, linguæ latinæ data fuerit præeminentia, nam teſte Pignatellio (g) *Marcianus Imperator in Synodo Chalcedonenſi verba faciens, primò latinè, deinde græcè eſt locutus*. Et ex Actis Concilii Epheſini refertur, morem olim in Conciliis ſervari ſolitum fuiſſe, ut Romani Pontificis Legati, Literas Papæ latinè recitarent, & non niſi rogati à conſeſſu Patrum, eaſdem græcè verſas legerent, inde & Eccleſia ordinavit, ut Miſſa potiſſimum in lingua latina, excluſâ vernaculâ, diceretur; ut ritus Eccleſiaſtici in eadem præſcriberentur; imò verſionem Sacræ Scripturæ latinam duntaxat approbavit. Uſui, & ſenſui Eccleſiæ, Capita hujus viſibi-

(g) *Tom. 2. conſult. 16. fol. mihi 114.*

viſibilia, Summi Pontifices ſeſe conformantes, linguam latinam in Bullis adhibent, ſolumque lingua vulgari in Chirographis, actibus judicialibus &c. ſeu lingua Græca in Bullis, Orientalem Eccleſiam duntaxat afficientibus, juxta Cardinales de Luca, & Petram utuntur. Hinc & ultimo nominatus Eminentiſſimus cum Corrado (h) loco citato concludit, quod, ſi in Bulla univerſali non ſervaretur idioma latinum, hæc deberet teneri ſuſpecta; ubi tamen adiungit, *ſi conſtaret de voluntate Papæ, nulla cadit difficultas, ut obligaret, quia in hoc nulla adeſt lex contraria, & quatenus adeſſet, ſubjiceretur diſpoſitioni Pontificiæ, ſed, quia non ſupponitur Papam receſſiſſe à Stylo, ideo ille conſulendus, vel certò videndum de legalitate, vel voluntate.*

(h) *In prax. diſpenſ. l. 2. c. 8. n.* 49.

SECTIO V.

De nomine Papæ, quod Bullis præponitur.

INcipiunt Bullæ â nomine, quod Papa in ſua aſſumit creatione. Pro quo ſciendum eſt, quod illico, ac ad Apoſtolici Principatûs Solium eſt electus, præhabitum nomen deponat, ac in aliud ſibi immutet. Electo, olim nomen ab aliis fuiſſe impoſitum, innuunt Chronica Caſin. lib. 3. c. 66. dum de Deſiderio, S. Cæciliæ Cardinali, & Caſinenſe Abbate in Papam electo dicunt: *Victoris ei nomen imponunt*, & juxta Platinam Primiſcrinii, id eſt, Protonotarii illud imponere ſolebant: hinc de Paſchale II. loquens ait; *Cui poſtea Primiſcrinii, Scribæ Regionarii Paſchalis nomen indidêre*. Jam verò ab ipſo Electo novum nomen ſibi imponi, Emus Card. Petra (i), ex ratione, quod nominis impoſitio ad ſuperiorem pertineat, affirmat. Autumant alii hujus uſûs auctorem Sergium II., alii Adrianum III., alii Joannem XII. &c. altefatus autem Eminentiſſimus Sergium IV. illum fuiſſe *probabiliter* loco citato cenſet, creditque, quod, cum ille Petrus vocaretur, prærogativam hujus nominis cum Divo Petro quaſi partiri noluerit, præſertim, cum illud Ei immediatè â Chriſto, tam in oſtenſionem ſuæ dignitatis, ad quam fuerat ſublimatus, quàm in ſignum ſoliditatis, qua Eccleſia ſuper ipſum, ſeu *Petram* debebat ædificari, impoſitum fuiſſe reminiſceretur; inde dimiſſo ex reverentia Petri nomine, Sergium ſe appellari voluerit. Quantumque hæc ratio devota pareat, ei tamen contradicit Macri (l) dum Sergii IV. Anteceſſores Silve-

(i) *Tom.* 2. *Com. fol. mihi* 100.

(l) *In Hierolexic. verb. Papa fol. mihi* 422.

Silveſtrum II., & Gregorium V. uſum mutandi nomen induxiſſe, poſitivè aſſeverat. Inde inter incerta dum hîc verſor, in ſenſu ſuo quemlibet abundantem relinquo, & dum uſûs auctorem individualiter, & certum non attingo, cauſam uſûs certiorem inveſtigo. Duplicem hanc invenio, *exemplum videlicet Chriſti*, *&* *qualitatem Electionis*, & utraque oppidò placet. *Exemplum Chriſti*, qui, dum Petrum Eccleſiæ Principem conſtituit, nomen ejus prius immutavit: *Beatus es Simon Barjona..... & ego dico tibi, quia tu es Petrus*; Cum autem exemplum hoc vim præcepti non ingerat, evênit forſan, quod antiquiores Pontifices, ac poſtea Honorius IV., Adrianus VI., Marcellus II. nomina ſua priora retinuerint. *Qualitas Electionis*, quæ creatio appellari conſuevit, cum Papa quaſi ex nihilo ſuæ Perſonæ, & ſubjecti, ſeu meriti tranſeat ad excelſum eſſe Sum̃i Pontificis, Vicarii Chriſti in terris &c.; Hinc, ſicut in Baptiſmo creaturæ recenter natæ nomen imponitur, ita & â Summo Pontifice, ceu nova creatura ſecundùm Spiritum, tale aſſumitur. Hoc poſtea in exordio omnium Bullarum, ſicut & Literarum Apoſtolicarum in forma Brevis &c. exprimitur, & ſub eodem Epiſtolæ familiares, ſicut & libelli ſupplices Papæ inſcribuntur. Supplicationes tamen, non ſub nomine aſſumpto, ſed ſub illo, quod prius geſſerat, ſignat, prout infra in Sectione de ſubſcriptione dicetur.

SECTIO VI.

De titulo Servus Servorum Dei, *qui nomini aſſumpto adjungitur.*

CArpi dignè meretur Petrus Soave, dum nomen â Papa ad faſtum immutari cachinnatur. Quantùm verò ſuperba hæc præſumptio â veritatis tramite recedat, & aberret, probat humilis, *Servus Servorum Dei* antonomaſia, quam aſſumpto nomini, & titulo Epiſcopi, in Bullis apponit. Jure quidem uti poſſet magnificis titulis, ex ratione ſuæ â Deo acceptæ poteſtatis ſibi competentes, ſeligit tamen *Servi* titulum, ut exemplum Chriſti, qui humiliavit, & exinanivit ſe formam *Servi* accipiens, imitetur. Nec ſimpliciter *Servum Dei* Pontifex ſe nuncupat, ſed ad majus humilitatis argumentum, *Servum Servorum Dei* notanter ſe dicit, id eſt, Servum Apoſtolorum

Petri,

Petri, & Pauli, *qui cum verè Servi Dei fuerint*, jure Servum ipſorum juxta Cardinalem Petram (m) ſe profitetur. Patenter, & primò D. Gregorium I. hoc humilitatis titulo, characterem Eccleſiæ Principis, omiſſo, quod prius uſitabatur, Papæ nomine, illuſtrâſſe, Joannes Diaconus in illius vita lib. I I. c. I. commemorat. Ut enim protervam ſuperbiam, qua Patriarcha Conſtantinopolitanus, *univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi* nomen ſibi arrogavit, contunderet, aliàſque vanitatem mundanorum Principum, qui lemmiſcatâ titulorum farragine aliquando delectantur, confunderet, *Servum Servorum Dei* ſe vocavit. Eſt autem hujus tituli expreſſio in fronte Bullæ ita neceſſaria, ut ſine ea, hanc de falſo ſuſpectam, ceu contra Stylum expeditam, Eminentiſſimus Cardinalis Petra, loco in margine citato, aſſerat.

(m) Tom. I. coment. fol. mihi 147.

SECTIO VII.

De titulis eorum, quibus Summus Pontifex Bullas inſcribit, & de Salutatione, & Benedictione adjectis.

VArii ſunt hi tituli pro varia perſonarum conditione, quibus Papa Bullas inſcribit. Hæ ſi inſcribantur Cardinalibus, qui ſunt inter Sex Cardinales Epiſcopos, à Sixto V. determinatos, vel Patriarchis, vel Archi-Epiſcopis, vel Epiſcopis, *eos Venerabiles Fratres* nuncupat; quod & facit, ſi ſacro Cardinalium Collegio unitim ſcribat, aut illud in Conſiſtorio congregatum alloquatur; Si verò Bullas Cardinalibus, ex numero dictorum Epiſcoporum non extantibus, vel Imperatori, vel Regibus, vel Principibus, vel aliis cujuſcunque Ordinis, vel Sexûs Perſonis inſcribat, *Filios*, vel *Filias* eos nominat, cum hac tamen differentia, quod Imperatorem, & Reges *Chariſſimos in Chriſto filios* adjunctis titulis ex merito erga Eccleſiam iis propriis, vel, ſi tales non habent, adjuncto *Illuſtres* epitheto) Principes verò, & Duciſſas, alioſque *Dilectos Filios*, *vel Filias* appellet; Cùm enim ſit horum omnium Pater, & ab iis, ceu talis in obſequio reverentiæ dignoſcatur, in teſtimonium paterni amoris, quo eos proſequitur, affectuoſo *Filii* titulo condedecorat, ut unionem, quæ Patrem inter-et Filios in Spiritu vigere debet, corroboret. Bullas autem, aliaſque literas Apoſtolicas,

licas, in quibus hæc titulorum diverſitas non reperitur, Apocryphas cenſeri debere eruitur ex regula, quam Innocentius III. (*n*) firmavit: *In hoc fuimus mirati, quod tu tales literas à Nobis credideras emanâſſe, cum ſcire debeas, Apoſtolicam Sedem conſuetudinem in ſuis literis hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos*, Fratres, *cœteros autem Reges, Principes, vel alios, cujuſcunque ordinis*, Filios *in noſtris literis adpellemus*. (n) Lib. 5. decret. tit. 20. c. 6.

Titulo unitur indiſcriminatim *Salutatio*, & *Apoſtolicæ Benedictionis* largitio, quam ultimam ejus efficaciæ eſſe Eminentiſſimus Petra (*o*) opinatur, ut remiſſionem peccatorum venialium operari dicat. (o) To. 1. Com. fol. mihi 25.

Connectitur titulus Pontificis cum titulo eorum, ad quos Bullæ ſpectant, taliter, ut nomen, & titulus Papæ exordiantur â capite lineæ, & cœtera ſine puncto interjecto, aut virgularum diſcretione, uſque ad verbum *Benedictionem*, incluſivè protrahantur. Uſum hunc in Autographis videre licet, in Bullario meo ille inveniri nequit, tam, quod typus folii, in columnas diviſus, talem cohærentiam non admittat, tam, quod cum doctiſſimo P. Bremond [*p*] *virgulas*, & *inciſa æquè* in titulis, ac Bullarum corpore, *addita voluerim, claritatis ergo*; & confuſionis evitandæ. (p) In pref. ad Bull. fol. mihi XVIII.

Mutatur autem forma titulorum, ubi Bullæ, vel Brevia ad eos, qui de gremio S. Matris Eccleſiæ, vel non ſunt, vel eſſe nolunt, diriguntur. Omittitur quoque Salutatio, & Benedictio, vel in vices, iis Papa precatur v. g. *gratiam, per quam obtineant in Sæculo futuro gloriam*, vel *Spiritum ſanioris conſilii &c.*

SECTIO VIII.

De Duratione Bullæ per verba ad perpetuam, *ſeu* futuram rei memoriam *expreſſa*.

IN ipſo Bullæ limine intentio Papæ de duraturo Bullæ vigore manifeſtatur, dum narrationi *ad perpetuam rei memoriam*, præmittitur, & gratia ab ipſo, motu proprio facta, tali expreſſione perpetuatur. Sicut econtra per clauſulam *ad futuram rei memoriam* in Bullis Apoſtolicis gratia limitatur, hujuſque duratio ad breve duntaxat tempus (ultra vitam ſupplicantis) reſtringitur. Aliquoties tamen in Bullis hanc *perpetuæ me-*

moriæ notam omitti, probant varia exempla, illis autem clauſulam *ad futuram rei memoriam* quaſi nunquam (ſaltem moderno tempore) præponi, Officiales Curiæ affirmant.

SECTIO IX.

De Narratione, & Bullarum Stylo.

IN narrationis exordio exponitur gratiæ petitio, & allegantur cauſæ, quæ illius conceſſionem vel facilitârunt, vel effecêrunt. Ne autem gratiæ conceſſæ contradici contingat, Eccleſiaſticæ Cenſuræ incurſio intentatur, qui vel illius executionem impediunt, vel aliàs ejus ſubſiſtentiam impetunt. Pariter, ne ſub prætextu contrarii privilegii, legis &c. valor illius eludatur, variæ derogationis, abrogationis &c. clauſulæ annectuntur, quæ clariora, & notiora ipſa Bullarum lectio, quàm mea deſcriptio, reddet.

Stylus autem, quo narratio hæc extenditur, redolere ſolet Majeſtatem, immixtis S. Scripturæ Textibus, aut aliàs concinno verborum, & ſententiarum ſelectu fœcundam, & ita accomodatam, ut, dum nervum adipiſcitur ex elegantia ſermonis, animum Lectoris captivet ex brevitate dictionis. Exulare quidem debet â Bullarum contextu omnis Solœciſmus, cum juxta dicenda *infra in Sectione de regulis &c.* valorem demat Bullæ, non tamen ſemper purus invenitur â vocabulis alienis, præſertim, dum juris materiam tangit. Talia autem verba præcox Sciolorum Criſis *Barbara*, vel *monſtroſa* non explodat, cum conſuetudo illa comprobaverit, nam, ubi res novæ inveniuntur, *verba quoque, quibus res illæ exprimantur*, juxta eximium Lippum (*q*) *in conſuetudinem admittenda ſunt*. Sique, quod novum prodit, *barbari* notam mereretur, nulla non vox aliquando barbara fuit, cum omnem ſuo tempore novam extitiſſe ſciamus. Mabillonii [*r*] monitum, & conſilium in ſuarum nugarum correctionem applicent, qui minus uſitata Bullarum verba, atro calculo notant, ſciantque ii, quos *Salebroſus ejuſmodi Stylus offendit, quod, ut ſuus unicuique arti idiotiſmus conſtat, ſic etiam rei Diplomaticæ ineſt proprius loquendi modus..... plus delectat illa rerum varietas, quàm affectata in loco peregrino elegantia.*

(q) *Lib.* 3. *de ratione Scribendi fol. mihi* 267.

(r) *De re Diplom. l.* II. *c.* I. *n.* I.

SECTIO X.

De Bullarum Data, de Datæ Loco, & Loco Loci.

TErminato Narrationis filo ponitur ſubſtantivè *Data* per Verbum *Datum*, quod tempus, quo Oratori Bulla extraditur, juxta nonnullos ſignificat, juxta Macrum autem *tempus, quo dimiſſa fuit ex originali copia*, jam denotat. Olim non *Datum*, ſed *Scriptum*, vel *Actum* (ab antiquis *Characteriſmus* nuncupatum) quo dies expeditæ Bullæ deſignabatur, poſitum fuiſſe, ex vetuſtorum Diplomatum calce innoteſcit.

Additur *Datæ* Locus, in quo, tempore expeditionis Bullæ Papa cunctatur, v. g. *Datum Romæ*, vel *Datum apud Vrbem Veterem &c.* Conducit hæc Loci expreſſio plurimùm ad Bullas, ſuis Pontificibus aſſignandas, caſu quo hi in nomine convenirent, & plumbum ex injuria temporis ita foret detritum, ut propria Papæ diſtinctio ex hoc non amplius poſſet hauriri. Commodum hoc expertus R. P. Bremond (s) illud ita deſcribit: *Mihi certè maximo fuit adiumento ad aſſignandas unicuique Summo Pontifici Bullas, ab ipſo datas. Cum enim injuria temporis nonnunquam perierit plumbum, & ejuſdem nominis ſint nonnulli Pontifices, quid agendum, incertus utique fuiſſem, niſi me extricâſſet hæc inſcriptio Loci*: ex tali enim e g Bullas Lugduni vel Avenione datas, Gregorio IX. non aſſignandas fore, concludi poteſt, cum Eum, nec Lugduni, nec Avenione commoratum eſſe, ex alio hiſtorico adminiculo liqueat.

(s) *In præfat. Tom.* 1. *Bullar. fol. mihi* 22.

Ad majus inſuper lumen exprimitur, & Locus Loci, deſignatus per Baſilicam, Palatio, in quo Papam tunc degere contingit, viciniorem: v. g. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c.* Si in Palatio Vaticano [juxta Gellium lib. 16 c. 17. â Vaticinio Dei Vaticani ita nominato] habitet, vel *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. Stylo hoc* juxta Eminentiſſimum Cardinalem Petram (t) *incepto, tempore S. mem. Pauli V. ob eximiam devotionem erga Beatiſſimam Virginem, in honorem cujus Capellam eximiæ Structuræ* in illa Patriarchali Baſilica *ædificavit*, dum prius Data â Monte Quirinali, cui templum Quirini, olim ibi extructum, nomen hoc indiderat, deſumebatur. Locum Loci in Bullis exprimi idem Emus loco citato *conveniens* dicit,

(t) *Tom.* 1. *Com. fol. mihi* 241.

dicit, *ne detur via falſitati Bullæ, prout ex hac cauſa idem ſit in inſtrumentis*.

SECTIO XI.

De Anno Incarnationis, Menſe, & Die in Coronide Bullarum expreſſis.

PLurimùm intereſſe ſcire Annum, menſem, & diem Diplomatum, ſeu Bullarum, infert Gonzalez (*u*) ex cauſis ſequentibus: *Tum, ut cognoſcatur, an annus elapſus ſit, ut, qui illud* (Reſcriptum) *impetravit, eo uti non poſſit....... tum, ut ſi poſt primum ſecundum expediatur, prioritas eorum ex Data cognoſcatur*. An autem neceſſariò, & ad illorum validitatem, hanc anni, & diei annotationem Diplomata continere debeant, controvertunt inter ſe juris utriuſque periti: Eam â Lege Civili ita requiri, ut aliàs de falſitate ſuſpecta redderentur, deducit fatus Gonzalez cum aliis *ex cap. inter, de fide inſtrum. l.* 4. *C. de diverſis reſcriptis*, aliiſque juris textibus: illam econtra nullâ lege Canonica præſcribi, tenet Eminentiſſimus Card. Petra (*x*) dicens: *Non obſtare defectum diei, & anni, quin obliget Apoſtolica Conſtitutio, cum nulla Lex Canonica id præſcribat, ubi tamen addit, quod in foro eſſet ſuſpecta de falſo, niſi haberet Datam ſolitam juxta ritum modernum*. Quæ clauſula firmat auctoritatem uſûs moderni, ſervatque fidem Diplomatibus antiquis, in quibus dies, & annus Datæ deſunt, & olim deeſſe debebant, cum falſitatis ſuſpicionem gignerent Decretis Summorum Pontificum adjecti, uti in Concilio Citrenſi liquet, notâ falſitatis â D. Auguſtino (*y*) ideo affecto, *quia contra Eccleſiaſticam conſuetudinem...... diem, & conſulem haberet*. In quo tamen & diſtinctionem, autographa inter-et exemplaria fieri oportet, in his enim ſi annus, & dies deficerent, cum R. P. Bremond *id Amanuenſis incuria factum crederem, nec Diploma, mutilum licèt, reprobarem, niſi quædam alia vitia majorem ſuſpicionem mihi ingererent*.

(u) *Tom.* 1. *Coment. in Decret. fol. mihi* 131.

(x) *Tom.* 1. *Com. in Conſtitut. Apoſt. fol. mihi* 242.

(y) *In collat. cum Donat. die tertia*.

Ad ſolos Conſulum annos olim rationem temporum menſuratam fuiſſe in Diplomatibus, variè invenire eſt: extincto autem ſub Juſtiniani imperio Conſulum nomine, & dignitate, ab ultimo Conſulatu hæc ſignata fuêre, prout exhibent Pelagii I. Literæ, hoc modo datæ: *anno* 15. *poſt Con-*

ſula-

ſulatum Baſilii Viri Clariſſimi. Poſtea Imperatorum anni cum ultimo Conſulatu notari cęperunt, ut patet ex omnibus actionibus Concilii V. Oecumenici, quæ ita fuêre conſignatæ: *Imperii Domini Juſtiniani perpetui Auguſti anno 25. poſt Conſulatum Baſilii anno* 12., hancque ſubſcribendi formulam in publicis Inſtrumentis ſervari Juſtinianus Imperator Novella 47. præſcripſit.

Omiſſa poſtea Conſulatûs mentione, ſoli Imperatorum anni cum Indictione, publicis, privatiſque actibus apponebantur, prout Concilium Romanum, præſide S. Gregorio Magno celebratum, *anno Mauritii Imperatoris XII.* conſignatum legimus. Cum autem hæc forma quandam ſervitutis notam, uti R. P. Natalis Alexander (*z*) ait, præſeferret, fuit illa pariter abolita, & non niſi Indictio, & labentis menſis dies notatus, quibus, dum ſummâ in Exarchatum Ravennæ, in Pentapolim, & Urbem Romam auctoritate, Pontifices potiti fuerant. Regum, & Imperatorum ex jure æmuli, annum Pontificatûs, *de quo in Sectione ſequenti*, adjunxêre. Tandem etiam hoc uſu quoad partem correcto, ſeu indictione prætermiſsâ, anno Pontificatûs, annus Incarnationis Dominicæ, quam humanæ Redemptionis initium colimus, fuit præpoſitus.

(*z*) *Tom.*4. *Hiſt. Eccl. fol. mihi* 345.

Jam verò Paulus Middelburgius Epiſcopus Foroſempronienſis (*a*) *Præſidente Eugenio IV. adhortante Blando Forolovienſi, Pontificii Collegii à Secretis Notario, in Bullis, atque Reſcriptis Pontificalibus, annorum à Chriſti Incarnatione ſupputationem ſcribi primùm cœpiſſe*, cum Papebrochio, & Ciaconio tenet. Cum tamen Autographa, cum annotato Incarnationis anno, ante Eugenium edita, adhuc videantur, diſparem ſenſum prudentiſſimo medio R. P. Bremond (*b*) concordat, dicendo: *Id unum crediderim hac de re ſancitum ab Eugenio IV., quod ſcilicet in Diplomatibus Pontificiis nullus in poſterum præteriret annos Incarnationis Dominicæ: id enim diſcriminis noto Eugenium inter- et Prædeceſſores, quod iſti itentidem duntaxat, ille verò ſemper in Diplomatibus adhibet annos Incarnationis.*

(a) *Lib.* 13. *Paulinę c.* 6.

(b) *In præfat. Bull. fol. mihi* 30

Quandonam autem annus Incarnationis in Bullis incipiat, novæ diſcuſſionis eſt argumentum, præſertim, cum Gervaſius, Dorobernenſis Monachus (*c*) grave, & ad plures annos agitatum deſuper diſſidium ita deſcribat: *Inter ipſos etiam Chronicæ Scriptores nonnulla diſſenſio eſt: nam cum omnium unica, & præcipua ſit intentio annos Domini, eorumque continentias ſupputatione veraci enarrare, ipſos Domini annos diverſis modis, & terminis numerant,*

(c) *Inter hiſt. Angl. Scriptores Twyſden. Tom.* 1.

ſicque

ſicque in Ecclesiam Dei multam mendaciorum confuſionem inducunt. Quidam enim annos incipiunt computare ab Annuntiatione, alii à Nativitate, quidam à Paſſione....... Uterque etiam annis Domini unum eundemque titulum apponit, cum dicit anno ab Incarnatione tanto vel tanto facta ſunt illa & illa. His aliiſque ſimilibus ex cauſis in Eccleſia Dei orta eſt non modica diſſenſio. Metam tandem ſententiarum, & ſtyli diverſitati poſuit Gregorius XV., de quo Papebrochius (d) ita loquitur: *Nobis ingreſſis Sæculum XV. eatenus nemo occurrit, qui dici poſſit in Cancellaria firmâſſe uſum, cujus firmati initium quærimus, quoad annum ultra Kalendas Januarias protrahendum, donec veniamus ad Gregorium XV.*

(d) *Propylæo Maii parte* 1. *append.* 3. *fol.* 215.

Certa circa hoc ut ab incertis ſejungantur, ex moderno ſtylo palpabile eſt, quod annus Incarnationis in Bullis â die XXV. Martii deſumatur, dum econtra in Brevibus, uti ſuo loco dicetur, aliter ille ſupputatur.

Nota peculiari dein dignum eſt, quod annus Incarnationis in Bullis *poſticipationem*, uti loquuntur, habeat, *non anticipationem*. Quamvis enim Incarnatio novem menſium ſpatio præceſſerit Nativitatem Chriſti, in Bullis tamen non niſi tertio menſe poſt Nativitatem die videlicet XXV. Martii, annus ejuſdem incipit. Nec exprimitur per numeros Arabicos 1.2.3 4. aut Romanos I. II. III. IV. ſed per extenſum, juxta regulam Cancellariæ *de Dictionibus numeralibus* ſcribitur.

Quod de Autographis modernis intelligi moneo, cum in Tranſumptis, & numeros Arabicos, & Romanos multifariàm offenderim: imò olim numeros Romanos in Bullis adhibitos fuiſſe, Diplomata apud Mabillonium Æri inciſa apertè demonſtrant.

Eodem modo, & ſine numeris dies Datæ, ex Kalendis, Nonis, vel Idibus numerati, in Bullis ſcribuntur, ita, ut tota Datæ Chronologia e. g. ita exprimatur: *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo.*

SE-

SECTIO XII.

De anno Pontificatus, anno Incarnationis poſtpoſito.

QUantumvis uſus notandi annum Pontificatûs, uſum notandi annum Incarnationis juxta ea, quæ in præcedenti Sectione dicta ſunt, tempore probabilius præceſſerit, nihilominus, ex quo annum Incarnationis, Datæ Diplomatum, addi pia memoria ſuaſit, convênit, ut huic Divinæ Charitatis myſterio prior locus daretur, annuſque Pontificatùs ei poſtponeretur, prout ſervatur in praxi, & modo ſequenti: *Datum anno Incarnationis..... Pontificatûs &c.*

Præterquam autem, quod hæc Pontificatûs inſcriptio fiat ex æquo, ad Imperatorum exemplum, maximam inſuper, juxta Eminentiſſimum Cardinalem Petram (*e*) *ſemper contulit utilitatem Annalibus Eccleſiaſticis pro veritate eruenda, obliterata à Sedis Apoſtolicæ hoſtibus*, & ad confundendos eorum errores.

Cum autem Pontificatus, diem Electionis, & Coronationis includat, ſcire oportet, quod in Bullis Pontificatus non â primo, ſed ſecundo computetur. Abſolutè quidem loquendo poſſent Summi Pontifices annum Pontificatûs â die Electionis auſpicari, cum Electus plenam quoad juriſdictionem habeat poteſtatem, quamvis quoad Ordinem conſecratio requiratur, & Decretalis Clementis V. (*f*) contrarium ſentientes damnet: hodierna tamen methodus hoc non practicari probat. Si tamen ante Coronationem Bullas quaſdam expediri neceſſitas urgeret, prout dilatâ aliquando Coronatione factum eſſe exempla docent, loco *Pontificatûs*, verba *Suſcepti à Nobis Apoſtolatus Officii* ponerentur, & in altera plumbi parte nomen Papæ non exprimeretur, quod, ne admirationem cauſet, Papa Gregorius X. ita olim cavit: *Ne mireris, quod Bulla, non exprimens nomen noſtrum, eſt appenſa præſentibus, quæ ante Conſecrationis, & Benedictionis noſtræ Solemnia tranſmittuntur, quia ii, qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices, conſueverunt in Bullandis Literis, ante Suæ Conſecrationis munus, modum hujuſmodi obſervare.* Aſſerit tamen Eminentiſſimus Cardinalis Petra (*g*) ex hodierna praxi, quod Papa negotia ante Coronationem non amplius per tales Bullas, quæ ob deficientem Pontificatus,

(e) *In Com: ad Conſtit. Paſch. II. fol. mihi* 411.

(f) *Extrav. Com. l. 5. tit. IX. de Sent. Excom.*

(g) *In præm. ad Com. fol. mihi* 16.

catûs, & in plumbo Nominis expreſſionem *dimidiæ* vocantur, expedire ſoleat, ſed mediantibus Brevibus, *in quibus...... utitur ſimplici annulo Piſcatoris ſine denominatione Epiſcopi*.

An autem dies Coronationis ad annum præcedentem, vel ſubſequentem pertineat, cum R. P. Bremond prolixiùs diſcutere nolo, & econtra cum illo in regulam dico, quod, ſicut dies prioris anni dicitur Pontificatûs initium, ſic, anno exacto, dies anniverſaria Coronationis, ordiatur annum ſequentem.

SECTIO XIII.

De Bullarum Subſcriptione.

OLim Diplomata Pontificia, ſeu Bullas (ordinariè ſaltem) non fuiſſe ſubſcriptas, vetuſta perhibent exempla: inde Emus Card. Petra (*h*) refert, quod cum aliquando in S. Rotæ conſeſſu *contra cujuſdam Bullæ Legalitatem fuiſſet oppoſitum, ex eo, quod non adfuerit Subſcriptio Vice-Cancellarii, cujus Officium vigebat tempore Urbani IV. Bullæ controverſæ promulgatoris...... Rota reſpondit...... ſufficere plumbum, cum talis Subſcriptio forſan tunc non vigeret*. Sicuti revera non viguiſſe Anno MDCCXXVIII. Illuſtriſſimi DD. Juſtus Archiepiſcopus Ancyrenſis S. Palatii Abbreviator, Dominicus Riviera, tunc Protho-Notarius Apoſtolicus, & Archivi Caſtri Sancti Angeli Præfectus, & nunc digniſſimus S. R. E. Cardinalis, ac Joannes Vignoli, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos &c. publico, & apud R. P. Bremond (*i*) videndo teſtimonio confirmârunt, dum â S. mem. Benedicto PP. XIII. ad expendendam quandam Clementis IV. Bullam expreſsè deputati, in calce ſuæ reviſionis italicè adjunxêre: *Quod in Archivis, & Eccleſiis particularibus paſſim inveniantur ſimiles Bullæ... ſine Subſcriptione Secretariorum, cum pro ſolenni earum Authentica appoſitio Pontificii Sigilli in plumbo tunc ſuffecerit*. Quod & ante illos Du Cange (*l*) hiſce aſſeruit verbis: *hiſce porro ſolis penſilibus Sigillis, nullo appoſito Chirographo, muniebantur Diplomata, quæ vim omnem iiſdem conferebant*.

(h) *Tom. 1. in præm. fol. mihi* 20.

(i) *In præfat. Bull. fol. mihi XIII.*

(l) *Tom. 2. Com. fol. mihi* 101.

Bullas tamen majoris momenti ſubſcriptas fuiſſe, & quidem ab ipſis Summis Pontificibus, infertur ab exemplo, quo Joannes XV. Canonizationem S. Uldarici hunc in modum ſignavit: *Ego Joannes Sanctæ Romanæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus, huic Decreto à Nobis promulgato, conſenſi, & ſubſcripſi*.

Atten-

Attendendo jam ad modernam Curiæ praxin, Bullas omnes ſubſcribi certum eſt; illas quidem, quæ minoris ſunt momenti, aut ordinarias materias continent, ſubſcribunt Officiales pro varietate Viarum, per quas Bullæ procurantur, & de quibus *infra in Sectione de Viis, per quas Bullæ expediuntur*, accuratior redibit mentio, eas verò, quæ res arduas concernunt, & præſertim Canonizationem decernunt, propriæ manûs charactere, muniunt ipſi Summi Pontifices. Faciunt autem hoc in duplici circulo, quorum major, in orbiculari ſpecie textum Sacræ Scripturæ præſeferens, non dividitur, circulus minor verò in quatuor partes, intra quas nomina SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac nomen ipſius Summi Pontificis, in creatione aſſumptum leguntur, per Crucem diſtribuitur, de quo formulam videre eſt infrà inter Conſtitutiones S. m. Benedicti PP. XIII. fol. 165.

Diſcrepat hic uſus, Bullas Conſiſtoriales, ſeu Literas Decretales, aſſumpto Pontificatûs nomine ſubſcribendi, ab uſu, quo Supplicationes proprio Baptiſmatis nomine Papa ſubſcribere ſolet, hinc e. g. Clemens Papa XII. cum antea fuerit Laurentius vocatus, ſupplicationes ſubſcripſit primâ hujus nominis litera L., & rationem diſparitatis Eminent. Card. Petra (*m*) hanc affert, quod *in ſupplicationibus Papa organo ſuæ vocis utatur*, *unde & jure utatur proprio nomine*, *cum ſit actus perſonalitatis*, dum econtra, vel in Bullis, quas ipſe non ſubſcribit, *neque manum ſuam apponit*, *totum fiat per ejus Officiales*, *qui nomen Pontificiæ dignitatis præponunt*, vel in Bullis, quas ſignat, *ſe ſubſcribat nomine Pontificatûs ad correlationem tituli*, qui exprimitur in apice Bullæ: malè enim ſonaret, ſi in eodem Diplomate ſubſcriptio foret diverſa ab inſcriptione.

(m) *Tom. 2. Com. ſol. mihi* 101.

SECTIO XIV.

De Sigillo Bullarum.

Signandas eſſe Bullas Pontificias Sigillo, quod per excellentiam *Apoſtolicum* appellant, conſectarium eſt tam ex communi exemplo, quo Principes literas, vel legem, vel aliarum rerum Summam continentes, publico, & authentico Sigillo communiunt, tam ex ipſo Bullæ opere, ſeu fa-

ctura, quæ â Sigillo quaſi ultimum ſuum complementum juxta Rebuffum, & alios nanciſcuntur. Quo prælibato.

Sigillum cum concretivè ſumptum duo dicat, videlicet materiam, & formam, de utraque notatu digniora hìc apponere, operæ pretium ducitur.

Materiam quod attinet, eam olim ceream fuiſſe, R.P. Mabillonius (*o*) ex communi opinione aſtruit. Dimiſſo poſteà ceræ uſu, plumbo Pontificium Sigillum imprimebatur. De cujus initio Du Cange (*p*) ita diſcurrit: *Stephano III., & Adriano I. tabulas Apoſtolicas plumbo obſignari placuiſſe, ait quidem Polydorus Virgilius, cum antiquius Sigillum plumbeum non reperiri opinetur: at vetuſtiora Summorum Pontificum Diplomata ab ipſo non viſa fuiſſe, arguit Dominicus Raynaldus, olim Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos, adjungens, quod tempore Sylveſtri, quo Eccleſia Romana ab immaniſſimo Tyranno diu oppreſſa reſpirare cœpit, Literæ Apoſtolicæ plumbo obſignatæ fuerunt, quæ quidem Bulla plumbea Sylveſtri reperitur in Archivo Aretino. Aſſervantur præterea eodem teſte, in Archivo Caſtri S. Angeli vetuſtiſſima in papyro ex frutice confecta Diplomata, plumbo obſignata Summorum Pontificum Leonis I., Gregorii Magni, ac Sergii &c.*

(o) *L. 2. de re Diplom. c. 14. n. 7. fol.* 128.

(p) *In gloſſario verbo Bulla t. 1. fol.* 642.

Antiquus ſit licèt plumbi uſus, non tamen ita de eſſentiali Bullæ ratione eſt, quin aliquando ad vices plumbi aurum fuerit uſitatum, & adhuc uſitetur, ex quo & Bulla aurea, vel græcè Chryſobulla appellari ſolet. Taliter auro fuit olim bullatum Diploma, quo Clemens VII. Henrico VIII. Regi Angliæ titulum *Fidei Defenſoris* contulit. Aureæ pariter fuêre Bullæ, quibus Summi Pontifices Imperatorum electiones confirmare conſueverant. Utitur iiſdem adhuc Curia Romana, & non ſolùm Bulla, qua Sereniſs.mus Card. Hiſpan. Infans Eccleſiæ Toletanæ Adminiſtrator declarabatur, ſigillo aureo ſplendebat, verùm etiam plures tales noviſſimè pro Regno Portugalliæ expeditas fuiſſe, ipſa Curia teſtatur. Ex qua usûs mutatione materiam Sigilli, vel ab arbitrio Summi Pontificis, vel â gravitate rei dependere &c., nec plumbum de Bullæ eſſentia eſſe, patet, quamvis, ſi Sigillum plumbeum appendatur, Diploma ſimpliciter Bulla, econtra, ſi aureum ſit, Bulla aurea nuncupetur.

Formam Sigilli quod concernit, eſt illa ſignum, quod materiæ plumbi, vel auri imprimitur, quodque juxta modernum uſum ex parte antica, ſeu anteriore, Capita Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & in poſtica, ſeu poſteriore,

ſteriore, nomen Papæ aſſumptum exhibet. Antiquitùs hanc formam non fuiſſe impreſſam, Eminentiſſimus Card. Petra (q) his docet verbis: *Sigillum antiquitùs non continebat imagines Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ùt tempore præſenti, nam plu ries immutatum fuit......hinc antiquiſſima Diplomata videmus cum Sigillo continente tantùm Pontificis nomen in una parte, & in altera nomen* Papa, *ùt temporibus Joannis V., Sergii I., Stephani III., Nicolai I., & Joannis XIII., ac aliorum....... Sic in Bulla Stephani VII. in parte antica extat nomen Stephani, & in poſtica nomen* Papa *cum Cruce intermedia. Sic in aliis nomen Joannis Papa in parte altera, in poſtica verò magna Crux, vel Roma picta cum Verbis* aurea Roma.........*In ſequenii tempore fuerunt loco nominum poſita Effigies, ſeu Capita SS. Apoſtolorum, & aliqui id adſcribunt temporibus Paſchalis II.* Ubi tamen addit, quòd Clemens VII. primus appoſuerit etiam inſignia ſuæ progeniei in Bulla, nempe quinque Roſas, contra morem Anteceſſorum, quodque idem fuerit obſervatum tempore Clementis VII. in quadam Bulla collationis, factæ Ennio Cardinali Filonardo de Abbatia Caſamari prope Babucum, cum in Sigillo plumbeo in calce videantur Inſignia Gentilitia Familiæ Mediceæ, de qua Papa erat oriundus, ſex globis parvis expreſſa. Imò, ut Papebrochio adſtipulemur, Urbanum V. quoque, & Paulum III. â Prędeceſſorum more declinâſſe, dicere oportet: primus enim pro ſigno aſſumpſit in ſuis Bullis quinque Cruces intra Coronam querneam, cruciformiter diſpoſitas, alter verò in Farneſianæ Gentis gloriam ſena lilia, & quidem tria ex qualibet parte, nomini ſuo ſuperſcribi juſſit. Ceſſavit jam varietas, & fixo ſtylo in parte antica Sigilli Capita SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli mediâ Cruce diviſa, & in poſtica nomen Papæ duntaxat exprimuntur.

(q) *In præm. fol. mihi* 9.

De ſitu, & qualitate lateris, quo hi Apoſtoli in Sigillo collocati conſpiciuntur, non parùm controverſa eſt quæſtio. Alii D. Paulum â dexteris poſitum affirmant, quin tamen quædam prærogativa exinde illi accedat, cum ex praxi, quæ olim, etiam apud Romanos viguit, pars læva regula honoris eſſet, & dignior haberetur, utpote pars, & latus melioris auſpicii, cum ſiniſtra ex parte cordis, vitæ humanæ contineat fundamentum, de quo diſertè Leo Allatius *de Eccleſ. Occident., & Orient. perpet. conſenſ. c. 6.*

Alii D. Paulum, ſiniſtrum latus tenere, ſolidiùs cum

Petro de Marca (r) tenent, ita loquentes: *Dexterum latus videtur, ſi Pauli imago cum Petri imagine comparetur: eſt latus ſiniſtrum, ſi referatur ad inſpicientes. Ex qua relatione ſæpe metiendus eſt honoris gradus in Conventibus publicis; hinc profectum, ut Epiſcopus in parte chori ſedeat, quæ dextera eſt ingredientibus, & tamen reſpondet cornu ſiniſtro Altaris, in quo ſiniſtrum & dexterum latus nuncupamus, reſpectu habito ad divini Numinis præſentiam.*

(r) In exercit. de ſingul. Primatu Petri n. 21.

Inter utramque opinionem tene, Lector, quam mavis, cum quælibet juxta Eminentiſſimum Cardinalem Petram *pia, & adaptabilis ſit*: ſi tamen primæ accedas, cave, ut longè recedas â futili errore, quo Heterodoxi ex Hypothetico Divi Pauli ad dexteram ſitu, Divo Petro Primatum adimere moliuntur, Illumque Hoc majorem, digniorem, & ſublimiorem gratis exinde cavillantur.

Quod Bulla Authentia ſua, & Fide, ex Sigillo etiam totaliter deficiente, non deſtituatur, Eminentiſſimus Card. Petra olim â S. Rota coram S. mem. Alexandro VIII. deciſum fuiſſe per verba: *Non obſtare Legalitati, etiamſi ſigillum in totum non reperiatur* (s) teſtatur, adjungens tamen, quod *in hac materia diſtinguendum ſit, quoad defectum Sigilli, an ſcilicet agatur de Bulla recenti ...: quia valida conjectura eſt non legalitatis Bullæ, talis defectus Sigilli ..... Aliter verò erit dicendum in Bulla antiqua: Verùm in hac regula certa nequit aſſignari, ſed totum eſt remiſſum arbitrio prudentis Judicis, illudque eſt variabile juxta caſuum contingentiam, prout concurrunt adminicula majoris, vel minoris ponderis, ſic pro adminiculis adducuntur antiquitas, & obſervantia &c.*

(s) In proœm. Comment. fol. mihi 20.

Curam Sigilli, ſeu machinæ, intra cujus ferreos dentes id comprimitur, tenet Prælatus, qui Plumbi Præſidens vocatur; â Sixto V. duobus Monachis Ordinis Ciſtercienſis, qui *Fratres Barbati* nuncupabantur, juxta Ciampinum (t) ſurrogatus.

(t) De munere ..... Vice-Cancellar. fol. mihi 128.

SECTIO XV.

De filis, ſeu cordulis, quibus Sigillum Bullis appenditur.

SIgillum ſeu Plumbum per medium axis perforatum appenditur pergamenæ, pariter perforatæ, cum filis, ſeu cordulis, vel ex ſerico, vel ex goſſipio, vel ex Cannabe confectis, prout, vel conditio Perſonarum, ad quas Bullæ tranſeunt,

ſeunt, vel qualitas materiæ, quam Bullæ continent, ſuadet aut exigit. Erraſſe proin videtur Cabaſſutius, dum (*u*) ſemper, & regulariter; fila ſerica eſſe arbitratur, quoties in materia gratiæ Bulla expeditur, & econtra fila cannabina appendi, aut, dum Bulla circa materiam Juſtitiæ verſatur, aut, ſi executoria ſit; cum juxta Officialium aſſertum, circa hoc non materia, ſed filorum color attendatur, quem ſemper rubei croceique coloris eſſe debere, iidem mihi aſſeruêre.

(u) *In Juris Can. Theoria.*

Quod fila, nonnihil licet corrupta, ſeu corroſa Bullæ fidem non demant, R. P. Mabillonius tenet (*x*) narrans, quod *Innocentius IV. in Reſcripto ad Abbatem Monaſterii de Firmitate Ordinis Ciſtercienſis conſultus de quibuſdam Apoſtolicis Privilegiis, quorum fila ſerica è Bullis dependentia magna ex parte amputata erant, declaraverit, ea privilegia ob id ſuſpecta reputari non debere, dummodo aliàs omnino ſuſpicione careant*. Et quod idem ab eodem Summo Pontifice ad Abbatem de Boheriis, ejuſdem Ordinis, Diœceſis Laudunenſis, ſcriptum fuiſſe, idem P. Mabillonius ibidem commemorat. Oraculis hiſce Pontificiis judicium ſuum S. Rotam conformâſſe, Eminent. Cardinalis Petra recenſet, ad quæſtionem â ſe motam, *quid de Bullis dicendum, ſi cordula Sigilli forent corroſa?* ita (*y*) reſpondens: *Non obſtare legalitati dixit Rota coram San. mem Alexandro VII Deciſ 175. num. 3., cum talis corroſio poſſit veriſimiliter exoriri à vetuſtate temporis*.

(x) *In Suppl. rei Diplom. c. 11. num. 1. fol. 46.*

(y) *In præm. Co-ment. fol. mihi 20.*

Putat quidem Rebuffus (*z*) quod, ſi filum totum foret ruptum, Bulla non probaret, cui tamen Doctiſs. P. Bremond (*a*) contrariatur ex ratione, *ne ab uno, vel altero filo nonnullorum fortunam pendere*, poſſit inferri. Si enim, uti ſuprà dictum eſt, defectus totius ſigilli, ex una S. Rotæ deciſione, Bullam aliquando non infirmet, minùs eam â defectu filorum, illam invalidari cenſeri debet, præſertim ſi & alia concurrentia adminicula ejus valorem in caſu coadiuvent.

(z) *In praxi benefic. fol. mihi 374.*

(a) *In pref. fol. mihi XLVIII.*

SECTIO XVI.

De modis, & viis, per quas Bullæ expediuntur.

QUatuor vias & modos, quibus Bullæ expediri ſolent, recenſet (*b*) Eminentiſſimus Card. Petra, quos quaſi verbatim hîc recenſere amat, ut pro neceſſitatis occurſu aliqualis eorum habeatur notitia. Prima

Prima Via eſt Cancellaria, in qua Bullæ Eccleſiarum Cathedralium, erectionum Collegiatarum, Proviſionum beneficiorum tam per obitum, quàm per reſignationem vacantium, Diſpenſationum Matrimonialium de Majori, ſeu in gradibus vicinioribus, Monaſteriorum tam Conſiſtorialium, quàm aliorum, & ſimilium expediuntur. Hæ Bullæ, cum graviores materias attingant, etiam peculiari cura, & reviſione conficiuntur; inde ad eas plures Cancellariæ Miniſtri concurrunt, uti ſunt Scriptores Apoſtolici, Abbreviatores *minoris gratiæ*, Sollicitatores Literarum Apoſtolicarum, ex Conſtitutione Sixti IV. quantumque obſoleta, *Jannizari* adhuc nominati, eorum Capellani, Abbreviatores de Parco Majori, ſemper Prælatitia dignitate inſigniti, nec non Regens Cancellariæ, appoſitis Literis *L.*, & *C.*, hoc eſt, *Lecta*, & *Correcta* cum prima nominis dicti Regentis, Cuſtodis ſupplicationum Litera. Poſtea â Miniſtro per Præſidem Plumbi deputato, muniuntur ſigillo plumbeo, & regiſtrantur â Capſerio Generali, apud Cardinalem Vice-Cancellarium, adjunctâ per unum ex Magiſtris Regiſtri, vel Capellanum dictum Literâ *R.* â tergo Bullæ, id eſt *Regiſtrata*, cum nomine, & cognomine regiſtrantis, factaque collatione Expeditoribus diſpenſantur, recepta priùs, quæ nonnullis Officialibus debetur, laboris mercede.

Si tamen fructus Beneficiorum, vel Penſionum Summam Ducatorum 24. Cameræ excedant, Reviſio, & Signatura Bullarum ad Officiales Annatarum pertinet, exceptis Beneficiis totius Germaniæ, & Poloniæ, quæ juxta concordata cum Sancta Sede inita, quæcunque Beneficia, quæ vel Prælaturæ, vel Prælaturis majora, non ſunt, ſub taxa 24. Ducatorum Cameræ tantùm exprimunt, Ducato tali ad ſeptemdecim, & medium Julium numerato, etiamſi annui talium beneficiorum redditus, ſeu fructus dictam Summam longè excederent. Sique de Monaſteriis, aut Epiſcopatibus in libris Cameræ taxatis agatur, Bullam pro Sac. Collegio etiam N. N. Secretarius ſubſcribit.

Secunda Via eſt Camera, in qua expediuntur Coadjutoriæ, & aliquoties Erectiones Collegiatarum, & rerum perpetuarum Monaſteriorum Conſiſtorialium, ſeu, quæ in Conſiſtorio proponuntur, juxta taxam in libris Cameræ notatam. In harum Bullarum expeditione præter Scriptores Apoſtolicos,

cos, Abbreviatores *minoris gratiæ*, & Sollicitatores, etiam Annatarum Officiales, & eorum Capellani, ſi, uti dictum, fructus excedant ſummam 24. Ducatorum Cameræ. Plumbantur poſtea, & revidentur â Cardinalis Vice-Cancellarii Miniſtro, Summiſta nuncupato, cum verbo *Viſa N. N.*, ac regiſtrantur in Officio Secretarii Cameræ, qui eſt menſarius, & ſe poſt literam *R.* ſubſcribit. Eſt autem in Expeditorum arbitrio, ut Bullæ tales, vel per Cancellariam, vel per Cameram expediantur: variantque in hac, vel illa expenſæ pro materiæ varietate.

Tertia Via dicitur Secreta, per quam à Scriptore deputato, qui & Scriptor Secretus appellari conſuevit, proviſiones, â Papa Familiaribus propriis, vel aliis ex ſpeciali gratia factæ expediuntur. Scriptæ â Scriptore Secreto plumbantur, â Miniſtro Card. Vice-Cancellarii, & Summiſta revidentur, inſertis ad calcem his verbis: *Pro Eminentiſs., & Reverendiſs. D. Cardinale Summatore N.* & paulò inferiùs *Viſa N. N.* & regiſtrantur in Secretaria Brevium, moderato plerumque expenſarum ſtipendio.

Quarta Via eſt Via Curiæ, per quam expediuntur Bullæ, concernentes Leges, Conſtitutiones, aliaſque materias, ex motu Papæ proprio, vel aliquando pro rebus Nepotum, & aliorum ordinatas. Exarat illas Scriptor Secretus, & plumbatæ ſubſcribuntur primò ab Abbreviatore Curiæ ſub verbis: *Viſa de Curia N. N.* poſtea â Datario, & Secretario Brevium, alio in redemptionem non dato, quàm, quod ſimplex exigit labor. Quadruplici huic Viæ, ſeu modo, alias duas ſuperaddendas eſſe, praxis docet, & quidem.

Quinta via vocatur Contradictarum, per quam expediuntur materiæ attinentes ad lites, & ſignanter Monitoria in forma *ſignificavit*, ac mutationes Judicum, Executorum &c. confirmationes Statutorum, v. g. alicujus Eccleſiæ Collegiatæ: quamvis hæc eadem per Literas in forma Brevis poſſint confirmari, nihilominus via contradictarum cum ſit fortior, conſultius uſurpatur, præſertim cum expenſæ ſint tenues, niſi circumſtantiæ illas multiplicent. Subſcribuntur, & plumbantur ab Officialibus ad id deſtinatis. Dixi ſuprà, viâ Contradictarum expediri materias attinentes ad Lites. Circa quod notandum eſt, quod Mandata, Decreta, Sententiæ &c. quæ licèt per viam, ſeu officium Contradictarum directè â Curiæ Romanæ

Judici-

Judicibus in figura, & tela judiciaria proveniant, Bullæ nominationem non ſortiantur, tam, quod non plumbentur, tam, quod Judices tales non niſi mediatam duntaxat habeant auctoritatem. Curioſo de materia litium in terminis Contradictarum Lectori, ſi ulteriora quærat, ea dabit Ridolphinus in *praxi judiciali parte prima tit. de Officio Contradictarum*.

Sexta Via appellatur *minoris gratiæ*, per quam expediuntur leviores gratiæ, ac diſpenſationes Matrimoniales in gradibus remotioribus, multiplicatis etiam ſtipitibus. Antiquitùs quidem hæ fuêre expeditæ per S. Pœnitentiariam, â tempore verò S. Pii V. ad Cancellariam translatæ.

SECTIO ULTIMA.

De Regulis, quibus Bullæ veræ â falſis poſſunt diſcerni.

ERrores, & falſitates cum Bullis interceſſiſſe antiqua æquè tempora accuſant, ac recentior queritur experientia. Unde, ut, quæ vera ſunt, à falſis diſcerni queant, ex Oraculis Summorum Pontificum, & aliis Canonicis legibus regulæ poſitæ ſunt, ad quas, ceu ad lapidem Lydium probari poſſunt, & quas R. P. Bremond ad ſex in ſuæ præfationis Coronide reducit.

Prima eſt: *Privilegia non inſpecta non valent argui falſitatis*. Ita Alexander Papa III. *Lib. Decret tit. XXII. de fide inſtrumentor.* Cap. IV., cui & D. Gregorius accedit dicens: *Si authenticam chartulam non videmus, nil poſſumus facere*. Debet autem hæc inſpectio non ſuperficialis eſſe, quemadmodum aliquoties ab iis fieri conſuevit, qui, dum vix antiquum aſpiciunt Diploma, illud apocryphum, ſeu ſubreptitium explodunt. Similis debet eſſe examini Aurifabri, qui, quantumvis ſolo tactu aurum verum â ſpurio diſtinguere poſſit, in ſui tamen ſenſûs, & judicii ſubſidium prædictum lapidem applicat, omneſque auri ei porrecti qualitates rimatur. Haud aliter, qui de Literarum Apoſtolicarum veritate judicare cupit, eas, ut juxta Innoc. III. Decretum â Mabillonio (c) citatum, *in Bulla, filo, charta, ſtylo dictaminis, Scripturæ forma, & aliis, in quibus notari, vel deprehendi falſitas poteſt, circumſpiciat diligenter, oportet*.

(c) *De re Diplomat. l. 6. pag.* 634.

Secun-

Secunda regula fluit ex Decreto Innocentiano, preſſius Lib. V. Decretal. tit. XX. de Crimine falſi cap. V. enuntiato per verba: *Vel in modo dictaminis, vel in forma Scripturæ, vel qualitate chartæ falſitas cognoſcitur*. Inde & Eminentiſſimus Cardinalis Petra (*d*) S. Rotam citat, quæ illegalem olim in Piſana Oeconomatûs judicavit Bullam, quæ nec antiquo Gallico charactere, nec in pergamena, ſed in charta papyracea fuerat ſcripta.

(d) *In proœm. Coment. fol. mihi* 20.

Tertia Regula: *Defectus Literæ non vitiat Reſcriptum*. Eruitur ex Epiſtola Decret. Honorii III. L. II. tit. XXII. cap. XI. in qua ſequentia leguntur: *Quia Reſcriptum Apoſtolicum pro eo, quod in hac dictione* Spoliarunt, *hæc figura* O. *deerat, aſſeritur vitioſum, mandamus, quatenus hoc non obſtante in negotio ipſo ratione prævia procedas*. Quod idem & Innocentius IV. in quadam Conſtitutione ſua à R. P. Bremond (*e*) adducta ſancivit: *Cum Literæ noſtræ, quas ſuper negotio hæreſis in Lombardia, Marchia Terviſana, & Romaniola extirpandæ, nuper à Sede Apoſtolica Fratres veſtri Ordinis reportârunt, proceſſerint, ſicut accepimus, in aliquibus propter nimiam feſtinationem incorrectæ, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus incorrectionis non obſtante diſpendio, quod ex ſuperfluitate, vel diminutione* literæ, *ſeu* ſyllabæ, *ſive* dictionis *unius, vel plurium inducatur, in memorato negotio procedatis juxta earundem continentiam Literarum*. Regula hæc multiplici alia auctoritate ſuffulta dignè perſtringit eos, qui præcoci judicio, moroſaque criſi Diplomata illa illico falſitatis inſimulant, in quibus, vel puncti, vel verbi deeſt expreſſio. Talibus in cautelam ſerviat Mabillonii (*f*) aſſertio, quod *unus, aut alter defectus, modo eſſentialis non ſit, legitimis Autographis obeſſe non debent*. Quod magis in exemplis, ſeu tranſumptis procedere debere, nemo diſſentiet.

(e) *Tom.* I. *Bullarii Ord. fol. mihi* 214.

(f) *In Suppl. c.*4. *n.*4. *fol.*16.

Quarta Regula: *Reſcriptum non cenſetur falſum, aut ſuſpectum ex eo, quod in facti narratione, & loco non ſuſpecto Literæ ſint abraſæ*. Ita ſtatuit Alexander III. Lib. II. Decretal. tit. XXII. Cap. III. cujus hæc verba: *Ex Literis veſtris accepimus, quod cum cauſa, quæ inter Magiſtrum A....... & R....... ſuper Capella de Ambitoria vertitur, de mandato noſtro ſuſceperitis terminandam, præfatus R....... Literarum copiam ſibi fieri poſtulavit. Qui cum eas argueret falſitatis, quia in narratione facti abraſæ ſunt, ubi ſcriptum eſt jura Parochialia ..... dicimus, quod propter abraſionem illam falſæ non poſſunt, nec etiam haberi ſuſpectæ, præſertim*

cum & privilegia in poſſeſſionibus abradantur , & Literæ in narratione facti [ſi erratum eſt] poſſunt incunctanter abradi . Quam regulam ſuo quoque Oraculo firmat Innocentius III. Lib. V. Decretal. tit. XX. de crimine falſi cap. IX. ubi hæc ſancit : *Literas ipſas , quæ redargutæ fuerant falſitatis , diligentius intuentes nullum in eis falſitatis ſignum , vel ſuſpicionis invenimus , niſi paucarum Literarum raſuras , quæ nequaquam Sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt* ; cum enim tales raſuræ in loco non ſuſpecto factæ ſupponantur, ab ipſis Curiæ Miniſtris in correctionem factas eſſe, præſumi debet. Si tamen raſura afficeret locum, vel verbum ſubſtantiale , vitium Diplomatis , ex præſumptione , vitio id exhibentis poſſet adſcribi.

Quinta regula : *ſolæciſmus vitiat Apoſtolicum Reſcriptum.* ſancivit ita Lucius III. lib. I. Decretal. tit. III. de Reſcriptis cap. XI. per textum : *ad audientiam noſtram , Te ſignificante , pervenit , quod H.... de Sancto Stephano ſuper abſolutione ſua Literas Tibi (ut prima facie videbatur.) Apoſtolicas præſentavit , quibus , quoniam manifeſtum continent in conſtructione peccatum , fidem te nolumus adhibere.* Qua de cauſa ab eodem Alexandro Reſcripta Sanctorum Pontificum Zachariæ & Leonis rejecta fuiſſe teſtatur Epiſtola CXXVI. Innocentii III. quam allegâſſe ſufficiat, cum eam exſcribere non vacet. Aptius hîc denuò monentur ad moderamen judicii & linguæ nonnulli , qui dum latinitatis Magiſtros ſe eſſe ſibi adulantur, Diplomata Pontificia , ceu vitioſa Latinitate polluta laceſſunt , ne , dum Cicerones ſe jactitant , Socii illius Scipionis Gentilis evadant , quem Gonzalez Tellez (g) plautino ſale ita defricat : ô *impia Scipionis verba , qui ita audenter in ſacras Conſtitutiones irruis ? etſi enim aliquando ex incuria Typographi , aut Bibliopolæ irrepſit vitium Latinitatis , ideone arguendi , & increpandi ſunt Religionis noſtræ Summi Præſules , qui ſtatuerunt , adeo vitium Latinitatis alienum eſſe ſuis litteris , ut & eas vitiare decreverint ?*

(g) *In Lib. 1. Decret. tit. de Reſcrip. c. II. tit. I. fol. mihi* 111.

Sexta & ultima Regula eſt : *ſi tenor Diplomatis poſſit eſſe ſuſpectus , fiat collatio de falſa Bulla* (id eſt Sigillo .) *cum vera* . Bullam, ſeu Diploma ex falſo Sigillo nullam judicavit Alexander III. , dum de ſupra memorato Leonis privilegio ita loquitur : *Privilegium... propter Bullam* (ſeu Sigillum) *quæ â Bullis ejuſdem Leonis , quæ coram Nobis productæ fuerunt , omnino comparebat diſſimilis , cum illæ inter ſe comparerent per omnia ſimiles ,* ſuſpectum , & *fide* non dignum *judicavimus* . Modum autem , &

diligen-

diligentiam, qua Bulla vera, & ſuſpecta inter ſe confrontari debent, præſcribit, vel ex ſuo exemplo monſtrat Innocentius III. in Epiſtola Decretali, quæ partim legitur Lib.V. tit. XX: de Crimine falſi Cap. V. ubi ita fatur: *Bullam igitur hinc inde diligentius intuentes in ſuperiori parte, qua filo adhæret, eam aliquantulum tumentem invenimus, & cum filum ex parte tumenti ſine violentia aliqua aliquantulum attrabi feciſſemus, Bulla in filo remanente, filum ex parte alia fuit ab ipſa ſine difficultate aliquatenus avulſum, in cuius ſummitate adhuc etiam inciſionis indicium apparebat: per quod liquidò deprehendimus, Bullam ipſam ex aliis literis extractam fuiſſe, ac illis per vitium falſitatis inſertam ..... In cæteris diligens indagator falſitatem poterit intueri .... ſi Bulla non ſit æqualis, ſed alicubi magis tumida, & alicubi magis depreſſa.*

Hæc & alia de Bullarum categoria ſufficiant: plura tamen qui deſuper ambit, ſępiùs laudati P. Bremond præfationem conſulat, dum ego ad Brevium Apoſtolicorum materiam tranſeo, pariter in Caput unum & Sectiones plures ſegregandam.

CAPUT SECUNDUM

De Brevibus Apoſtolicis

PRÆNOTATIO.

CUM Brevia Apoſtolica quoad plura conveniant cum Bullis, veluti ſunt idiomatis, & ſtyli qualitas, tituli eorum, quibus Brevia inſcribuntur, præpoſitio Pontificiæ Salutis, & Benedictionis, clauſula *ad futuram, vel perpetuam memoriam*, Locus Datæ, Locus Loci, Annus Pontificatûs &c. nulla in ſequenti Capite de iis fiet mentio, ne crambe recoquatur, hinc & benevolus Lector ad dicta in præcedenti Capite circa ea remittitur.

SECTIO I.

De Brevium etymologià, uſu, & materiis, quæ per ea expediuntur: nec non de eorum materia externa, & charactere.

BReve penes Optatum Milevit. Lib. I. denotavit olim mobilium, & ſtabilium Inventarium: *Brevis auri & argenti ſedenti Cæcilio, ſicut delegatum fuerat, â Manſurio traditur*, quod & D. Benedicti Regula firmat, dum monet: *ex quibus Abbas Brevem teneat*. Jam verò in ſenſu Curiæ Romanæ, eſt Summi Pontificis Epiſtola, Breve nuncupata, vel, juxta Macrum, ex germanico vocabulo *Brief*, quod epiſtolam ſignificat, vel, juxta alios, ex brevitate verborum, qua in iis reſcribitur, & ideo Brevia, etiam Literæ in forma Brevis vocantur. Ex qua duplici opinione fluit Brevium genus, quod ſint breves Summi Pontificis Literæ, cui ad pleniorem definitionem pro differentia poteſt adjungi, quod ſint *Breves Summi Pontificis Epiſtolæ munitæ in cera rubra ſigillo, quod annulus Piſcatoris dicitur, & ſubſcriptæ à Secretario Brevium.*

Excludi proin debent â ratione talium Brevium aliæ Romanæ Curiæ Literæ, quantumvis in membranis exaratæ, quales ſunt, Monitoria Auditoris Cameræ, Brevia S. Pœnitentiariæ, Brevia, delegationes cauſarum extra Curiam concernentia &c., cum diverſam formam, diverſum Sigillum, diverſoſque habeant Miniſtros.

Uſum Brevium Apoſtolicorum jam ſub Cœleſtino III. & Paulo II. Eminentiſſimus Cardinalis Petra [h] deducit ex quadam Epiſtola Clementis IV. ſcripta ad Ægidium Groſſum, ſuum conſanguineum, ſub hiſce Verbis: *Non ſcribimus Tibi, nec Conſanguineis noſtris ſub Bulla, ſed ſub Piſcatoris Sigillo, quo Romani Pontifices in ſuis ſecretis utuntur*. Limitant ex hoc aliqui hujus uſûs initium, & non niſi Literas familiares in forma Brevis primò expeditas fuiſſe inferunt: at etiam negotia publica, ad Juſtitiam ſpectantia, & prolixâ diſcuſſione non indigentia, per Brevia expedita fuiſſe, cum aliis certius teneo.

(h) *In proœm. Comment. fol. mihi* 3.

Moderno jam tempore præter juſtitiæ materias, etiam gratias, per Brevia concedi, quotidiana docet praxis: conceduntur

duntur enim per ea Indulgentiæ, Altaria privilegiata, facultates tenendi Oratoria domeſtica, beneplacita pro alienationibus bonorum Eccleſiæ, quæ in redditu annuo ad decem Cameræ ducatos non aſcendunt: diſpenſationes ſuper interſtitiis, ætate, & defectu Natalium, quamvis talia etiam per Cancellariam ſub plumbo expediri ſoleant: Indulta pro Cardinalibus Legatis, & Nuntiis Apoſtolicis, pro Principibus, aliiſque juxta materiæ varietatem: Varia Officia pro Statu Eccleſiaſtico. Verbo: ea omnia, quæ per Papam conceſſa, vel ex regulis Cancellariæ, vel ex ſtylo non exigunt Literas ſub plumbo.

Exarantur in membrana ſubtiliore, alba, & pura, nunquam verò in papyro, inde Rebuffus impegiſſe videtur, dum Brevia indifferenter in papyro, vel in membrana ſcribi aſſeruit.

Character eorum eſt pariter elegans, nitidus, ac legibilis, ad ortographiæ leges formatus, & virgularum, punctorumque additione clarus.

SECTIO II.

De titulo Summi Pontificis, per Vocabulum Papa *in Brevibus expreſſo.*

DUM nomini in creatione aſſumpto Pontifex humilem *Servi Servorum* titulum in Bullis præponit, in Brevibus econtra nomen *Papa* adiicit, ex duplici ſuo ſignificato venerandum. In primo idem Papa eſt, ac *admirabilis*, gloſsâ in prœmio Clementinæ id ita teſtante: *Papa, id eſt, admirabilis. Et dicitur à Papè, quod eſt interjectio admirantis, & verè admirabilis, quia vices Dei in terris gerit*: In ſecundo verò, ex Græco Vocabulo Παππα, vel Πάππας, quod idem, ac *Pater* eſt. Communis olim erat pluribus hic titulus, nam in Concilio Chalcedonenſi Euticheti, ſimplici Abbati dabatur; in Affrica Epiſcopus Carthaginenſis eo utebatur; & in Ægypto Patriarcha Alexandrinus illius expreſſione, ſua Diplomata ita inchoabat: *Hierocla miſeratione Divina Papa, & Patriarcha magnæ Alexandriæ &c.* Tandem temporis ſucceſſu ſoli Romano Pontifici proprius decernebatur. Uſu autem, & obſervantia firmâ non manente, Gregorius VII. in Concilio Romano, quod in Bibliotheca Vaticana manuſcriptum aſſervatur, non niſi ſoli Romano Pontifici titulum *Papa*

deinceps

deinceps appropriari ſancivit, Græcis Schiſmaticis ſanctionem teſte Choniate attentè ſervantibus. Sunt, qui & tertium ſignificatum ex hoc vocabulo eruunt, & per id *Patrem Patrum* deſignari, haſque binas Syllabas Pa-Pa diſiunctivè intelligendas eſſe, aſſerunt. Horum tamen opinioni Macrus (*i*) contradicit, tam, quod hæc interpretatio græco vocabulo non correſpondeat, tam, quod Concilia in Literis ad Summos Pontifices datis, titulum *Patris Patrum*, *&* *Papæ* conjunctim contulerint; uti in ſpecie probat Epiſtola Synodi Epiri ad Papam Hormiſdam ſub ſequenti inſcriptione directa: *Synodus veteris Epiri Joannes, Mathæus, Conſtantius &c. Domino noſtro per cuncta Sanctiſſimo, & Beatiſſimo* Patri Patrum, *Comminiſtro ac Principi Epiſcoporum Hormiſdæ Papæ*, quæ repetitio, ut Cardinalis Baronius [*l*] advertit, facta non fuiſſet, ſi Papa, & Pater Patrum identicè ſeu Synonimicè convenirent. Diverſo huic ſenſui non me ingero, niſi quod utrumque conciliem, aſtruendo, quod, ſi titulus Patris Patrum Summo Pontifici ex græco & originario etymo nōn congruat, taliter tamen antonomaſticè Ille nuncupari debeat, cum omnium Primatum contineat.

(i) *In Hierol. verb. Papa fol. mihi 421. col. 2.*

(l) *In notis ad Martyrol. 10. Pan.*

Per extenſum in Brevibus titulus hic non ſcribitur, ſed per Literas P. P. exprimitur, uſu forſan deducto ab antiquo tempore, quo vocabulum in Gothorum adventu corruptum, ac brevitatis gratia per P. P., vel Pa. Pa. ſcriptum fuiſſe, nònnulli exiſtimant.

SECTIO III.

De Anno Domini, qui in Brevibus adnotatur.

DIverſum in diverſis Regnis, & Curiis fixum eſſe cardinem, ſecundùm quem Annus Domini calculatur, ſacra & profana prodit hiſtoria. Viget præſertim in Curia Romana hæc varietas, quam Eminentiſſimus Cardinalis Petra (*m*) ita adſcribit: *Videmus in eadem Urbe Romæ plures Stylos diverſos, nam in publicis actibus Notariorum, in teſtamentis, Contractibus &c. incipit Annus novus à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti: in Literis & Actibus Familiaribus, imò etiam Judicialibus omnium Tribunalium etiam ſacrarum Congregationum datur initium anno à die Cirumciſionis.... in Bullis à die Incarnationis*, videlicet XXV. Martii, prout

(m) *In proœm. Comment. fol. mihi 6.*

prout ſupra fol. XIV dictum eſt. Fixus jam ſtabiliſque etiam quoad Brevia Apoſtolica manet Stylus, cum regulariter â Nativitate Domini, id eſt XXV. Decembris, Annum auſpicentur juxta ea, quæ Concilium Colonienſe Anno MCCCX. Can. XXIII. ſancivit: *Statuimus etiam, ut ex nunc de cætero Annus Domini obſervetur, & Nativitate Chriſti innovetur &c.* Inde, ſi hoc anno MDCCXL. Breve Apoſtolicum Die XXVI. Decembris expediri contingeret, in eo legere erit *Datum*....... MDCCXLI. Ceſpitavit contra hanc regulam & Stylum Papebrochius, dum (*n*) in Brevibus annum a Kalendis Januarii inchoari ſcripſit.

Exprimitur annus, ita calculatus, in Brevibus numeris Romanis, &, ſi contrarium in Autographis deprehenderetur, ſuſpicionem falſi hæc ingererent, quamvis errores exemplorum incuriæ ſcribarum, vel etiam Typographi poſſint adſcribi.

Diſcrepant etiam Brevia â Bullis quoad Chronologiam in hoc, quod in illis data diei ante Annum, in hiſce verò poſt Annum Incarnationis ponatur.

(n) *Propyl. Maii part.* 1. *append.* 3. *fol.* 214.

SECTIO IV.

De Secretario, Brevia Subſcribente.

FUerat olim inſtitutum 24. Secretariorum Apoſtolicorum Collegium, cui munus Literas in forma Brevis expeditas ſubſcribendi incumbebat. Tandem vel uni ex dicto Collegio, vel etiam Prælato extra illud collata erat hæc poteſtas. Hac noſtra ætate ſubſcribit ea Secretarius, expreſsè conſtitutus, & ideo Secretarius Brevium nuncupatus, qui eò ipſo, quod gravia Papæ negotia per Brevia expediantur, ampla Sacrorum Canonum, Conciliorum, Apoſtolicarum Conſtitutionum ſcientia, & ſagaci quoad gratias, in Stylo Sanctæ Sedis concedi ſolitas peritia ſemper pollet.

Munus hoc aliquando Prælatos, aliquando (& quidem noviſſimè) Cardinales obiiſſe millena produnt Brevia: fungitur eo impræſentiarum Eminentiſſimus Cardinalis Dominicus Paſſioneus, in quo prætactam Canonum, juris &c. doctrinam eminere, non ſolùm Urbium Orbis Roma, jam dudum noverat, verùm etiam ſparſa hinc inde ab Eo in Pontificiis Legationibus monumenta clamant.

Brevia, quæ gratias continent communes, ſubſcribit hic

Secre-

Secretarius ex commiſſione generali, & facultate juxta Papæ arbitrium Ei conceſſa, quin recurſus ad Papam ſit neceſſarius. Si tamen expeditiones ſint gravioris momenti, ſupplicationes Papæ deſuper porrigi oportet, ad quas poſtea propria Papæ manu ſubſcriptas efformantur Brevia, expeditione earum in Regeſtis notata, & Matricibus, ſeu eorum Minutis (uti eas vocant) in ſuo Archivo ad expeditionis certitudinem aſſervatis.

SECTIO V.

De Annullo Piſcatorio.

ANnulus Piſcatorius unum ex Papalibus Sigillis eſt, ex aurô confectum, cujus impreſſione Brevia Apoſtolica in partem â Bullis diſtinguuntur, & quod Annulus Piſcatorius vocatur, tàm, quod ad modum Annuli duobus uncinis collateraliter de plano ad manubrium convexis, huicque inſitis firmetur, tam quod D.Petrum in mari piſcantem, ſeu retia in id ê navicula laxantem exhibeat. Cuſtoditur plerumque ab intimo Papæ Familiari, ſeu Magiſtro Pontificiæ Cameræ: inde Secretarium Brevium, horâ matutinâ conſuetâ ad audientiam Papæ euntem comitatur Officialis, Brevia confecta portans, qui receptum â Cuſtode Sigillum, ceræ ad id in media plicatæ pergamenæ extremitate aptatæ imprimit. Papâ defuncto in prima Vaticanæ Aulæ Congregatione id cum Sigillo, quod Plumbum dicitur, â Magiſtro Cœremoniarum malleo confringitur, auro, & argento confringentis juri cedente.

Cum Sigillum taliter impreſſum facilè amoveatur, aut aliàs ex calore, figuræ, & nomen Papæ, in circumferentia expreſſum aliquando diffluant; Brevia, Secretarii charactere in fidei ſubſidium communiri proviſum eſt, cum hoc attento, viſoque levi Sigilli veſtigio Brevia communiùs plenam ſibi concilient fidem, auctoritate, & probata Subſcribentis fide neminem de eorum valore dubitare ſinente.

ELEN-

ELENCHUS SUMMARIORUM

Quæ Literis Apoſtolicis, Decretis &c. in hoc I. Tomo contentis præponuntur.

SUB CLEMENTE VII.

PAtribus Reformationis, quæ Capucinorum poſtea fuit nuncupata, indulgetur, ut petitâ prius (licèt non obtentâ) ſuorum Patrum Superiorum licentia, extra Ordinis Conventus in locis ſolitariis vivere poſſint; & ne in hac vivendi ratione turbentur, Epiſcopi Camerinenſis juri, ac tutelæ commendantur. *Fol.* 1.

Reformationem Capucinam à PP. Obſervantium Ordine ſeparat: eam ſub PP. Conventualium directione conſtituit: illi modum vivendi, veſtiendi &c. præſcribit, ac tam FF. Minorum, quàm Camaldulenſium privilegia, generica & ſpecifica, conceſſa, & concedenda, æque principaliter communicat. 3.

Confirmat, & enumerat nonnulla PP. Camaldulenſium Privilegia, Indulta &c. Capucinis reſpectivè con-propria, ſeu æquè principaliter conceſſa. 5.

Nonnullis PP. Obſervantium ex fama, quod Fratres noſtræ Congregationis S. Regulam ad literam obſervare vellent, conturbatis, Fr. Ludovico, & ejus Sociis, ne deinceps Obſervantes, aut nova loca ſine ſpeciali Sanctæ Sedis licentia reciperent, inhibet. 11.

SUB PAULO III.

Religione PP. Obſervantium ob continuum ſuorum ad novam reformationem tranſitum, ſemper magis concuſsâ, Capucinis interdicit, ne Profeſſores de Obſervantia, vel de quavis alia Religione, nec loca, nec Domus, uſque ad Generale PP. Obſervantium Capitulum recipiant. 12.

Capucinis receptionem aliorum Religioſorum (PP. Obſervantibus uſque ad eorum Capitulum Generale duntaxat exceptis) non amplius interdictam eſſe, declarat. 13.

Attento Capituli Generalis Statutô, quo Rmus Pater Miniſter Generalis, & Vocales de Obſervantia, Fratribus ſuis, arctiorem vitam ducere volentibus, congrua loca à Provincialibus Capitulis in dictum finem aſſignanda eſſe, ſancivêre, Capucinis receptionem PP. Obſervantium ſine Sanctæ Sedis, aut RR. PP. Miniſtri, aut Commiſſarii Generalium ſpeciali licentia noviter interdicit. 14.

Decernit, ut, ſi juxta Capituli Generalis, à Patribus de Obſervantia celebrati Sanctionem, Capitula eorum Provincialia, intra duos menſes Fratribus, arctiorem vitam ducere volentibus, non aſſignaverint, liberè hi ad Fratres Capuciatos, ſeu Capucinos tranſire poſſint. 15.

Electionem P. Bernardini Aſtenſis in Vicarium Generalem confirmat, & ſub pœna excomunicationis omnibus indefinitè prohibet, ne Habitum à Capucinis deferri ſolitum geſtent, niſi ſub obedientia, & cura ejuſdem P. Bernardini conſiſtant. 16.

Confirmat Literas Apoſtolicas de erectione noſtræ Congregationis à Clemente PP. VII. conceſſas: Sancit, ut Vicarius Generalis electus, intra triduum, à Rmo P. Magiſtro Generali Conventua-

e lium,

lium, uſque ad aliam S. Sedis diſpoſitionem, confirmetur: quid juris huic in Capucinos competat, ſpecificat: omnibus & ſingulis, ne dictum P. Vicarium Generalem, vel Fratres ſub ejus obedientia viventes ullo modo moleſtent, inhibet: & quod Vicarii Generales ſeu Provinciales, à Miniſtris Generalibus, ſeu Provincialibus non niſi nomine differrent, ac ideo Fratres talibus Vicariis obedientes, præcepto Regulæ, *ut obediant ſuis Miniſtris*, plenè ſatisfaciant, declarat. 17.

Statutum Capituli Generalis, quo Pater Ludovicus à Foroſempronio, intra præfixum terminum, aut obedire, aut de Religione diſcedere juſſus eſt, ratihabet. 21.

Ne Fratres ad partes Ultramontanas uſque ad Capitulum Generaliter celebrandum, ſe propagent, prohibet.

Ne Capucini, Fratres de Obſervantia ſine ſpeciali ſuorum Superiorum licentia in ſcriptis habita recipiant, ordinat. 23.

SUB JULIO III.

Ne Patres de Obſervantia Capucinos ſine ſcripta pariter licentia recipiant, viciſſim mandat. 24.

SUB PIO IV.

Ordinem noviter approbat, privilegia à fel. rec. Clemente VII. & Paulo III. ei conceſſa confirmat, & ne ullus, Capucinorum Habitum, vel illi ſimilem portare præſumat, ſub cenſuris, aliiſque juris remediis prohibet. 25.

Julium de Ruverio, Cardinalem de Urbino nuncupatum, vivente adhuc Rudolpho Pio, Cardinale de Carpo, totius Religionis Minoritanæ Protectore, Ordinis noſtri Vice-Protectorem, & illo mortuo ſpecialem hujus Protectorem deſtinat. 28.

SUB PIO V.

Ut Fratribus, ad Inſulam Cretæ ſe propagare volentibus, Conventus inibi ædificetur, Epiſcopo Agienſi committit. 30.

Vivæ Vocis Oraculo, Statutum Capituli Generalis confirmat, & P. Procuratori Curiæ, utramque vocem in Capitulis Generalibus competere, decernit. 31.

Ne ullo unquam tempore, aut ulla quacunque cauſâ FF. Capucini ad PP. Minimos S. Franciſci de Paula, nec hi ad illos ſe transferre poſſint, ſub Pontificiæ indignationis pœna prohibet. 31.

Vivæ Vocis Oraculo concedit, quod non obſtantibus conſtitutionibus à ſe editis, Fratres æquè Officia propria, ac Miſſas de Sancto P. Franciſco, aliiſque Ordinis Sanctis dicere poſſint, ita tamen, ut talia Officia, & Miſſæ propriæ, Miſſali Romano non apponantur, ſed ſeorſim habeantur. 33.

Fratres triginta ad Claſſem Pontificiam contra Turcas pro Spirituali Militis ſubſidio deſtinatos, ampliſſimis Privilegiis communit. 33.

SUB GREGORIO XIII.

Revocat Conſtitutionem fec. rec. Pauli III. qua noſtram Religionem ultramontes propagari inhibuit, tribuitque facultatem per Gallias, ac omnes Orbis partes, Loca, Cuſtodias, Provincias &c. erigendi. 34.

Julium Antonium Cardinalem S. Severinæ, Ordinis Vice-Protectorem Capituli Generalis Præſidem deputat. 35.

Prohibet, ne Tertiari FF. Minorum Conventualium, præſertim in Regno Siciliæ degentium, Habitum, Capucinorum Habitui conſimilem deferant. 36.

Decreto Fratres S. Joannis de Deo, Habitum ſimilem Habitui Capucinorum geſtare prohibentur. 37.

SUB SIXTO V.

Pro Feſtis SS. P. Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, Bernardini, & Claræ, in Eccleſiis Ordinis noſtri &c. tam pro Fratribus, Monialibus, quàm cæteris utriuſque Sexus Chriſtifidelibus, plenariam

nariam Indulgentiam concedit perpetuam. 39.

Patri Magiſtro Generali Ordinis Conventualium, Confraternitatem Cordæ S. Patris Franciſci in Eccleſiis noſtris erigendi, ac Archiconfraternitati Aſſiſii cum omnibus Indulgentiis aggregandi, facultatem impertitur. 40.

Ne FF. de Obſervantia ſine ſpeciali Romani Pontificis, ſeu Miniſtri Generalis, aut Provincialium licentia, ad Capucinos ſe transferant, &, ne, hi tales, ſe transferentes recipiant, aut retineant, noviter cavet. 42.

SUB GREGORIO XIV.

Vivæ Vocis Oraculo, Vicariis Generalibus, & Provincialibus indulget, ut quocunque tempore, & extra Capitula, Sæculares ad Ordinem recipere poſſint. 43.

Fratrum quieti ut conſulat, eos à Sæcularium Confeſſionibus excipiendis eximit. 44.

Inherendo Prædeceſſorum ſuorum literis, omnibus in genere, & in ſpecie Fratribus Reformatis, Ordinis FF. Conventualium nuncupatis, ac Eremitis vagis, & Acephalis prohibet, ne Capucinorum Habitum, vel ei conſimilem geſtent. 45.

Indulgentias ſpeciales Coronis, Roſariis, Granis, Numiſmatibus, quæ Medallias appellant, & Crucibus, ad Fratrum noſtrorum inſtantias benedictis impertitur. 46.

SUB INNOCENTIO IX.

Vivæ Vocis Oraculo, omnia Ordinis Privilegia, S. Regulæ non adverſantia, confirmat, & Novitios ante habitûs ſuſceptionem â quibuſcumque caſibus abſolvendi facultatem concedit &c. 47.

SUB CLEMENTE VIII.

Fratres duodecim cum Clericis Regularibus &c. ad Hungariæ bellum, contra Turcas, ablegat, iiſque amplas impertitur facultates. 48.

Eorum facultates, aliàs pro Milite Pontificio duntaxat conceſſas, ad omnes aliarum legionum Milites, & Chriſtifideles quoſcunque extendit. 48.

Franciſcum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem de Jojoſa, Gallum, Ordinis Protectorem conſtituit. 49.

Moderatur Conſtitutionem Papæ Gregorii XIV. quâ Fratribus, à Sæcularium Confeſſionibus excipiendis abſtinere indulſit, & P. Miniſtro, ac Definitorio Generalibus concedit, ut de Capitulo Generali, ad Capitulum Generale, Fratres ad hoc Sacramentale Miniſterium deſtinent. 49.

SUB PAULO V.

Fr. Anſelmum Monopolitanum Ordinis noſtri Alumnum, & S. R. E. Cardinalem, Capituli Generalis Præſidentem deputat. 50.

Venerabilem Dei Servum Fratrem Laurentium à Brunduſio, Ordinis ex-Generalem, ad partes Germaniæ abeuntem Apoſtolica Verbum Dei ubique prædicandi facultate communit. 51.

Eidem ad Cæſareum exercitum, in Hungaria contra Turcas Militantem tranſeunti, diverſas & ſpeciales facultates impertitur. 52.

Privilegium trium Altarium cuilibet Provinciæ Ultramontanæ conceſſum, ad omnes Provincias erectas, & erigendas, extendit. 52.

Pro Oratione quadraginta horarum in noſtris locorum Ultramontanorum Eccleſiis inſtituta, Populo Indulgentiam Plenariam, & Confeſſariis amplam abſolvendi facultatem concedit. 54.

Prohibet, ne Religioſi Ordinis B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Fratres noſtros ad ſuum Ordinem recipiant. 55.

Decreto Laicis, præſertim Ordinis Capucinorum, & in Provinciis Regni Siciliæ, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, ut Cleri-

Clericis quibuſcunque locum ſemper & ubique cedant. 56.

Capucinos eſſe verè Fratres Minores, & Filios S. P. Franciſci, ac eorum Conſtitutiones nihil contra S. Regulam continere, declarat: utque circa hoc, ab Eccleſiæ Prælatis defendantur, & contradictores cenſuris Eccleſiaſticis, ac etiam auxilio brachii Sæcularis coerceantur, decernit. 57.

Præmemorato V. Dei Servo P. Laurentio à Brunduſio ad exercitum à Germaniæ Principibus conductum ſecedenti, ſpirituales facultates noviter largitur. 58.

Alexandrum Perettum Cardinalem Montaltum nuncupatum, S. R. E. Vice-Cancellarium Ordinis Protectorem deputat. 58.

P. Hieronymo à Caſtro Feretti Ordinis noſtri ex-Generali, ut Eremum Camaldulenſem in Hetruria viſitet, committit. 59.

Capucinis, ut ubique in proceſſionibus ſub propria Cruce incedant, concedit. 60.

Ne Capucini deinceps Monialium curam, vel ſpiritualem, vel temporalem ſuſcipiant, præcavet, & quod ad talem ſuſcipiendam, nulla auctoritate poſſint, vel debeant compelli, ſancit. 60.

Ut P. Miniſter Generalis ſuum Officium, quod aliàs ad quinquennium duntaxat durabat, ad ſexennium protrahat, ſtatuit: ut ille (ſicut, & P. Procurator Generalis) Socium Nationis Gallicæ teneat, ordinat; & ne in ſuæ viſitationis curſu graviora abſque Capitulo Provinciali decidat, jubet. 61.

P. Miniſtrum Generalem, ab omni Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis, Patrum Conventualium dependentia, eximit. 62.

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. negotiis præpoſitæ, Ordini facultatem Sæculares ad tertii Ordinis Habitum recipiendi competere, declaratur. 63.

Indulgentiam plenariam pro Oratione Quadraginta Horarum, in Eccleſiis Provinciarum Ultramontanarum inſtituta, confirmat, eamque ad Eccleſias Cathedrales, in quibus per adventum, vel quadrageſimam Fratres concionantur, & per eos Oratio memorata inſtituitur, extendit. 63.

SUB GREGORIO XV.

Vivæ Vocis Oraculo, Auctoritatem P. Miniſtri Generalis ubique locorum, & in utroque foro, integram & inviolatam permanere debere, derogando Pauli V. Sanctioni declarat. 64.

Innovat Conſtitutiones Apoſtolicas fel. rec. Gregorii XIII. & Gregorii XIV. mandatque Ordinariis locorum in Regnis Hiſpaniæ, Franciæ, aliiſque Regnis & Provinciis Italiæ, ne aliis quibuſvis Religioſis, cujuſcunque Ordinis, Societatis, & Inſtituti Regularibus, ſub quovis prætextu in poſterum, nomen vel Habitum FF. Capucinorum ſibi uſurpare permittant, ſed editas deſuper Conſtitutiones per Eccleſiaſticas cenſuras, & pœnas obſervari faciant. 64.

Indulgentiam Plenariam, die ſecunda Auguſti pro noſtris Eccleſiis ad perpetua futura tempora concedit. 69.

Vivæ Vocis Oraculo declarat, quod ſua Conſtitutio, *Romanus Pontifex* Papalium Oraculorum revocatoria, res Ordinis noſtri non afficiat. 69.

Ludovicum Cardinalem Ludoviſium, ſuum ex Germano Fratre Nepotem, & S. R. E. Vice-Cancellarium, Ordinis Protectorem conſtituit. 70.

SUB URBANO VIII.

Fr. Antonium, Provinciæ Tuſciæ Guardianum, & ſuum ſecundùm carnem Fratrem Germanum, ſibi de exaltatione ad Pontificatum gratulantem, Romam aſciſcit. 70.

Ut Fratres Strictioris Obſervantiæ per Italiam, depoſitis ſoleis, ad diſtinctionem Capucinorum, Calopodia reaſſumant, præcipit: utque Fratres recollecti Galliæ depoſito Capucio acuminato, Capucium rotundum, & largiorem mozzetam portent,

tent, Apoſtolicis memorati Regni Nuntiis exiſtentibus, & extituris, curandum committit. 71.

Confirmat Decretum S. Congregationis Concilii, editum contra nonnullos Epiſcopos, à Miniſtris Provincialibus prætendentes, ut in literis, quibus ſuos Clericos, ad SS. Ordines recipiendos mittunt, non ſolum ipſis (Epiſcopis) obedientiam ſpondeant, ſed etiam juridicam fidejuſſionem præſtent de ſubminiſtrando talibus Fratribus Ordinis victu, & veſtitu, in hypoteſi, quod vel Religionem defererent, vel ab ea defererentur. 72.

A' Sancto Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis Tribunali PP. Miniſtris Provincialibus Provinciarum Ultramontanarum facultas conceditur, in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, contra ſuos ſubditos procedendi. 73.

Ad inſtantias P. Miniſtri Generalis concedit, ut Officium S. Conradi, Tertii Ordinis S. Franciſci, ab omnibus, & ſingulis Ordinis Minorum S. Franciſci Religioſis, ſub Ritu ſemiduplici in ejus die feſto recitari poſſit. 74.

Ut Venerabilis Servus Dei Felix à Cantalicio, Beatus nuncupetur, ejuſdem Beatificationis Solemnia publicè peragantur, ac Officium, & Miſſa de eo variis in locis, & Eccleſiis dicantur, decernit. 75.

Facultatem dicendi Officium, & Miſſam de B. Felice à Cantalicio, ad pauca loca, & Eccleſias ſuprà reſtrictam, ad omnes Ordinis Eccleſias, & Fratres extendit. 76.

Conſtitutionem, qua PP. Paulus V. Capucinos, veros S. P. Franciſci filios eſſe declaravit, confirmat; eos inſuper, ex vera, & nunquam interrupta ejuſdem S. Patris linea originem trahere decernit, & contradictores cenſuris, ac aliis poenis &c. compeſci debere ſtatuit. 77.

Indultum recitandi Officium, & celebrandi Miſſam de B. Felice à Cantalicio in ejus Feſto, ad omnes Sacerdotes, ad Eccleſias noſtras confluentes, ampliat. 78.

Ne Fratres abſque ſpeciali Sanctæ Sedis licentia, ad laxiorem, & ſine licentia P. Miniſtri Generalis ſcripta, ad Chartuſienſium, vel alium quemcunque Ordinem tranſeant, prohibet. 79.

Infirmat Decretum ultimi Capituli Generalis, circa electionem P. Procuratoris editum, ſtatuitque, ut hæc, quæ à ſolis PP. Definitoribus Generalibus hactenus facta fuit, in poſterum pariter ab his, & non à toto Capituli corpore, fiat. 80.

Vivæ Vocis Oraculo, quod tam Novitii, quàm Juvenes Profeſſi per primum Religionis quadriennium Guardianis, eorum Magiſtris confiteantur, confirmat; ita tamen, ut iis quinque vel ſex vicibus in anno, confeſſarius extraordinarius offeratur. 81.

Quod Laici Profeſſi, Clericos Novitios præcedere debeant, decernit. 81.

Decreto Sac. Congreg. Concilii, in Eccleſiis Ordinis Cadavera Sæcularium ſepeliri poſſe declaratur. 82.

Ut contagione celebrationem Capitulorum Provincialium in aliquibus Provinciis impediente, PP. Provincialis & Diffinitores neceſſarias proviſiones faciant & Guardianos eligant, concedit. 84.

Fratribus cujuſcunque ſint Provinciæ (Romana excepta) acceſſum ad Almam Urbem, abſque licentia, vel ab Eminentiſs. Protectore, vel à PP. Miniſtro, Vicario, ſeu Procuratore Generalibus in ſcriptis habita prohibet. 85.

Ob contagionem in diverſis Italiæ partibus graſſantem, Capitula Provincialia omitti indulget, &, ut Provinciales, Diffinitores, & Guardiani per ſchedulas, Romam PP. Vicario, & Procuratori Generalibus mittendas eligantur, ſancit. 86.

Defuncto P. Hieronymo à Narnia, P. Franciſcum à Janua Procuratorem Generalem Ordinis, ſimul in Vicariatus Generalis Officio, ſubſtituit. 87.

Fratrem Antonium, ſuum ſecundum carnem fratrem Germanum, Cardinalem S. Onuphrii nuncupatum Ordinis Protectorem, deputat. 88.

Patri Miniſtro Generali, facultatem

Guar-

Guardianos in actu celebrationis Capitulorum Provincialium eligendi, tribuit. 89.

Statutum Capitulare, quod eveniente morte Patris Miniſtri Generalis, primus Diffinitor, & caſu, quod vel hic è vivis diſceſſiſſet, ſecundus in gubernio Ordinis ſuccedere, idemque reſpectivè in morte Patris Miniſtri Provincialis obſervari debeat, confirmat. 90.

Ut Miniſter Provincialis Provinciæ, in qua Patrem Miniſtrum Generalem mori contigerit, hujus mortem P. Procuratori Generali intimet, & Sigilla ac Scripturas P. Diffinitori, qui Vicarius Generalis eſſe debet, tranſmittat; Pater Procurator Generalis verò Capitulum Generale convocet, approbat. 91.

P. Miniſtro Generali, ut in ſuæ Viſitationis curſu, Commiſſarios, & Miniſtros Provinciales ſine concurſu Capituli conſtituere poſſit, neceſſitate id exigente, facultatem tribuit, ita tamen, ut de hac conſtitutione, ſeu deputatione Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem reddat certiorem. 92.

P. Joannis à Moncalerio Electionem in Miniſtrum Generalem ratihabet, & defectum PP. Vocalium Regni Franciæ ſupplet. 93.

Vivæ vocis Oraculum, quo fel. rec. Gregorius XV. auctoritatem P. Miniſtri Generalis ubique locorum, integrè conſervari debere ſtatuit, Apoſtolici Brevis robore communit. 93.

Ut Laici jam profeſſi finito quadriennio, & deinceps profeſſuri, non niſi expleto ſeptennio, ad electiones concurrant, decernit. 95.

Conſtitutiones pro bono Ordinis gubernio in Capitulo Generali 1536. factas, inſertis poſtea variis Concilii Tridentini & Summorum Pontificum ſanctionibus typis re-impreſſas, & denuo decretis fel. rec. Clementis VIII. Regularium reformationem concernentibus adauctas, confirmat. 95.

Prohibet, ne quis, quacumque auctoritate polleat, Libros, quinterna, aut folia, ſive impreſſa, ſive manuſcripta ex noſtris Bibliothecis extrahat, & P. Miniſtro Provinciali, & Diffinitoribus unitim facultatem tribuit, libros inutiles cum licentia dantium, vel hæredum per Syndicos in utiles permutandi. 96.

Decreto Sacræ Congregationis Rituum Proceſſum de non cultu Ven. Dei Servi Fr. Raynerii Tudertini formandi facultas datur. 97.

Indulgentiis Orationis quadraginta Horarum per noſtros concionatores inſtitutæ jam plenariè conceſſis, alias partiales ſuperaddit. 98.

Ex qualibet Provincia Patrem Miniſtrum Provincialem cum duobus PP. Cuſtodibus ad Capitulum Generale deinceps ablegari poſſe, decernit, ita tamen, ut pro ratione Provinciarum in partibus Ultramontanis multiplicatarum decem Italiæ Provinciis privilegiatis, vota ſupernumeraria reſtituantur, & ne deinceps fundatio, vel diviſio Provinciæ, abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu in Religione fiat, mandat. 98.

Conſtitutiones Ordinis in Capitulo Generali 1643. ampliatas & à S. Congreg. Epiſc. & Regul. approbatas confirmat, iiſque perpetuæ inviolabilis, & Apoſtolicæ firmitatis robur, adiicit. 100.

Per Eminentiſſimum Antonium Cardinalem S. Onuphrii, Ordinis Protectorem Miniſtris Provincialibus facultatem tribuit de conſenſu Patrum Seniorum ejiciendi ab Ordine incorrigibiles, declaratque, quod non obſtante Decreto Sacræ Congregationis Concilii, ſufficiat aſſenſus Patris Miniſtri Generalis, etiam per literas miſſivas habitus. 101.

SUB INNOCENTIO X.

Bernardinum Epiſcopum Albanenſem S. R. E. Cardinalem Spada nuncupatum, Ordinis Protectorem renuntiat. 102.

Derogat Conſtitutioni Urbani VIII., & Laicis vocem activam, & paſſivam terminato Religionis quadriennio reſtituit. 101.

Bibliothecas debitè inſtrui, & Libros ſuper-

ſuperfluos, ad alios Conventus, iis carentes, juxta Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris arbitrium mitti, concedit. 103.

Decreto Sac. Congreg. Epiſc., & Regular. Cadavera Sæcularium, Habitu noſtri Ordinis veſtiri poſſe, declaratur. 104.

Decreto Sac. Congreg. ad Indicem Librorum &c. deputatæ, Annales Ordinis noſtri à P. Zacharia Boverio compoſitos, juxta correctionis exemplar re-imprimi poſſe &c. declaratur. 105.

Duo Fratres profeſſi, qui abſque S. Sedis, & Superiorum ſuorum licentia ad PP. Obſervantes tranſierunt, declarantur Apoſtatæ, & nulla reputatur Profeſſio inter ipſos emiſſa. 105.

SUB ALEXANDRO VII.

Ne ex noſtris Bibliothecis Libri, quinterna, folia &c. extrahantur, vel extra Ordinem commodentur, ſub excommunicationis, ac privationis &c. pœnis noviter prohibet. 106.

Duos Fratres carnales non poſſe inſimul eſſe Diffinitores, nec unum alteri in Provincialatus Officio immediatè ſuccedere decernit. 107.

Decreto Sac. Congreg. Epiſcop. & Regular. &c. Conventus, in quibus plures quàm ſex Fratres degunt, in Decreto S. mem. Innoc. X. *Ut in parvis &c.* non comprehenſos eſſe declaratur. 108.

Confirmat Indulgentias 40. Horarum pro Provinciis Ultramontanis, & facultates abſolvendi reſtringit. 109.

Cultum B. Felicis à Cantalicio, Oppido Cantalicio à Papa Urbano VIII. conceſſum, ad univerſam Civitatis Ducalis Diœceſin extendit. 109.

Hieronymum S. R. E. Cardinalem Farneſium Ordinis Protectorem conſtituit. 110.

Literis Apoſtolicis, Agros, domos &c. à nobis privatim benedici poſſe confirmatur. 110.

Ne Fratres ad aliam Religionem tranſeuntes, in Provincia, in qua Profeſſionem emiſère, vel Habitum portavère, commorentur, ſancit. 111.

SUB CLEMENTE IX.

Inſtante Eminentiſſimo Domino Hieronymo Cardinale Farneſio, Ordinis Protectore, varia Capituli Generalis Decreta confirmat. 112.

Carolum S. R. E. Cardinalem Bonellum Ordinis Protectorem deſignat. 114.

Decreto Sac. Congreg. Rituum, Statuas, Imagines &c. Divi Antonii Patavini in Ordinis noſtri Habitu publicè exponi poſſe, declaratur. 115.

Cardinali Protectori circa nonnullos ſuæ Conſtitutionis incip. *Debitum Paſtoralis &c.* Articulos diſpenſandi facultatem largitur. 118.

Viſitantibus Eccleſias Fratrum, & Monialium Ordinis in Feſto S. Petri de Alcantara Ordinis FF. Minorum Strictioris Obſervantiæ, Indulgentiam Plenariam concedit, conceſsione ad perpetua futura tempora valiturâ. 119.

Derogat Conſtitutioni, qua occurrente morte P. Miniſtri Generalis Viſitationem Provinciarum à primo P. Diffinitore Generali uſque ad ſeptennii complementum continuari debere ordinavit, & e contra innoteſcente P. Min. Generalis morte illico Capitulum Generale pro eligendo Succeſſore convocandum eſſe, juxta Conſtitutionum tenorem decernit. 120.

SUB CLEMENTE X.

Fridericum S. R. E. Cardinalem Borromæum in munere Protectoris ſubſtituit. 121.

Decreto Congregationis particularis quorundam Emin. Cardinalium à Sanctiſſimo approbato ſpecificantur graviora negotia, à Reverendiſſima Diffinitione Generali, Romæ reſidente, decidenda, atque hanc à ſubjectione Superioris Localis exemptam, ac immediate P. Miniſtro Generali, aut in ejus abſentia P. Procuratori Generali ſubordinatam eſſe, declaratur. 121.

Quod

Quod tam Fratres, quàm Moniales Ordinis noſtri ſingulis menſibus, die non impedita, Officium de S. Clara ſub Ritu ſemiduplici recitare poſſint, indulget. 122.

Recurſum extra Ordinem, pro Officiis vel obedientiis obtinendis ſub excommunicatione prohibet. 123.

Jacobo S. R. E. Cardinali Roſpiglioſo Ordinis tutelam committit. 124.

Decreto Sac. Congreg. Rituum, â Sanctiſſimo confirmato, reaſſumptio proceſſus de non cultu Ven. Servi Dei Fratris Jeremiæ â Vallachia conceditur. 124.

Quod nobis æquè, ac PP. Tertiariis &c. Perſonas Sæculares ad Tertium, â S. Patre Franciſco inſtitutum Pœnitentiæ Ordinem recipere competat, annullatâ alia ſuâ Conſtitutione incip. *Exponi Nobis &c.* x. Oct. MDCLXXII. edita, reſciſſiſque quibuſcunque Literis, & Statutis in contrarium decernentibus, declarat. 125.

Fratribus ad Miſſionibus ablegandis, & populo Miſſionis exercitia accedenti Apoſtolicam Benedictionem, confeſſis inſuper, & communicatis Indulgentiam plenariam largitur, mandatque locorum Ordinariis, & Eccleſiarum Rectoribus, ut Literas Apoſtolicas populo copioſiùs congregato publicent, ac Miſſionarios auxilio ac favore proſequantur. 126.

Ordinandi Capitula ſeſquiennalia, ſecundùm Provinciarum exigentiam, P. Miniſtro Generali facultatem tribuit, & ab hoc, & non â Provinciis exigentiam talem determinari debere, declarat. 127.

SUB VEN. DEI SERVO INNOCENTIO XI.

Nicolao S. R. E. Cardinali Acciajolo Protectoris munus confert. 128.

Decreto Congreg. S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis, ne Fratres ſub prætextu deponendi coram S. Officio, Almam Urbem accedant, cavetur. 129.

F. Emericum Provinciæ Auſtriaco-Hungaricæ Diffinitorem &c. Epiſcopum Viennenſem renunciat. 129.

Decreto Sac. Congreg. Epiſcop. & Regular. Conſuetudo Habitum Religionis etiam in periculoſis infirmitatibus deferendi, contra Scripturam Manzanedæ Medici ratihabetur. 131.

Decreto Sacræ Rituum Congregationis, terminus perficiendi proceſſum de vita, virtutibus, & miraculis Ven. Servi Dei Bernardi á Corleone Laici extenſus, â Sanctiſſimo confirmatur. 131.

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Sacriſtias, Viridaria, Pomaria, Hortos, & Sylvas Conventibus noſtris contiguas ſub clauſura comprehendi, vel Mulieres ingredientes, aut eas introducentes pœnis contra violatores clauſuræ ſubiici, decernitur. 131.

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. circa Eremitas Habitu, vel Capucio Franciſcano abutentes, & circa receptionem, vel inveſtitionem eorum, Apoſtolicas Conſtitutiones obſervari ſancitur. 132.

Ut Oratio quadraginta Horarum in Provinciis Ultramontanis noctis tempore interpoletur, indulget. 134.

P. Bonaventuræ â Recineto, Officium Procuratoris Gener. renuncianti P. Franciſcum â Peruſia ſubſtituit. 134.

Indulgentiam plenariam pro Miſſionibus volantibus conceſſam, Animabus Defunctorum per modum Suffragii applicari poſſe, concedit. 136.

Indulgentiam, Portiunculæ nuncupatam, â fel. rec. Gregorio XV. pro vivis in perpetuum conceſſam, etiam animabus Defunctorum per modum Suffragii applicari poſſe, in perpetuum pariter indulget. 136.

SUB ALEXANDRO VIII.

Conſtitutionem PP. Innocentii XI. de Miſſionariis Capucinis editam confirmat, &, ut hi tempore, & in actu Miſſionum, Confeſſiones Sæcularium excipiant, ſtatuit. 137.

SUB INNOCENTIO XII.

Decreto Sac. Rituum Congregationis â Sanctiſſimo confirmato, elogium B. Felicis

licis antiquum novis Martyrologii editionibus apponi, conceditur. 138.

Conſtitutionem Alexandri PP. VII. de Fratribus ad aliam Religionem tranſeuntibus editam & fol. III. videndam confirmat: iis, qui tales in Provinciis collocant, vel retinent, pœnam dictat, ac huic Conſtitutioni nunquam per clauſulas generales derogari, declarat. 139.

Conſtitutionem Urbani PP. VIII. circa tranſitum Fratrum ad aliam Religionem emanatam, & fol. 79. poſitam confirmat, ac eam etiam in tranſitu ad RR. PP. Ciſtercienſes Reformatos (vulgò de la Trappe) obſervari debere, ſub cenſuris mandat. 140.

SUB CLEMENTE XI.

Fr. Rupertum, Provinciæ Tyrolenſis Alumnum, Epiſcopum Aulonenſem, cum Suffraganeatu Eccleſiæ Paſſavienſis in Germania, creat. 142.

Fr. Angelum Bruxellenſem Provinciæ Flandro-Belgicæ Alumnum ad Mytras Ruremundenſes & Primatum Geldriæ, evehit. 143.

Tria Decreta, quibus à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regul. Nobis jus Tertium Ordinem inſtituendi competere, fuit deciſum, Apoſtolica confirmatione, communit. 144.

Decretum Sac. Congreg. Rituum de Canonizatione B. Felicis à Cantalicio expediri jubet. 145.

Decreto Eminentiſſimi Domini Nicolai Cardinalis Acciajoli Ordinis Protectoris declaratur, illa noſtrarum Conſtitutionum verba: *quod Clerici ad Habitum recipiendi communiter habere debeant* XVII. *annos completos*, taliter debere intelligi, ut in aliquo caſu particulari liceat eos recipere ante annum XVII. completum. 146.

Fr. Carolum Bruxellenſem Provinciæ Flandro-Belgicæ Alumnum, Eccleſiæ Brugenſi Epiſcopum deſtinat. 147.

Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſuper Canonizatione B. Felicis à Cantalicio exquirit. 147.

Fr. Athanaſium Provinciæ Pariſienſis Alumnum, Inſula Graſſenſi inſignit. 148.

Fr. Franciſcum Mariam ab Aretio, Provinciæ Tuſciæ Alumnum, S. R. E. Cardinalem creat. 194.

Decreto Sac. Congreg. Rituum B. V. Maria ſub Myſterio Sanctiſſimæ, & Immaculatæ Conceptionis ſeu principalis Patrona, Protectrix Ordinis inſtituitur, & ejus Feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis celebrari conceditur. 150.

Reſcripto Patri Miniſtro Generali electiones, quæ forſan ratione Belli, aut aliorum caſuum canonicè factæ non fuère, ſanandi, & validandi copiam facit. 152.

Indulgentiam plenariam pro Feſtis Sanctorum Paſchalis Baylon, & Joannis à Capiſtrano in Eccleſiis Ordinis ad perpetua tempora extendit. 152.

P. Ludovico Franciſco de Mornay, Provinciæ Pariſienſis Definitori, Epiſcopatum Eumenienſem cum Coadiutoria Eccleſiæ Quebecenſis confert. 153.

Indulgentiam plenariam pro Feſto Sanctæ Catharinæ Bononienſis in Eccleſiis Capucinorum erectis, & erigendis, ad futura tempora perpetuat. 154.

Indulgentiam plenariam in Feſto S. Felicis de Cantalicio Eccleſiis Fratrum & Monialium tam erectis, quàm erigendis ad perpetua tempora pariter concedit. 154.

Fr. Timotheum à Flexia Provinciæ Britanniæ minoris Alumnum, Eccleſiæ Beritenſi præficit, eumque Coadiutorem Eccleſiæ Patriarchalis Babylonenſis cum futura ſucceſſione deputat. 155.

Franciſcum S. R. E. Cardinalem Barberinum, Ordinis Protectorem nuncupat. 155.

SUB INNOCENTIO XIII.

Fr. Bernardinum à S. Angelo in Vado, Ordinis Vicarium Generalem conſtituit. 157.

Fr. Petrum Mariam de Luca Ordinis Procuratorem Generalem deputat. 158.

Indulgentias & Facultates pro Oratione 40. horarum, Provinciis Ultramontanis

nis hucuſque conceſſas, non obſtante motâ novâ difficultate confirmat. 159.

Fr. Carolum de Spinoſa, Provinciæ Flandro-Belgicæ Profeſſum, Eccleſiæ Tricalenſi in Epiſcopum præficit, cum facultate Pontificalia in Diœceſi Mechlinienſi exercendi. 160.

Decreto Eminentiſs. Cardinalis Pœnitentiarii, quod Indultum ad inſtantias Reverendiſſimi P. Generalis Obſervantium pro Apoſtatis, & fugitivis conceſſum, & amplo titulo: *Edictum ſuper reditu fugitivorum totius Ordinis S. Franciſci* publicatum, nec Capucinos, nec alios Franciſcanos, proprios Generales habentes complectatur, declaratur. 162.

SUB BENEDICTO XIII.

B. Felicis à Cantalicio, à PP. Clemente XI. Sanctorum Confeſſorum Canoni jam aliàs adſcripti Canonizationem promulgat. 164.

Conſtitutiones S. mem. Urbani VIII. fol. 97. & Alexandri VII. fol. 106. poſitas, circa Bibliothecas confirmat, & Miniſtro Provinciali, ac Diffinitoribus conjunctim, Libros duplicatos, ſeu ſuperfluos commutandi, ac aliis Provinciæ Bibliothecis applicandi facultatem largitur. 167.

Quod Fratres Infirmi, Indulgentias in Sacello Valetudinarii lucrari poſſint, concedit. 168.

Non obſtante Anni Jubilæi generali Indulgentiarum ſuſpenſione, Indulgentias pro ſecunda die Auguſti, pro Feſtis Sancti P. Franciſci, ac Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ in Eccleſiis Provinciarum Ultramontanarum acquiri poſſe, indulget. 168.

PP. Miniſtro, & Procuratori Generalibus, locum in Capella Pontificia, concedit. 169.

Propria manu quodlibet Altare Majus in omnibus noſtris Eccleſiis, tribus diebus hebdomadatim, & per totam octavam Commemorationis Defunctorum pro Animarum purgantium redemptione in perpetuum privilegiat. 169.

Anno Jubileo non obſtante, Indulgentias plenarias pro Feſto Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ Provinciis Ultramontanis jam conceſſas, etiam ad Eccleſias tam Fratrum, quàm Monialium in Italia extendit, 170.

Quod tam infirmi Fratres, quàm Moniales in Infirmario Indulgentias Ordinis lucrari queant, & quod reſcriptum valeat pro Brevi, concedit. 170.

Decreto Sac. Congreg. Rituum Lectiones ſecundi, & tertii Nocturni propriæ cum Oratione & Miſſa propria de S. Felice approbantur. 171.

Ordini jus Tertiarios recipiendi competere, & receptos omnibus & ſingulis privilegiis & gratiis, Ordini Tertiariorum, à quocunque Miniſtro Generali Minoritano dependentium conceſſis gaudere poſſe, & debere declarat. 174.

Ut per octavam, Corporis Chriſti nuncupatam, in omnibus Ordinis Eccleſiis, Sanctiſſimum Sacramentum exponatur, & ad diei crepuſculum Matutinum cum Laudibus, durante expoſitione, cantetur, ordinat. 177.

Fr. Hartmannum Brixienſem Miniſtrum Generalem, facultate Apoſtolica, Provincialem, & duos Diffinitores ſine Capituli concurſu (neceſſitate tamen, vel Provinciarum commodo id exigente) conſtituendi communit. 178.

Eidem ſimilem facultatem Guardianos in actu celebrationis Capitulorum eligendi, aliàſque in curſu viſitationis Commiſſarios, ſeu Miniſtros Provinciales etiam ad triennium duraturos inſtituendi, largitur. 179.

P. Angelicum Viglini, Provinciæ Neapolitanæ Alumnum Epiſcopum Tropeenſem conſtituit. 180.

Carolum de Spinoſa de Eccleſia Tricalenſi ad Antverpienſem transfert. 181.

Indulgentiam plenariam pro Feſtis Sanctorum Jacobi à Marchia, ac Franciſci Solani, Ordin. PP. Min. Obſervantium pro Eccleſiis Fratrum, ac Monialium reddit perpetuam. 182.

Indulgentiam ſimilem pro Feſto Con-

ceptionis

ceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ, tam in Eccleſiis Fratrum, quàm Monialium perpetuò largitur. 183.

Beatum Fidelem à Sigmaringa, Suevum, Provinciæ Helveticæ Filium Beatorum albo inſerit. 183.

SUB CLEMENTE XII.

Fr. Bernardinum de Aſtis, Provinciæ Taurinenſis Alumnum, in Archiepiſcopum Eccleſiæ Turritanenſi præficit. 186.

Decreto Sac. Congr. Concilii Capucinos à Teſtatoribus nominatos, capaces eſſe juris nominandi Perſonas ad pia ſubſidia dotalia, declaratur. 187.

Indulgentiam plenariam pro Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium in Feſto Commemorationis Sacrorum Stigmatum S. P. Franciſco impreſſorum ad futura tempora perpetuat. 190.

Decreto Sac. Congreg. Indulgent. &c. præpoſitæ, à Sanctiſſimo approbato declaratur, quod Eccleſiæ, Capellæ, & Oratoria publica in Reſidentiis, & Miſſionum Hoſpitiis gaudeant Indulgentiis generaliter Ordini conceſſis. 191.

Conſtitutionem fel.rec. Clementis IX. de Reſidentia Diffinitorii Generalis Romæ innovat, ac perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robore communit; ut Hoc quacunque hebdomada, bina vice ſaltem, ad definienda S. Religionis negotia congregetur, ſtatuit: quid in caſu, quo quis Diffinitor Generalis ad nativam Provinciam rediret, agendum ſit, præſcribit: &, ut nullum Curiæ Romanæ Tribunal, ſeu Congregatio cauſam,vel litem, in Diffinitorio Generali prius non deciſam, recipiat, ſub nullitate actorum prohibet. 191.

Decreto Sac. Rit. Congreg. Ordinariæ à Sanctiſſimo approbato, in cauſa Canonizationis B. Seraphini de Aſculo Laici, de virtutibus tam Theologicis, quàm Cardinalibus in gradu heroico conſtare declaratur. 193.

F.Bonaventuram à Ferraria Miniſtrum Generalem, ob Apoſtolici Concionatoris munus, ab obligatione viſitandi Provincias eximit, eique alios Viſitatores pro caſu neceſſitatis in vices conſtituendi, facultatem largitur. 195.

Eundem Fr. Bonaventuram à Ferraria Miniſtrum Generalem ob idem Apoſtolici Pulpiti Miniſterium â communibus Conventûs oneribus eximit,& ut Anteceſſorum ſolitis exemptionibus potiatur, ei indulget. 196.

Fr. Vincentium Bragadenum, Provinciæ Venetæ Profeſſum, ad Inſulas Scardonenſes promovet. 197.

Decretum Sac. Cong. Rituum de commiſſione reaſſumendæ cauſæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei P. Laurentio à Brunduſio, olim Generalis, approbat, & ſignat. 198.

Fr. Franciſcum Antonium Correrium Provinciæ Venetæ Profeſſum, Patriarcham Venetiarum renuntiat. 198.

Fratribus à P. Miniſtro Generali, & Diffinitorio Generali, in Alma Urbe jam reſidente, munus Sæcularium Confeſſiones excipiendi, quocunque tempore committi poſſe, concedit. 200.

Conſtitutionem s.m. Urbani PP.VIII. de Filiatione Ordinis, ex vera & nunquam interrupta S. P. Franciſci linea &c. Apoſtolicæ confirmationis munimine innovat. 201.

Ituris ad Miſſiones volantes Fratribus Apoſtolicam Benedictionem, & (præter hanc) utrique Sæcularium ſexui confeſſo, & communicato Indulgentiam plenariam largitur, per modum ſuffragii Defunctis applicandam. 203.

Quod Miniſter Generalis, aliique Superiores, ceu veri S.Franciſci Filii in quocunque loco Tertium Ordinem inſtituere, & receptos ad eum Sæculares publicè & privatim inſtruere poſſint, declarat, decernitque, quod Profeſſores tales gaudeant omnibus gratiis, privilegiis, indultis &c. quæ unquam per Apoſtolicam Sedem Tertio Ordini fuerunt conceſſa, & erunt deinceps concedenda. 203.

Pro Dominica ſecunda, poſt Feſtum Epiphaniæ D.N. Jeſu Chriſti, in Eccleſiis Fratrum, & Monialium Indulgentiam plenariam concedit. 204.

Indul-

Indulgentiam plenariam pro Feſto Sanctæ Roſæ Virginis Viterbienſis, & in Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium, ſub juriſdictione P. Miniſtri Generalis exiſtentium concedit perpetuam. 205.

Omnibus, & ſingulis perſonis Tertii Ordinis S. Franciſci, tam intra, quàm extra clauſtra, ſub juriſdictione Miniſtri Generalis Capucinorum degentibus concedit per viam communicationis omnes Indulgentias, quibus fruuntur, & gaudent Confratres, & Conſorores Confraternitatis B. Mariæ V. de Monte Carmelo. 205.

Univerſis, & ſingulis Fratribus, Monialibus, ac Tertiariis Ordinis Capucinorum die XXIX. Novembris profeſſionem reſpectivè renovantibus, & orantibus &c. concedit Indulgentiam plenariam quotannis in perpetuum. 206.

Circa expulſionem incorrigibilium, derogat Decretis generalibus S. M. Urbani PP. VIII. ac Innocentii PP. XII., & facultatem RR. PP. Obſervantibus deſuper à s. m. Benedicto PP. XIII. conceſſam, noſtro quoque Ordini communicat. 207.

In omnibus Eccleſiis Conventuum, & Miſſionum Fratrum, nec non Monaſteriorum Monialium Ordinis pro vigeſimâ quarta Aprilis plenariam Indulgentiam impertitur. 208.

Decreto concedit, ut Miſſæ, quæ ex ſtatuto, & uſu Religionis pro Defunctis Summis Pontificibus, Emis Protectoribus, Principibus &c., & Superioribus Majoribus Ordinis, & Provinciarum, nec non pro Fratribus dicuntur, valeant, ac ſi forent dictæ in Altari privilegiato. 209.

Indulgentias & facultates Confeſſariorum in Provinciis Ultramontanis, pro Oratione ad 40. horas continuatas, noctis tamen tempore interpolatas, ultimò confirmat. 209.

Pro Eccleſiis, in quibus Fratres tempore quadrageſimæ concionantur, & quadraginta horarum Oratio inſtituitur, Confeſſis, & Communicatis Indulgentiam plenariam largitur, aliis autem in ſpiritu pœnitentiæ, & firmo confitendi propoſito dictæ Orationi aſſiſtentibus, decem annos & totidem quadragenas de injunctis vel debitis pœnis relaxat. 210.

Ven. Dei Servum Joſephum à Leoniſſa Provinciæ Umbriæ Sacerdotem, & Ordinis expreſsè profeſſum Beatificat. 211.

In Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium pro die quarta Februarii Indulgentiam plenariam ultimò confirmat. 213.

In iiſdem Eccleſiis ſimilem Indulgentiam pro die 12. Novembris ultimo pariter largitur. 213.

Bartholomæum Cardinalem Ruſpoli, Magnum Ordinis Jeroſolymitani Romæ Priorem &c. Ordinis Protectorem conſtituit. 213.

Decreto Sac. Congreg. Rituum facultas celebrandi Miſſam propriam, & dicendi Officium de S. Felice à Cantalicio cum Oratione, & Lectionibus, pariter propriis, ſeu ab iis, quibus Ordo noſter utitur, diſtinctis, ad totam Italiam, & Inſulas adiacentes extenditur. 214.

Fr. Antonium Mariam Piſcatorium Parmenſem Eccleſiæ Epheſinæ Archiepiſcopum præficit. 216.

Eundem Fr. Antonium Mariam Archiepiſcopum Epheſinum, ſuum Prælatum domeſticum, & Pontificii Solii aſſiſtentem creat. 217.

Decreto Sac. Rituum Congr. de commiſſione reaſſumendæ Cauſæ Canonizationis B. Joſephi à Leoniſſa approbat, ac ſignat. 218.

Tempore Capituli Generalis, Indulgentiam plenariam in Eccleſiis Fratrum, & Monialium impertitur. 218.

Indulgentiam plenariam, etiam Defunctis, per modum Suffragii applicandam, pro menſtrua Communione generali, vel in Eccleſiis Ordinis, vel extra Ordinem à Fratribus noſtris inſtituenda, ultimò confirmat. 219.

Horum Summariorum materiis accedunt quædam Tabulæ Chronologicæ DD. Cardinalium Protectorum, PP. Miniſtrorum, & Procuratorum Generalium, Virorum Illuſtrium &c. Clariori Ordinis notitiæ ſervientes.

BULLARII
Ordinis Fratrum Minorum
CAPUCINORUM
Tomus Primus.

CLEMENS VII.

Italus, ex Civitate Florentiæ, in Provincia Hetruriæ, Julius antea dictus, ex Familia Medicea, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Clementis, die 19. Novembris 1523. Summus Pontifex Romæ creatus. Obiit ibidem 25. Septembris 1534.

Patribus Reformationis, quæ Capucinorum poſtea fuit nuncupata, indulgetur, ut petitâ priùs (licèt non obtentâ) ſuorum PP. Superiorum licentia, extra Ordinis Conventus in locis ſolitariis vivere poſſint: & ne in hac vivendi ratione turbentur, Epiſcopi Camerinenſis juri, ac tutelæ commendantur.

LAURENTIUS

Miſeratione Divina Epiſcopus Prænestinus.

Dilectis in Chriſto Ludovico, & Raphaeli de Foroſempronio, ac Matthæo de Baſſio de Monte Feltrio (*) Ord. FF. Minor. de Obſervantia Profeſſoribus, Salutem in Domino.

Ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quòd vos pro majori Animi veſtri quiete, & ob melioris vitæ frugem, cum nonnullis de cauſis ulteriùs in ejuſdem Ordinis domibus cum ſana conſcientia morari, & remanere non ſperatis, cuperetis propterea extra Domos, & Conventus dicti Ordinis de cœtero ſtare, & in aliquo honeſto loco è cœtu hominum remoto; habitu veſtro ſemper retento, vitam Eremiticam ducendo, morari: & quoad vixeritis permanere, quod tamèn licitè facere, aut vobis permitti dubitatis, Sede Apoſtolicâ deſuper inconſultâ: ſupplicari feciſtis humilitèr, Vobis ſuper his per Sedem ipſam de opportuno remedio juris provideri. Nos igitur auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de cujus ſpeciali mandato, ſuper hoc vivæ vocis Oraculo Nobis facto, Vobis, ut Superiorum veſtrorum licentiâ per Vos, vel alium, ſeù alios nomine veſtro petitâ, licèt non obtentâ, extra Domos, & loca Regularia dicti Ordinis in aliquo Eremitorio, ut præfertur, permanendo, habitu veſtro ſemper retento, Et Regulâ, in quantum humana patitur fragilitas, ſervatâ, ſub obedientia, & correctione Ordinarii, in cujus Diœceſi Vos reſidere contigerit, vivendo vitam Eremiticam, quoad vixeritis, ducere; Necnon Eleemoſinas vobis à quibuſvis Chriſtifidelibus piè elargiendas recipere: illaſque in veſtros uſus licitos, & honeſtos conver-

tere: Et interim omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & indultis uti, & gaudere liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, indulgemus, plenamque, & liberam concedimus facultatem: non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & ſtatutis, & conſuetudinibus Domorum, & Ordinis prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Ordini hujuſmodi, ſeù illius quibuſvis Superioribus Prælatis, & Reformationibus ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis etiàm derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus, & inſolitis contra præmiſſa forſan conceſſis, confirmatis, & iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus hac vice duntaxàt, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Quocirca Ven. in Chriſto Patri, Dei gratia Epiſcopo Camerinen., vel ejus Vicario in Spiritualibus, auctoritate, & mandato prædictis committimus, & mandamus, quatenùs vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio per ſe, vel alium, ſeu alios aſſiſtentes non permittant Vos, per quoſcumque Ordinis prædicti Superiores, Prælatos, & Fratres, aut Judices, & perſonas alias tàm Eccleſiaſticas, quàm Sæculares, quavis auctoritate, etiam Apoſtolica, fungentes, in perſonis rebuſque veſtris aliis, quovis quæſito colore, vel ingenio moleſtari, perturbari, ſeu aliàs quomodolibet inquietari; Contradictores quoslibet & rebelles per Cenſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna Juris Remedia, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii Sæcularis, compeſcendo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Sigillo Officii Pœnitentiariæ XV. Kal. Junii Pontificatus Domini Clementis Papæ VII. Anno Tertio.

Exemplar in pergamena authenticum aſſervatur in Archivo Generali Ordinis, armario Authentica, *in faſciculo colligato num.* 1.

N O T A.

Nominatus ultimò in diplomatis inſcriptione (*) Fr. Matthæus à Baſſio Caſtello Montis Feretrani, Comitum Carpeniatum juribus ſubjecto, fuit primus, & primarius Reformationis auctor, & quamvis, juxtà aliquos, inchoandi operis facultatem, vivæ vocis oraculo, à Papa Leone X. jam habuiſſet, fuit nihilominùs ejus executio, ſuſpenſa ad annum milleſimum quingenteſimum vigeſimum quintum & Jubilæum, ut, ubi in Eccleſia Catholica, Spiritu pœnitentiæ innovabatur morum Sanctitas, in Ordine Minoritano prodiret cum habitu immutato, ſeverioris Vitæ Reformatio. Ut autem Patris Matthæi propoſitum, Apoſtolicæ auctoritatis fulciretur munimine, Papam Clementem VII., coaptato priùs ſibi Capucio acuminato, quale Seraphicum Patrem Franciſcum geſtaſſe, ex multifario argumento noverat, in ſuo Palatio Vaticano acceſſit, & anno 1526. ſuprapoſitum Diploma impetravit. Cumque anno 1528. Reformatio Capucina à Patrum Obſervantium obedientia fuiſſet per ſequentem Bullam diſiuncta, & ſub Patrum Conventualium dependentia conſtituta, fuit in Monte, *Alvacina* vocato, primum Capitulum celebratum, & in eo P. Matthæus communi voto, & vivâ voce primus Reformati Ordinis Vicarius Generalis electus. Non tamen, niſi per paucos menſes fungebatur hoc officio; cum enim ad prædicandum Dei Evangelium, interno impulſu ſe ſe vocari adverteret, munus, & Capucium, cum quo liberè, attentâ Pontificiâ Bullâ, terram circuire non auderet, depoſuit, ita tamen, ut animo, & corde maneret, Cœtui à ſe reformato ſemper unitus. Continuavit Evangelici Miniſterii partes in miraculorum ſplendore, & copioſo animarum lucro per diverſas Italiæ, necnon Germaniæ partes, uſque dum Venetiis, quò expanſo ſuper undas pallio, iter binâ vice confecerat, Nonis Auguſti anni 1552. curſum vitæ conſummâſſet, mortem ejus, Campanis, quæ ſpontè, & nemine pulſante audiebantur, annuntiantibus. Sanctimoniam Viri, & miraculorum copiam commendat proceſſus, Apoſtolicæ Sedis mandatò, deſuper confectus, & utramque fusè deſcribunt Franciſcus Gonzaga (*a*) Rudolphus Toſſinianenſis (*b*) Marcus Ulyſſip. (*c*) Boverius noſter &c. (*d*) ita, ut Capucina Reformatio ſe à Viro tali Origenem traxiſſe, meritò lætari, & Ordo RR. PP. Obſervantium Eccleſiam ſuam ad S. Franciſcum de Vinea Venetiis, Venerabilibus ejuſdem exuviis decoratam eſſe, gloriari debeat.

Ideo autem Pater Matthæus & Socii ejus, per haſce Literas Apoſtolicas D. Epiſcopi Camerinenſis, tunc Antonii Jacobi Bonjoannis juriſdictioni, & protectioni committebantur, cum illos, intra agri, & Ducatùs Camerinenſis diſtrictum commorari, varia ſuaſerit ratio. Fuère quidem ibi ex una parte in multis vexati, ex altera verò potenter protecti à Camertium Duce, Joanne Maria Verano, & ejuſdem Conjuge, Maſſæ Principiſſa Catharina Ciboa, trium Summorum Pontificum Nepte, de quibus grata redibit mentio, redeunte in ſecundo Tomo Camerini memoriâ.

(a) *De orig. Seraph. Relig. p. 1. fol. mihi 95.*
(b *Hiſt. Seraph. l. 2. fol. mihi 15.*
(c) *Marcus Ulyſſip. Chronic. Ord. p. 3. l. 9. c. 15.*
(d) *Tom. 1. ad an. 1552. fol. mihi 467.*

Confer in seq. pag. Notam manuscriptam.

x Utinam inveniretur haec Bulla pontificia vi cujus Mattheus non poterat circuire terram ad evangelizandum verbum & c? Hoc gratis asseritur.

Refor-

Reformationem Capucinam ~~à PP. Obſervantium Ordine ſeparat eam~~ ſub Patrum Conventualium directione conſtituit; illi modum vivendi, veſtiendi &c. præſcribit, ac tam FF. Minorum, quàm Camaldulenſium privilegia, generica & ſpecifica, conceſſa & concedenda, *æquè principaliter* communicat.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Ludovico, & Raphaeli de Foroſempronio Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus Salutem, & Apoſt. benedictionem.

RELIGIONIS Zelus, vitæ ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, ac virtutum merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendamini teſtimonio, nos inducunt, ut votis veſtris, præſertim quæ animarum ſalutem, & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiles annuamus.

§. I. Sanè pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd vos olim favore ſerviendi Altiſſimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum de obſervantia nuncupatorum ingreſſi, in ea profeſſione emiſſa per certum tempus permanſiſtis, & deinde de licentia veſtri tunc Superioris, juxta formam literarum Apoſtolicarum ſuper unione, & concordia intèr prædictos, & Conventuales nuncupatos Fratres dicti Ordinis edita confectarum, ad ipſorum Fratrum Conventualium conſortium vos tranſtuliſtis, & à tunc Magiſtro Provinciali Provinciæ Marchiæ dictorum Fratrum Conventualium benignè recepti, ac aliorum Fratrum Conventualium ejuſdem Provinciæ numero, & conſortio aggregati fuiſtis. Et deinde vobis deſiderantibus pro Animarum veſtrarum ſalute, ac Dei gloria, Eremiticam vitam ducere, & quantùm humana patitur fragilitas, Regulam Beati Franciſci obſervare: dictus Magiſter Provincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, & à Nobis, ac Sede Apoſtolica quæcumque ad animarum veſtrarum ſalutem, ad Dei gloriam opportuna vobis viderentur, petendi, & impetrandi conceſſit.

§. II. Ac etiam dilectus filius noſter Andreas Tituli Sanctæ Priſcæ Presbyter Cardinalis, dicti Ordinis Protector, vobis ut ſimilem impetrationem faceretis, indulſit: ita tamèn quòd unus ex conſortio, veſtro omnium veſtrorum nomine, Magiſtro Provinciali, ſeù Capitulo Provinciæ dictorum Fratrum Conventualium, in qua habitaretis, ſingulis annis ſe præſentare in ſignum ſubjectionis teneretur, & ipſe Magiſter (ſi ſibi videretur) ſemel in anno, & non ultra vos viſitare, & ſi invenerit vos Regulam prædictam non obſervare, ad eam pleniùs obſervandam vos admonere, ac debitis modis compellere poſſet. Præter hæc autem, nec vos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud vobis injungere, aut à vobis exigere valeret; ſed potiùs vos tueri, & defendere teneretur, ut in pace poſſetis Altiſſimo in Divinis famulari, prout in literis patentibus eorundem Cardinalis Protectoris & Magiſtri Provincialis deſuper confectis pleniùs dicitur contineri.

§. III. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humilitèr ſupplicatum, ut vobis vitam Eremiticam ducendi facultatem concedere; aliàſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui ſalutem cupimus Animarum, veſtrum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & poenis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, ac literas prædictas, & in eis contenta quæcumque præſentibus pro ſufficientèr expreſſis habentes; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium vobis, ut ſecundùm Regulam prædictam vitam Eremiticam ducere.

§. V. Et habitum cum Capucio quadrato geſtare.

§. VI. Nec non omnes, tam Clericos Seculares, & Presbyteros, quàm Laicos ad veſtrum conſortium recipere.

§. VII. Ac tam illi, quàm vos barbam deferre.

(*) §. VIII. Et ad Eremitoria, ſeu loca quæcumque, cum conſenſu Dominorum eorumdem locorum, vos conferre; & in eis habitare, vitamque auſteram, & Eremiticam inibi agere, & in quibuſcumque locis mendicare.

(**) §. IX. Nec non omnibus, & ſingulis privilegiis, Indultis, & Gratiis Ordinis Fratrum Minorum hujuſmodi, ac Eremo Camaldulen. B. Romualdi, illiuſque Eremitis, in genere, vel in ſpecie hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, & in quibus ipſi quomodolibet utuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt in futurum: Vos quoque æquè principalitèr, ſicut ipſi, uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeatis; plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus.

§. X. Et nihilominus univerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, aliiſque in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, necnon Canonicis Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Eccleſiarum, ipſorumque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, &

1 Reformatio Capucinorum jam ab anno 1527 erat separata ab Ordine PP. Observantium, per literas Apostolicas Card. Protectoris, de quibus fit mentio apud Boverium anno 1527, N. 34, et 35. In hac vero Bulla Religionis zelus non agitur de separatione, quae supponitur, sed de erectione institutione Ordinis Capucinorum. Hinc non Bulla exemptionis, uti falso in Nota dicitur, sed Bulla institutionis vocari debet jure meritoque.

Abbatum Vicariis in ſpiritualibus generalibus, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus eorum quilibet per ſe, vel alios, ſeu alii Vobis, & Veſtrûm cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtat, & faciat vos, & veſtrum quemlibet, præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere: nec permittat veſtrûm quemlibet contra tenorem præſentium modo aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari: Contradictores quoslibet, & rebelles, etiàm per quaſcumque, de quibus ſibi placuerit cenſuras, & pœnas, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

§. XI. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris noſtri, (a) etiam de una, & Concilio Generali de duabus dietis edita, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Statutis, & Conſuetudinibus, & etiàm juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque Indultis, ac literis Apoſtolicis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per vim generalis legis, ac Statuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa Scientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, præſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, menſis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliis efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis Clauſulis, & conſiſtorialiter quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, individua, ac de verbo ad verbum, non autèm per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut certè exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſsè, quòd illis nullatenus derogari poſſit, illorum etiam tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis: nec non modos, & formas, ad id ſervandas pro individuo ſervatis habentes, hac vice duntaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergò omnino Hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

(a) *Conſtitutionem hanc invenies T. 3 Bullas, Brevia nobis cũ Clero Secul., & Regular. communia, continente.*

Datum Viterbii Anno Incarnationis Dominicæ 1528. quinto Nonas Julii Pontificatûs Noſtri Anno Quinto.

Exemplar in pergamena Authent. in Archiv. Generali Ordinis Armario Authent. *in faſciculo colligato num.* 1.

N O T A.

BULLA hæc exemptionis inſcribitur FF. Ludovico, & Raphaeli de Foroſempronio, nullâ mentione de P. Matthæo, reformationis auctore, & fundatore in illa factâ. Hoc non ſine arcano Dei conſilio eveniſſe, cenſet noſter P. Boverius (b) creditque, P. Matthæum ideo eam ſibi inſcribi voluiſſe, *Ut oſtenderet, Capucinorum Religionem* potiſsimùm: *Deo auctore, & fundatore, ſub Franciſco capite, excitatam, ac inſtitutam fuiſſe*. Dirigebatur autem ad P. Ludovicum, & Fr. Raphaelem, fratres ſecundùm carnem germanos, cum fuerint primi, qui ſparſa à P. Matthæo reformàtionis chariſmata æmulabantur, & expeditionem Bullæ efficaciùs, & perſonaliter urgebant.

Dicitur in Bulla, quod (*) *Fratres ad Eremitorià, ſeu loca quæcumque ſe conferre, in iis habitare, Vitamque auſteram, & Eremiticam inibi agere poſſint*. Ex quo nonnulli corrupto, vel mutilato Bullæ ſenſu, eos nonniſi Eremitas nuncupabant, imò â Filiatione S. P. Franciſci excludebant. Errârunt autem hi in ſenſu ſuo, cum Verba Bullæ non ſimpliciter, ſed cum addito, & cohærenter ſint intelligenda, videlicet, Eremitæ, ſeu *Vitam Eremiticam ducentes ſecundùm Regulam prædictam*. Hinc, ſicuti Carthuſienſes, Camaldulenſes &c., etiamſi in eremis degant, ſimpliciter Eremitæ nominari non poſſunt, cum ſint verè Monachi, vel, ſicut PP. Obſervantium Anteſignani, ſeu auctores; FF. Joannes de Vallibus, Gentilis à Spoleto, Paulutius de Trincis &c., quos cum Sociis, *in locis ſolitariis, & Eremitoriis* Brulliani &c., vixiſſe, & regularis Obſervantiæ primordia poſuiſſe, tam Ordinis Chronica antiqua (c), quàm celeberrimus P. Wadingus (d) expreſsè commemorant, nudo *Eremitæ* vocabulo non debent cenſeri, ita nec Capucini, ex unica loci circumſtantia Eremitæ dici poterant, cum ex Regulæ profeſſione manſerint veri *FF. Minores*.

Nec ex eo, quod Regulam in locis ſolitariis, ab hominum commercio, & mundi tumultu ſeparati, ſervaverint, amisêre Filiationem S. P. Franciſci, cum hanc non locus, ſed Regulæ profeſſio pariat. Inde fatus P. Wadingus (e), optimè concludit: quod *PP. Capucini... Eremitæ S. Franciſci dicti fuerint, ſicut & Diſcipuli Cæſarei Spirenis, necnon alii poſteriores Alumni B. Angeli de Cingulo, Eremitæ S. Franciſci appellati ſunt, licet veri & genuini S. Franciſci Filii ſint habiti, & debeant nucupari*.

Fuit eriam hæc vitæ Eremiticæ inſtitutio, ſeu potiùs hic ſub vitæ & Regulæ Franciſcanæ obſervantia, ad loca ſolitaria receſſus neceſſarius, ut novellam Reformationem, non in ſola externi Habitûs figura, ſed in vera vitæ reformatæ, & arctioris ſubſtantia, conſtitutam eſſe, liqueret.

Communicantur (**) §. 9. novæ noſtræ Congregationi gratiæ, privilegia, & indulta, tam FF. Minoribus, quàm Camaldulenſibus, vel in ſpecie vel in genere conceſſa, aut concedenda *æquè principaliter*. Omnis quidem nuda, & ſimplex privilegiorum communicatio, juxta communem Canoniſtarum operatur id, ac, ſi iis, quibus communicantur, primariò, immediatè, ac æquè principaliter forent conceſſa. Hìc autem Summus Pontifex ipſemet hanc

vim,

(b) *Tom. 1. Annal. fol. mihi 97.*

[c] *Part. 3. l. 1. fol. mihi 1. &c.*

[d] *Tom. vii. fol. mihi 168 tom. viii. fol. mihi 74. & 210. Tom. ix. fol. mihi 42. in literis Pat. Miniſtri Provincialis ad Fr. Paulutiũ datis. Et fol. 65. in lit. Card. Pilei.*

(e) *Tom. 16. fol. mihi 372.*

vim, & effectum exprimit, dum Bullæ verba, *æquè principaliter*, inſerit, in finem, ut privilegia Minorum, & Camaldulenſium Ordini noſtro non ex alieno juris adminiculo, ſed ex ipſa, & propria Ipſius mente, *æquè principaliter conceſſa* intelligantur.

Confirmat, & enumerat nonnulla PP. Camaldulenſium Privilegia, Indulta &c. Capucinis reſpectivè con-propria, ſeu æquè principaliter conceſſa.

CLEMENS PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter multiplices curas, quibus rerum occurrentium varietate diſtrahimur, illam libenter amplectimur, per quam Religioſa loca fundari, & ſtatus Religioſarum perſonarum in illis pro tempore degentium ampliari, ipſæque perſonæ Deo Duce commodè, & honeſtè vivere poſſint. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Majoris, Viſitatorum, Priorum, & Fratrum Societatis Eremitarum Sancti Romualdi Ordinis Camaldulenſis nobis nuper expoſitum fuit, quod poſtquam fel. record. Leo Papa X. Prædeceſſor noſter quondam Paulo Veneto, & quibuſdam aliis in literis tunc expreſſis Eremitis Sacræ Eremi Ordinis Camaldulenſium Aretin. Diœceſis expreſsè profeſſis ardore majoris obſervantiæ & perfectioris vitæ Eremiticę fruentibus, inter alia, quod in quibuſvis locis etiam extrà Italiam, & loca ultramarina, Monaſteria, Eremitoria, & Religioſa loca erigere, & poſtquam erecta forent, omnibus, & ſingulis indultis, & privilegiis quomodolibet à Sede Apoſtolica Eremitis Sacræ Eremi hujuſmodi, ac Congregationi ejuſdem Eremi, & Sancti Michaelis de Murano conceſſis gaudere, & habitum ejuſdem Religionis aliis exhibere poſſent, per ſuas in forma Brevis literas licentiam conceſſerat: Et ipſe Paulus cum uno Socio Eremita vigore conceſſionis hujuſmodi, ad id electo, ad locum Cryptarum nuncupatum Caſtri Maſſani, Æſinæ Diœceſis, qui tunc membrum Heremitarum Sacrę Eremi prædictæ erat, acceſſerat. Et ad eoſdem Paulum, & Socium diverſæ multarum partium, tam Eccleſiaſticæ, & Religioſæ, quàm Sæculares perſonæ in dies ad eoſdem venientes, cum eodem Paulo, & Socio ſe conjunxerant, & præfatis Paulo, ac Socio, & ſucceſſivè receptis perſonis nonnulla loca Eremitica partim fere diruta, & partim ædificari cæpta, quæ poſtmodum ipſi reſtauraverant, & quaſi de novo ædificaverant, tàm à Sede Apoſtolica, quàm à diverſis Chriſtifidelibus Eccleſiaſticis, & Sæcularibus perſonis donata, & conceſſa fuerant, videnſque ipſe Paulus ſe tot Perſonis, & locis quotidiè multiplicari, ad tunc Congregationis Sacræ Eremi, & Sancti Michaelis de Murano Vicarium Generalem, ad præſens Generalem nuncupatum, & Viſitatores acceſſerat, eiſdemque ſeriem facti explicaverat; velleque tàm ipſe, quàm Cœteri Socii Eremitæ hujuſmodi ſub eorum obedientia, & viſitatione vivere declaraverat. Tunc Vicarius, nunc Generalis prædictus, habens, ut aſſerebat, à congregatione hujuſmodi omnimodam auctoritatem, ſinceritatem animi dicti Pauli cognoſcens, prædicta Eremitoria, videlicet quinque, Criptarum Maſſani, S.Hieronymi de Paſcelupo, Criptæ S.Benedicti in Monte Conero, S.Leonardi de Velubrio, ac S.Mariæ de Spiritu Sancto, Æſinenſis, Eugubinæ, Anconitanæ, Firmanæ, & Larinæ Diœceſûm à Sede Apoſtolica aliiſque Chriſtifidelibus prædictis eiſdem Paulo, & Sociis, ut præfertur, conceſſa, & Eremitas in illis, ſic commorantes in eorum Congregationem receperat, ipſoſque Paulum, & Socios receptos in Eremitas, eorumque Eremitoria, & Religioſa loca hujuſmodi in ſocietatem Eremitarum S. Romualdi per Majorem, & tunc Correctores, nunc autem Viſitatores, Capitulum, & Eremitoriorum hujuſmodi ſingulorum Priores, perpetuis futuris temporibus regenda, & gubernanda erexerat: Et eiſdem Paulo, & Eremitis prædictæ ſocietatis condendi, & celebrandi Generalia Capitula ejuſdem Societatis, & in eis Priores, Rectores, & alios Miniſtros eligendi: Et pro ejuſdem Societatis conſervatione, & augumento Miſſas, & Divina Officia in eorum Capitulis celebrandi, Capitula generalia ejuſdem Societatis, & in ejus obſervantiam quæcumque Statuta, Ordinationes, & Conſtitutiones edendi, & pro tempore edita, corrigendi, reformandi, & mutandi: Quæ ſi contra ſubſtantialia Regulæ Sancti Benedicti non eſſent, à prædicto, tunc Vicario, & Viſitatoribus, aut prædictæ Congregationis Capitulis derogari, aut innovari, ſine dictorum Eremitarum conſenſu non poſſent: Ac alia loca quæcumque, & perſonas quaſcumque in eadem Societate recipiendi; necnon quod ejuſdem Societatis Superior, ex tunc Major nuncupandus, per ejuſdem Congregationis Capitulum de anno in annum eligendus, loca, & perſonas de triennio in triennium, & frequentiùs, ſi ſibi videretur, viſitare deberet, licentiam conceſſerat: & omnia, & ſingula privilegia, gratias, & immunitates Eremitis conceſſas, & quomodolibet concedendas, tam Sacri Eremi Camaldulen., quàm totius prædictæ Congregationis, eidem

dem Societati Eremitarum Sancti Romualdi loca, & perſonas communia eſſe, dummodo receptio, & admiſſio hujuſmodi per Capitulum Generale Congregationis Sacræ Eremi, & Sancti Michaelis de Murano prædictis approbaretur, voluerat: Et prædicti Eremitæ vigore conceſſionis hujuſmodi in eorum Capitulo congregati, nonnullas Conſtitutiones, & Ordinationes, & Statuta ſuper tribus ſubſtantialibus, & forſan aliis emittendis votis, ac regularibus inſtitutis Regulæ Sancti Benedicti, & divinis Officiis celebrandis, ac aliis felicem dictæ Societatis tàm in Spiritualibus, quam in temporalibus gubernationem, & directionem, ac honeſtè, & Religiosè vivendi modum concernentem ordinaverant. Et poſtmodum Præſidens, & Deffinitores Capituli Generalis Congregationis Sacræ Eremi, & S. Michaelis prædictorum, per eorum ſpeciales literas dicta quinque Eremitoria, & Societatem hujuſmodi ab eorum Congregatione penitùs ſeparaverunt, & diſſolutam, & ſeparatam eſſe declaraverunt, nullamque ſibi eligendi Superiorem, necnon Eremitoria, & illorum perſonas hujuſmodi viſitandi facultatem reſervaverunt, quodque prædicti Eremitæ ad eorum Superioris hujuſmodi electionem, prout eis viſum foret procedere poſſent; ac in his, quæ Eremitoria, & illorum perſonas prædictas concernebant, ac quicquid eidem Societati viſum foret, à Sede Apoſtolica petere poſſent, voluerunt. Nos prædicta omnia, & diſſolutionem hujuſmodi approbavimus, & confirmavimus, eiſque unum dictæ Societatis Majorem, & Correctores, nunc autem Viſitatores nuncupatos, locorum Priores, & alios Officiales, prout eis expedire videretur, per ſe ipſos annis ſingulis eligere, qui eo ipſo, quod electi forent, confirmati eſſe cenſerentur, indulſimus. Et ſucceſſivè, cum ipſi pro dictæ Societatis commodiori gubernatione aliquas ex prædictis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & Capitulis, eis diligentiùs & maturiùs examinatis caſſaſſent, & aliquas de novo ordinaſſent, & amotis quibuſdam ſuperfluis, in meliorem formam reformaſſent, illas etiam approbavimus, & confirmavimus, prout in diverſis Inſtrumentis, & Scripturis Vicarii Generalis, ac Viſitatorum, Præſidentis, & Deffinitorum, ac Prædeceſſoris, & Noſtris diverſis literis pleniùs continetur. Nos Majorem, Viſitatores, Priores, & Eremitas Societatis hujuſmodi præfatos amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque in hac parte nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, prædicta, & quæcumque alia eis pro nunc & pro tempore dictæ Societati ubique terrarum conceſſa, & concedenda Eremitoria, & Religioſa loca hujuſmodi in Societatem Eremitarum S. Romualdi per Majorem Superiorem nuncupatum, Viſitatores, Capitulum, Priores, & alios Officiales juxta dictæ Societatis Statuta, & ordinationes recipienda, & retinenda, ac erigenda, & gubernanda, ita quod omnes & ſinguli dictæ Societatis Fratres præſentes, & futuri, quamvis in diverſis locis, & extra Italiam, & loca ultramarina pro tempore maneant, unum tamen Corpus, & una Societas Eremitarum S. Romualdi Ordinis Camaldulen. perptuis futuris temporibus exiſtant, & faciant, cum facultate celebrandi Generalia, Provincialia, & alia Capitula ejuſdem Societatis, & in eis Superiorem Majorem, Priores, Rectores, & alios Miniſtros eligendi, & pro ejuſdem Societatis confirmatione, & augumento, Miſſas, & alia Divina officia in eorum Capitulis celebrandi, aliaque omnia & ſingula, quæ ad ſimiles Societates pertinent, & pro tempore pertinebunt faciendi, erigimus, & inſtituimus: Necnon ſeparationem, diſſolutionem, conceſſionem, & indultum, ac facultates eis quomodolibet conceſſas, Conſtitutiones ac Statuta per Capitulum dictæ Societatis erectæ edita, &, ut præfertur, reformata, ac omnia, & ſingula privilegia, indulta, & gratias per Sedem Apoſtolicam dictæ Societati, vel per alium facultatem habentem, etiam vivæ vocis oraculo, vel aliàs quomodolibet conceſſa, & conceſſas approbamus, ac confirmamus, & ſtabilimus, ac robur Apoſtolicæ confirmationis habere decernimus. Supplentes omnes, & ſingulos, tàm Juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et pro potiori cautela Majoris, Viſitatorum, Priorum, Officialium, & aliorum Fratrum prædictæ Societatis illos, & illa quinque Eremitoria prædicta eidem Majori, Viſitatoribus, Prioribus, & Fratribus eorum erectæ Societatis pro tempore exiſtentibus de novo concedimus, ac perpetuo unimus, ac incorporamus. Quodque omnes, & ſinguli dictæ Societatis erectæ Eremitæ Societatem ipſam profeſſi præſentes & futuri, in Capitulo Generali pro tempore faciendo in eo vocem habentes, pro felici dictæ Societatis ſtatu, & ſucceſſu alia Statuta, Conſtitutiones, Ordinationes, ac omnia, & ſingula, quæ Spiritualibus, & temporalibus ipſius Societatis, ac ejus Regularis diſciplinæ ſtatum, obſervantiam, indemnitatem, & circa Divini Officii, & Miſſarum directionem, & ordinationem, ac cœremonias abſque ipſius Regulæ in ſubſtantia, vel effectu variatione, interpretatione, declaratione quoquomodo concernere poterunt, inſtituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi, & alia de novo faciendi, & ſic inſtituta, ordinata, interpretata, declarata, & de novo facta in toto vel in parte, prout rerum, vel temporum qualitas exegerit, tollendi, & alterandi, & in melius commutandi: Necnon pro honeſtate, & qualitate vitæ Eremiticæ hujuſmodi, Barbam

tam deferendi plenam, & liberam eis concedimus facultatem. Quodque hujuſmodi Societatem, omneſque, & ſingulos Superiores Eremitas, oblatos, Novitios, Familiares, Servitores, & perſonas dictæ Societatis nunc, & pro tempore exiſtentes, ac ipſius Monaſteria, Eremitoria Religioſa, & alia loca quæcumque, ac mobilia, & immobilia bona præſentia, & futura ad prædictam Societatem quomodolibet pro tempore pertinentia, & in poſterum eidem de novo erectæ Societati quandocumque, ſeù quomodolibet uniri, & incorporari, ſeu ſubjici in perpetuum, vel ad tempus contigerit, à quorumcumque Legatorum, etiam de Latere, necnon Nuntiorum dictæ Sedis, ac quorumvis Officialium Romanæ Eccleſiæ, & Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Electorum, & Inquiſitorum Hæreticæ pravitatis, quacumque etiam Apoſtolica auctoritate, ac aliorum quorumcumque Judicum, Ordinariorum, & non Ordinariorum, quavis auctoritate, & poteſtate fungentium, Ditione, auctoritate, ſuperioritate, poteſtate, dominio, Viſitatione, Reformatione, & correctione; ita, quod contra dictam de novo erectam ſocietatem, vel ejus ſingulares perſonas, necnon Monaſteria, Eremitoria, & loca, & perſonas, ac familiares, cum eis degentes, ratione delicti, exceſsûs, ſeu contractûs, aut rei, de qua agetur, ubicumque ineatúr contractus, committatur delictum, aut res ipſa conſiſtat; excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aut alias quaſvis ſententias, niſi de ſpeciali Sedis prædictæ commiſſione quomodolibet, directè, vel indirectè proferre, ſeù promulgare non poſſint. Nec non ab omnibus, & quibuſvis decimis, collectis, exactionibus, gabellis, taleis, dativis, datiis, tractis, ſubſidiis charitativis, impoſitionibus ordinariis, extraordinariis, Collegiis Parochianis, Univerſitatibus, Monaſteriis, Fabricis, & aliis quibuſcumque perſonis, quacumque auctoritate, & ex quavis cauſa, & conſideratione, etiàm pro expeditione contra Infideles, aut Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, aut aliis imminentibus neceſſitatibus Sedi Apoſtolicæ, auctoritate prædictæ Sedis, vel quavis alia impoſitis, vel imponendis ſub quacumque verborum vi, & forma, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, exempti, & exempta cenſeantur, niſi de indulto, & ſocietate hujuſmodi ſpecialis, & expreſſa, mentio fiat in Literis Apoſtolicis. Et tunc non veram Decimam, ſed mediam auri unciam Cameræ Apoſtolicæ ſolvendo pro omnibus eorum locis, ac Eremitoriis, bonis, & perſonis, liberationem conſequantur, prorsùs eximimus, & totalitèr liberamus, eaque omnia, & eorum quodlibet in jus, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ prædictæ, ac ſub eorum, & noſtra protectione ſuſcipimus: Quod ſi Legati, Subdelegati, Ordinarii, aut aliæ perſonæ prædictæ contra exemptionem, & liberationem noſtram hujuſmodi quidquam attentare quoquomodo præſumpſerint, ac præſentium literarum vigore requiſiti per ipſius de novo erectæ Societatis Prælatos, Eremitas, vel Procuratores eorum, infra tres dies à die requiſitionis hujuſmodi computandos, non deſtiterint, excommunicationis ſententiæ ipſo facto noverint ſe ſubjectos: & ſi fortè aliter factum fuerit, eo ipſo ſit irritum, & inane, nulliuſque roboris vel momenti. Prætereà ipſis, (*) ut Clericos eorum Ordinis ad primam tonſuram, & quatuor Ordines Minores; ad Sacros verò etiamſi tempus à Canonibus ſtatutum non attigerint, per quemlibet Catholicum Epiſcopum in eorum locis, & alibi, ubicumque eis commodum fuerit; abſque licentia Diœceſani (**) etiàm extra tempora, diebus tamen Dominicis, vel Feſtis eos promoveri faciendi, & de eiſdem liberè conferendi, eumdemque pro conſecratione Altarium, ſeu Eccleſiarum pro oleo Sancto, & quolibet Eccleſiaſtico Sacramento adeundi; & de licentia eorum Capituli generalis, ſeù Provincialis, Hieruſalem, & alia loca Sancta viſitandi, & inibi habitandi, ac loca, & eleemoſinas etiam ab Infidelibus recipiendi, licentiam, & facultatem concedimus. Et inſuper pro conſervatione puritatis eorum ſolitudinis, ne Mulieres ad eorum Eremitoria, etiam Sancti Hieronymi de Paſcelupo Eugubinæ Diœceſis, præſentia, & futura intra videlicet per eos præfixos, vel præfigendos terminos, præter illos tantùm dies, quos ipſi ſtatuerint (dummodò non ultra tres dies) in quolibet anno accedere quomodolibet ſub excommunicationis pœna audeant, vel præſumant, Cellularum tamen ipſorum ingreſſu ſemper prohibito remanente inhibemus. Demùm pro commoditate, & utilitate Eremitoriorum, & locorum hujuſmodi præſentium, & futurorum, de licentia eorum Capituli generalis, ſeù Provincialis eis, & cuilibet eorum, ac pro tempore exiſtentibus, quæcumque immobilia Bona ad eos, eorumque Eccleſias, Monaſteria, Eremitoria, Altaria, & loca hujuſmodi pro tempore ſpectantia, & pertinentia in Emphyteuſim perpetuam, vel ad tempus ſub aliquo annuo canone, ſive cenſu, quibuſvis perſonis in evidentem Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Regularium locorum hujuſmodi concedere, illaque pro aliis immobilibus bonis utilioribus permutare, ſeu vendere, & alienare, & pretium inde veniens in aliis immobilibus bonis, Eccleſiis, Eremitoriis, & Regularibus locis eorum utilioribus, ac aliàs juxtà Literas fel.rec. Pauli II. Prædeceſſoris Noſtri de Rebus Eccleſ. non alienandis; Ita quòd Priores, qui pro tempore fuerint locorum hujuſ.

hujuſmodi Judices ad hoc, ut immobilia bona hujuſmodi in Emphyteuſim, vel cenſum, aut aliàs danda, & permutanda, ſeu vendenda, & alienanda, coram eiſdem Judicibus ſpecificentur, eligere poſſint, convertere, & aliis cœteris Eremitoriis eorum ſocietati, prout eis commodius viſum fuerit, pro ejuſdem Societatis conſervatione applicare valeant, & quæcumque bona, etiam feudalia, & emphyteotica etiam Eccleſiaſtica eidem Societati, tàm inter vivos, quam cauſa mortis, ſeu teſtamento, vel codicillo, dari. concedi, & relinqui liberè poſſint: ita tamèn quòd ipſa Societas ad eadem onera, ad quæ Donator, ſeu Teſtator, hujuſmodi occaſione bonorum eorumdem tenebatur, & quæcumque alia, quæ ipſe Donator, ſeu Teſtator etiàm impoſuerit, omninò teneatur. Et ſi ad certum numerum generationum, aut nominationum eadem bona conceſſa fuerint, ipſa Societas non perpetuò, ſed per triginta annos, pro qualibet generatione, ſeù nominatione hujuſmòdi bona eadem tenere poſſit, & finitis ipſis annis bona prædicta ad eorum directos Dominos devoluantur, & abſque eorum conſenſu teneri non valeant. Statuimus, & ordinamus. Ulterius ipſis de licentia Capituli Generalis, ſeù Provincialis dictæ Societatis curam Animarum, Monaſterii S. Salvatoris de Monte Acuto, & Parochialium S.Michaelis Archangeli,ac Prioratus Sancti Salvatoris de Fano, Peruſinæ, Tudertinæ, & Fanen. Diœceſis, & Eccleſiarum eidem Societati perpetuò canonicè unitarum abdicare, & de conſenſu illarum Parochianorum in loco dictis Parochianis accomodo alias Eccleſias, quibus cura Parochianorum prædictorum applicetur, conſtrui facere; ſeù alteri Parochiali, quæ Parochianis hujuſmodi accommoda fuerit, etiàm de conſenſu illius Rectoris, cui pro hujuſmodi cura exercenda, quod inter eos conventum fuerit, ſolvant; ac illas Juriſdictioni Ordinarii loci ſubiicere, ac loca quæcumque, etiam per Eccleſiaſticas, & Religioſas perſonas eis concedenda recipere, & eorum uſui applicare: Necnon loca, ſivè Eremitoria pro tempore recepta perficere, & alia de novo cum Eccleſiis, Oratoriis, humili Campanili, cellulis, & officinis neceſſariis conſtruere, ſeu conſtrui, & jam conſtructa pro convenientiori eorum manſione demoliri facere, & ea ad aliorum locorum conſtructorum, ſivè de novo conſtruendorum uſum convertere. Ac pro dicti Ordinis propagatione omnes, & ſingulos Religioſos quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, & Congregationum, ac Monaſteriorum, ad Eremitoria prædicta tamquam ad arctiorem vitam convolare, & ſub Societate, & eorum habitu Altiſſimo famulari eligentes, Superiorum ſuorum licentia petita, licet non obtenta, abſque aliqua contradictione, vel obſtaculo recipere, ipſique ſic recepti, & in eadem Societate, ſive Ordine profeſſi, ad omnia officia, & dignitates Societatis eorundem Eremitarum promoveri, & aſſumi liberè, & licitè valeant, indulgemus. Poſtremo Majori, ac omnibus, & ſingulis Viſitatoribus, Provincialibus, Prioribus, & aliis Officialibus, ac Fratribus, ſeu Eremitis prædictis, ut ipſi omnes, & ſinguli, ac commiſſi, Oblati, Novitii, Servitores, Familiares, Benefactores, & aliæ perſonæ, ac etiam Oratoria, Eccleſiæ, Monaſteria, Eremitoria, & loca, & quæcumque bona, & cætera alia ejuſdem Societatis pro tempore pertinentia, omnibus, & ſingulisIndulgentiis, peccatorum remiſſionibus, gratiis, conceſſionibus facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, præeminentiis, prærogativis, libertatibus, favoribus, licentiis, & Indultis Apoſtolicis, vel alitèr qualiacumque ſint, quibus omnes, & ſinguli Ordines, Congregationes, Societates, & Monaſteria, ſub approbatis regulis degentes, ſeu militantes, ac degentia, ſeù militantia, eorumque Superiores, Generales, Provinciales, & particulares Monachi, ſeù Religioſi, Commiſſi, Oblati, Novitii, Familiares, Servitores, Benefactores, & aliæ perſonæ, eorumque Eccleſiæ, Oratoria, & alia quæcumque Bona, quæ omnia, ac ſi nominatim exprimerentur hic haberi volumus, pro ſufficientèr expreſſis conjunctim, & diviſim eis, & cuilibet ipſorum, in genere vel in ſpecie, etiam vivæ vocis Oraculo, vel aliàs quomodolibet conceſſis, ſeù concedendis, tàm iu ſpiritualibus, quàm in temporalibus; tàm in communi, quàm in particulari, ſeù alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent; ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, abſque ulla differentia, tàm in communi, quàm in particulari, vel alias quomodolibet uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, & poſſint tenore præſentium, & in perpetuum; ac etiàm de novo concedimus pariter, & indulgemus; & in eis locum habere volumus, ac ſi eiſdem omnia, & ſingula præmiſſa directè, & expreſſe, conceſſa fuiſſent, exceptis his, quæ eſſent contra eorum conſtitutiones approbatas, ac ordinationes, & declarationes capitulares factas, & pro tempore faciendas: Ac ut dùm Privilegiorum, Conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, gratiarum, & Indultorum eorum, & cujuslibet dictorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Monaſteriorum Originales literæ, ſeu tranſumpta authentica, ex illis prout in favorem dictæ Societatis, ejuſque Superiorum, Eremitarum, Commiſſorum, Oblatorum, Novitiorum, Familiarium, Servitorum, Benefactorum, & perſonarum, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Eremitoriorum, locorum bonorum, & aliorum cæterorum

rum ejuſdem Societatis adducerentur, vel exhiberentur, eadem Fides indubia adhibeatur tàm in Judicio, quàm extra, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac ſi pro, & in favorem eorum Societatis, Eccleſiarum, Eremitoriorum, & Monaſteriorum, Fratrum, & perſonarum, ac bonorum prædictorum, & prædictarum à Sede Apoſtolica emanaſſent; ac eis, & cuilibet ipſorum fuiſſent immediatè conceſſæ, mandamus: Necnon, quòd præſentium Tranſumptis manu Notarii publici ſubſciptis, & Sigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici munitis, ubique ſtetur, prout Originalibus literis ſtaretur, & plena fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus daretur, ſi eſſent exhibitæ, & oſtenſæ: Quodque eædem præſentes literæ, & in eis contenta quæcumque ſub quibuſvis revocationibus, modificationibus, limitationibus, & ſuſpenſionibus quarumcumque literarum, gratiarum, & diſpoſitionum, per Nos, & Sedem Apoſtolicam, etiàm motu proprio ex certa ſcientia, ſeù ad Imperatoris, Regum, & Ducum inſtantiam conceſſis, & concedendis, nullatenùs comprehendantur, ſed ſemper ab illis exceptæ ſint, & quoties revocata, modificata, limitata, ſuſpenſa, aut alterata forent; in eodem ſtatu, in quo ante revocationem, modificationem, limitationem, ſuſpenſionem repoſitæ, reſtitutæ, & reintegratæ, & ſi opus fuerit de novo conceſſæ ſint, & eſſe cenſeantur; & quotieſcumque per aliquem, aut plures actus contra ea, aut ipſorum, à quocumque cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs, conditionis fuerit, ex negligentia, vel ignorantia præſentium, quibus ea conceduntur, aut alia quavis cauſa ſcienter, vel ignoranter attentari, vel attentata obſervari contigerit, nullum tamèn propterea exemptionibus, immunitionibus, libertatibus, gratiis, indultis, & privilegiis hujuſmodi præjudicium generetur: Sed ea omnia, & ſingula in ſuo robore, & firmitate permaneant; præſenteſque literas abſque aliorum inſtrumentorum, literarum prædictarum productione, & obſtenſione ad probandum plenè omnia, & ſingula ſuperiùs enarrata, ſpecificata in judicio, & extra ubique ſufficere: nec ad id probationis alterius adminiculum requiri: Et ſi fortè contigerit aliquod dubium in dictis per nos confirmatis, & præſentibus literis, aut aliquo eorum pro tempore emergi data verborum ambiguitate, & Juriſperitorum interpretatione dictæ Societatis de novo erectæ, ac illius locorum particularium, & perſonarum favorem interpretari debere. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, extraordinarios, ac delegatos, & Cauſarum Palatii Auditores, ac S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſententiari, judicari, & diffiniri debere; ſublata eis, & eorum cuilibet quacumque alia judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate. Irritum quoque, & inane quicquid ſecus fieri, ſivè attentari contigerit, decernimus, mandantes harum ſerie univerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, ac quarumcumque Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, necnon prædictorum Patriarcharum, & Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Spiritualibus Vicariis generalibus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes noſtras, & in eis contenta quæcumque ſolemnitèr publicantes, ipſiſque Eremitis, ſive Fratribus, ac perſonis prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eoſdem Eremitas, ac alias perſonas omnibus præmiſſis pacificè frui, & gaudere, non permittentes ipſos, ſeù ipſas ſuper his per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Secularis, non obſtantibus præmiſſis, ac recol. mem. Bonifacii Octavi de una, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodò, non ultra tres: ac Innocentii IV. contra Exemptos, quæ incipit: *Volentes*, & Pauli II. ſuper alienat. bon. & etiam Eccleſiaſticorum, ac Religioſorum locorum; necnon noſtræ, qua inter alia volumus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis unire, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum cōmunem æſtimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret; & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, & aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, & ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac prædictarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Religioſorum locorum, & Ordinum quorumcumque, etiam Camaldulenſium hujuſmodi, & Hoſpitalis Sancti Antonii, de Sancto Antonio Viennen., & aliarum, ac etiam Mendicantium, & non Mendicantium Statutis, Conſuetudinibus etiam illis, in quibus cavetur, ut Mulieres ad dictum Eremitorium S. Hieronymi de Paſcelupo ſub excommunicationis latę ſententię pœna nunquam accedant, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis Camalduen. aliiſque Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, & Militiarum Monaſteriis, Eccleſiis, & Hoſpitali S. Antonii hujuſmodi, necnon Univerſitatibus, Congregationibus, Societatibus,

B tibus,

tibus, Communitatibus, Collegiis, & cæteris aliis perſonis, & locis per Nos, & Sedem prædictam ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & inſolitis, illis præſertim, quibus inter alia caveri dicitur expreſsè. Quod nulli Fratres, ſeu Monachi de dictis etiam Mendicantium Ordinibus ad alium Ordinem, etiam ſtrictiorem, tranſeuntes, per Superiores, Priores, & alios Fratres Ordinum, aut Societatum, ad quos ſe tranſtulerint, etiam de licentia eorumdem Superiorum petita, & obtenta recipi, & admitti poſſint; aliàs recipientes, & recepti excommunicationis ſententiam incurrant, ipſique ſic, vel alio modo recepti ad aliquod officium, ſeù prælaturam ejuſdem Ordinis, in quo recipiuntur, eligi non poſſint abſque Apoſtolicæ Sedis ſpeciali, & expreſſa licentia per ipſius Sedis patentes literas concedenda, facientes plenam, & certam, & determinatam de Statuto, & ordinatione hujuſmodi expreſſam, & individuam mentionem. Quibus omnibus, etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ſeù quævis alia expreſſio habenda, vel aliqua alia exquiſita forma ſervanda foret, eorum omnium tenores, & formas illarum conceſſionum, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autèm, quòd prædicti Eremitæ ſuper præmiſſis Bullam, ſeu literas ſub plumbo infra annum à data præſentium computandum, expediri facere teneantur, alioquin elapſo dicto anno præſentes literæ nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III. Septemb. 1529. Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Sub Plica Balthaſ. de Piſcia.

Super Plicam Franciſcus Galleanus.

Exemplar in pergamena authenticum in Archivo Gen. Ord. Armario Authentica *in faſc. collig. num.* 3.

N O T A.

Multas quidem Conſtitutio hæc, quam poſtea PP. Paulus III. literis ſub plumbo expeditis, & incip. *Rationi congruit*, & Pius IV. conſtitutione *Nuper Apoſtolica* confirmârunt, continet gratias, & privilegia Ordini Patrum Camaldulenſium, & noſtro conceſſa, quorum tamen aliqua ceu noſtræ Regulæ, & Statui Capucino contraria, à nobis nunquam fuère acceptata, nec acceptari poterant; hinc in hujus Conſtitutionis Summario, privilegia Camaldulenſium nobis nonniſi *reſpectivè* con-propria eſſe, notanter fuit poſitum. Inter illa autem, quæ Ordo noſter ceu proprium, & ſpecialiſſimum retinet, peculiari notâ dignum eſt illud (*) quo Camaldulenſibus, & nobis - *ut Clericos eorum Ordinis ad primam Tonſuram, & quatuor Ordines Minores, ad Sacros verò, etiamſi tempus à Canonibus Statutum non attigerint, per quemlibet Epiſcopum in eorum locis, & alibi, ubicunque eis commodum fuerit, abſque licentia Diœceſani*, etiam extra tempora, *diebus tamen Dominicis vel Feſtis, eos promoveri faciendi &c.* - facultas conceditur.

Duo in hac periodo, Camaldulenſium, & noſtro Ordini, concedi privilegia, manifeſtè patet: videlicet primò, quod utriuſque Ordinis Clerici poſſint *Ordinari extra tempora*. Secundò, & quidem *abſque licentia Diœceſani*. Primum quòd attinet, firmitati vel illius ſubſiſtentiæ, ſolùm contradici poſſe videtur cum aſſertione, quod poſtea à Concilio Tridentino Seſſ. 23. Cap. 8. fuerit revocatum. Hoc autem à Concilio non factum eſſe, ex ipſis Concilii verbis deducitur, quæ hæc ſunt: *Ordinationes Sacrorum Ordinum Statutis à Jure temporibus, ac in Eccleſia Cathedrali, vocatis præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis publicè celebrentur.*

Maturiùs jam ſi textus trutinetur, per illum Concilium aliud non ſancit, quàm, *ut Ordinationes Sacrorum Ordinum Statutis à Jure temporibus celebrentur*: non tamen prohibet, quin extra Statuta tempora, hi conferantur habentibus privilegium, cui Concilium eo ipſo non derogavit, cum de eo nullam fecerit mentionem, nec etiam generaliter illud excluſerit, uti fecit, ubicumque voluit infirmare Regularium privilegia, per clauſulas - *appelationibus, privilegiis, exemptionibus &c. quibuſcumque in præmiſſis minimè ſuffragantibus*, vel *privilegiis, exemptionibus, Conſervatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adversùs præmiſſa, nequaquam valituris &c.* Prout ſimiles clauſulas ſparſim, & paſsim in Concilii decurſu videre eſt. Nec Syllaba autem de tali clauſula, vel privilegii revocatione invenitur in Decreto de Ordinibus Statuto tempore conferendis, imò cum immediatè poſt illud expreſsè excludat privilegium de Ordinibus à non Diœceſano accipiendis - *nullatenus id ei etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu &c. permittatur* - manifeſtè patet, quod dum in antecedente Decreto, privilegium non excluſit, illud voluerit eſſe incluſum, aut in ſuo robore perſiſtens, ita, ut cum Rodriquez (*a*) & Joanne Gallemart (*b*). Privilegium ſuſcipiendi Ordines extra tempota per hoc Decretum, minimè fuiſſe ſublatum, rectè concludatur. Corruit inſuper robur objectionis ex vivæ vocis oraculo, quo PP. Innocentius IX. omnia Ordinis noſtri privilegia (poſt Tridentinum) indefinitè confirmavit, & quod Greg. PP. XV. in ſua ſaltem, generali talium oraculorum revocatione, non contineri, expreſsè declaravit, prout utrumque infra ſuis patebit locis.

Vivunt quoque adhuc ex Patribus noſtris, qui exhibitô hoc privilegio in hac alma Urbe extra tempora fuère ordinati; Imo ratihabuère hoc à Concilii tempore Rm̃i Epiſcopi diverſarum Nationum, qui allegato, vel exhibito hoc privilegio, nobis Sacros Ordines extra tempora conferre non gravabantur, nec adhuc gravantur; præſertim cum privilegium (ſaltem quoad Italiam) novum acquiſiverit fulcimen ex Conc. Rom. Anno Júbilæo 1725. à S. M. PP. Benedicto XIII. celebrato, in quo tit. v. Cap. 2. hæc ſancita fuerunt: *Quò verò ad Regulares, privilegia à Summis Pontificibus habentes, ſivè expreſſe, ſivè per viam communicationis conceſſa, ſacros videlicet Ordines extra tempora*

(a) *In collect. Bull. ſeu privil. Apoſt. fol. mibi* 505. *col.* 1. *ubi Declarationem Cardinal. Conc. Trid. Interpretum citat.*

(b) *Fol. mibi* 307.

pora ſuſcipiendi, cum privilegia ipſa in ſuo robore perſiſtant, nec iis derogatum fuiſſe conſtet, decernimus proinde Regulares eoſdem, abſque novo Indulto Apoſtolico, tutò poſſe extra tempora ordinari.

Quantumvis autem Religio huic privilegio, ceu ſibi expreſſiſsimè dato, attentè inſiſtat, non tamen ita inhæret ſecundo, in contextu hujus Clementinæ Conſtitutionis mentionato, videlicet recipiendi Sacros Ordines, *abſque licentia Diœceſani*: cum hoc (ùt jam ſupra memoratum eſt) per Concilium Tridentinum *ſaltem generaliter*, ſit revocatum per verba - *Quod, ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu ,.... permittatur* - Volunt quidem nonnulli, quod generica revocatio privilegii,& beneficii non ſufficiat,ſed expreſſa requiratur: Religio tamen noſtra Sac.Conciliorum Statutis ſemper exactè devota, doctrinæ huic (quæcunque illa ſit) non inhæret, ſed econtra per Conſtitutiones, à S.Sede approbatas, noſtratibus, Sacros Otdines ab Epiſcopo Diœceſano recipi præſcribit, & caſu, quo ob abſentiam, vel aliud Epiſcopi Diœceſani impedimentum, Clericos noſtros ad alium mitti contingeret, ordinat, ut in eorum Obedientialibus expreſſa de hiſce cauſis vel impedimento fiat mentio.

In materia SS. Ordinum dum ita verſamur, adducere juvat duo alia Apoſtolica Decreta, quorum notitia, & Reverendiſſimis DD.Epiſcopis,& Ord.Noſtri Superioribus ſubinde plurimùm conducit: Rm̃is Epiſcopis; qui cum aliquando tenacius literæ Concilii Trident. inhærentes, prætendant, quod etiam Ordinandorum noſtrorum nomina, ac deſiderium publicè in Eccleſia debeant proponi, meminiſſe dignentur, olim ad inſtantias noſtri P. Anſelmi de Monopoli, tunc Procuratoris Generalis, ac poſtea S. R. E. Cardinalis, contrarium ita fuiſſe deciſum:

Congregatio Concilii cenſuit Decretum Cap.v. Seſſ.23. non comprehendere regulares; ideoque ordinandos eſſe ipſos (niſi aliud obſtiterit) quamvis in Eccleſia eorum nomina propoſita non fuerint:

Superioribus Ordinis verò, quos, dum interſtitia pro ſuis Ordinandis remitti volunt, ſcire oportet, ab eadem Congregatione circa motum deſuper dubium, ita reſolutum fuiſſe.

Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum ſæpius declaravit, remiſſionem Interſtitiorum, ex cauſis à Concilio expreſſis,pertinere ad Epiſcopum ordinantem quoad Regulares, ab eo Ordines ſuſcipientes,non autem ad Regulares Superiores; ipſum tamen Epiſcopum de cauſis remiſſionis teneri fidem adhibere,ac deferre teſtimonio ſuperioris Regularis - Utriuſque hujus Decreti exemplar authenticum aſſervatur in Archivo Ord. Tom. D. n. 125.

Fuère etiam olim, præſertim in Flandriæ partibus Epiſcopi, à Miniſtris Provincialibus exigentes, ut in literis, quibus ſuos Clericos, Sacris Ordinibus initiandos, comitabantur, & commendabant, non ſolùm ipſis Epiſcopis obedientiam ſponderent, ſed etiam juridicâ fidejuſſione ſe obligarent ad victum, & veſtitum, talibus Ordinatis ſubminiſtrandum, caſu quo, vel ipſi Religionem desererent, vel Religio ipſos desereret. Fuit autem hæc prætenſio reprobata Decretô Sac. Congregationis Concilii, quod poſtea ab Urbano VIII. (uti videre eſt inter ejus Conſtitutiones) Brevi Apoſtolico, incipiente - *Nomine dilecti* - fuit firmatum.

Quòd dein in ordinandis ad Presbyteratum non requiratur biennale Theologiæ ſtudium, patet ex ejuſdem Sac. Concilii Decreto ſeu ordine dato Illuſtriſſimo Domino Internuntio Belgii... per Epiſtolam, quæ ſequitur, & cujus exemplar pariter aſſervatur in Archivo generali T. L. num. 64.

Illuſtris, & Adm. Rev. Domine. *Sacræ Congregationi Concilii ſupplex retulit Miniſter Provincialis Capucinorum iſtius Provinciæ, nonnullos in ea reperiri Epiſcopos renuentes, ſivè Regularibus, ſivè Sæcularibus, Sacrum Presbyteratûs Ordinem conferre, niſi ordinari petentes, per biennium ſaltem, Sacræ Theologiæ Studuerint. Hinc Eminentiſſimi Patres perpendentes, requiſitum hujuſmodi præter Sacrorum Canonum diſpoſitionem eſſe, præſentibus literis ei committi voluerunt, ut ſi, & quatenus expoſita veritati nitantur, dictorum Epiſcoporum prætenſioni ſe opponat, eamque eliminare prò viribus curet. Id ab ejus inſigni Zeló, & prudentia ſperantes, felicitatem plurimam ei precamur à Domino. Romæ* 18. *Martii* 1684.

F. Card. Columna Præfectus.

A. Altovitus S. C. Conc. Secret.

Nonnullis PP. Obſervantium ex fama, quod Fratres noſtræ Congregat. S. Regulam ad Literam obſervare vellent, conturbatis, Fr. Ludovico & ejus Sociis, ne deinceps Obſervantes, aut nova Loca ſine ſpeciali Sanctæ Sedis licentia reciperent, inhibet.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis Filiis Ludovico de Foſſombruno Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori, Fratri Capucciato nuncupato, & ejus Sociis, & eorum cuilibet.

Dilecti Filii &c. Cum, ſicut accepimus, Vos prætendentes velle Regulam Beati Patris veſtri Franciſci, ad unguem, juxta ejus literalem ſenſum, & non declarationes ſuper illam per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros hactenus editas obſervare, à propriis Domibus Ordinis Veſtri Fratrum Minorum, Regularis Obſervantiæ nuncupatorum receden- tes, & ad diverſas alias domos, & loca, etiam ipſius Ordinis vos transferentes, ac inibi Vos Fratres Capucciatos nuncupantes, maximam in dicto Ordine perturbationem ſuſcitare, & cœteris ipſius Ordinis profeſſoribus, an per eos Regulæ prædictæ ad plenum ſatisfiat? hæſitandi materiam præbere, viſi fueritis, in gravem animi ipſorum Profeſſorum trepidationem. Nos volentes perturbationi, & ſcandalo prædictis, quantum cum Deo poſſumus, obviare; motu proprio, & ex certa ſcientia, vobis & veſtrûm ſingulis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam vos & veſtrûm ſingulos, ſi præſentibus noſtris contraveneritis, incurrere volumus, ipſo facto, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus de cœ-

tero aliquem ex ipſius Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ nuncupatorum Profeſſoribus, etiamſi ad Fratres ipſius Ordinis Conventuales nuncupatos, antea tranſiverit, & ab eis receptus fuerit, ſeu habitum ipſius Ordinis prius dimiſerit, & in habitu Sæculari exiſtat, in Socium, vel Fratrem Veſtrum, aut novas domos, vel loca ad habitandum recipere, abſque Sedis prædictæ licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam de præſentibus mentionem faciente, nullatenus præſumatis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, vobis ſub quibuſcumque tenoribus, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, contrariis quibuſcumque: Aut ſi vobis communiter vel diviſim, ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſitis per Literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de Verbo ad Verbum de indulto hujuſmodi mentionem; Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 9. Aprilis 1534. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

Ex Wadingo Tom. 16. fol. mihi 380.

PAULUS PAPA III.

Romanus, Alexander de Farneſiis antea dictus S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus 12. *Oct.* 1534. *Romæ Summus Pontifex creatus. Obiit* 10. *Nov.* 1549. *poſtquam ſediſſet annos* 15. *dies* 29.

Religione PP. Obſervantium ob continuum ſuorum ad novam reformationem tranſitum, ſemper magis concuſsâ, Capucinis interdicit, ne Profeſſores de Obſervantia, vel de quavis alia Religione, nec Loca, nec Domus, uſque ad generale PP. Obſervantium Capitulum recipiant.

PAULUS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

ACcepimus, quod ex eo, quod nonnulli Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſores, ob frugem, ut aſſerunt, melioris vitæ, aut ex aliis cauſis eorum animum moventibus, habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum dimittere, & ſe de domibus, & locis ejuſdem Ordinis ad domos, & loca Fratrum Ordinis Sancti Franciſci, Capucciatorum nuncupatorum, ſe transferre nituntur, Religio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia plurimùm perturbatur, & ſcandalizatur. Quare Nos non valentes ad præſens ob varia, & diverſa negotia, quibus in noſtri Pontificatus..... in quo ſumus, occupamur, huic rei, ut vellemus, vacare; & cum dicti Ordinis de Obſervantia Generale Capitulum, à quo maturiùs informari ſperamus, in proximo Pentecoſtes feſto celebrandum ſit, de conſilio nonnullorum S.R.E. Cardinalium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus dicti Ordinis Minorum de Obſervantia profeſſor ad domos & loca dictorum Fratrum Capucciatorum, quovis prætextu, ſine noſtra ſpeciali licentia ſe transferre poſſit, & valeat, & contraveniens excommunicationis pœnam ipſo facto incurrat. Inhibentes ſub eadem pœna excommunicationis, univerſis, & ſingulis Fratribus Capucciatorum prædictis, ne aliquos dicti Ordinis de Obſervantia Profeſſores, aut cujuſcunque alterius Religionis, vel Ordinis, aut domos vel loca recipiant, donec, ut prædiximus, à Capitulo Generali prædicto plenius informati, huic negotio opportunum cum Domino apponamus remedium. Interim verò, ſi qui Fratres ex Capucciatis ad Ordinem de Obſervantia, unde digreſſi ſunt, reverti voluerint, à Generali Ordinis Vicario charitativè recipi poſſint & valeant. Mandantes dilectis filiis Gubernatori Urbis, ac Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac dictæ Urbis Vicario, & eorum cuilibet, quatenus ſtatutum & ordinationem prædictam inviolabiliter obſervari faciant: Non permittentes aliquid per quoſcunque quacunque dignitate, præeminentia, & auctoritate fungentes, contra præſentium tenorem quomodolibet attentari; contradictores quoslibet, & rebelles, contra quos etiam manu Regia procedi poſſe volumus, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarii quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus publici Notarii ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Ann. Piſc. die 18. Decembris 1534. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Ex Wadingo Tom. 16. fol. 381.

Capu-

Capucinis receptionem aliorum Religioſorum (PP. Obſervantibus uſque ad eorum Capitulum generale duntaxat exceptis) non amplius interdictam eſſe, declarat.

A tergo. *Dilectis Filiis FF. Ordinis Minorum Capucinis (*) nuncupatis.*

PAULUS PAPA III.

Dilecti Filii Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NUper accepto per Nos, quod ex eo, quod nonnulli Ordinis Fratrum Minor. de Obſervantia nuncupatorum Profeſſores, habitum per eos geſtare ſolitum dimittere, & ſe de Domibus, & locis ejuſdem Ordinis ad Domos, & Loca veſtra ſe transferre nitebantur; Religio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum plurimùm ſcandalizabatur. Nos, non valentes tunc ob varia negotia, quibus occupabamur, huic rei, ut voluiſſemus, vacare, ac ſperantes in Generali Capitulo Fratrum dicti Ordinis de Obſervantia nuncupatorum, in proximo Pentecoſtes Feſto celebrando maturiùs de hac re informari poſſe, de conſilio nonnullorum S. R. E. Cardinalium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, per alias noſtras in forma Brevis literas ſtatuimus, & ordinavimus: quod nullus dicti Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſor, ad domos & loca veſtra quovis prætextu ſine noſtra ſpeciali licentia ſe conferre poſſet, & valeret, & contraveniens excommunicationis pænam ipſo facto incurreret. Inhibuimuſque ſub eadem pæna Vobis, ne aliquos dicti Ordinis Fratres de Obſervantia nuncupatos, aut cujuſvis alterius Religionis, vel Ordinis, aut domos, vel loca reciperetis, donec à Capitulo Generali prædicto plenius informati, huic negotio optimum remedium apponeremus: volentes, quod ſi interim aliqui ex vobis, qui ex Ordine Fratrum de Obſervantia Nuncupatorum egreſſi eſſetis, ad ipſum Ordinem de Obſervantia nuncupatum reverti velletis, ad ipſius Ordinis de Obſervantia Nuncupati Vicario charitativè recipi poſſetis, prout in dictis literis pleniùs continetur.

Cum autèm poſtea à fide dignis certiores redditi ſimus, ex Fratrum aliorum Ordinum, & Religioſorum, ac ipſorum Domorum, & Locorum receptione nullum ſcandalum naſci, ſeu provenire. Nos, qui ad inhibitionem prædictam ſolùm, ut ſcandala tollerentur, devenimus, Motu, & ſcientia ſimilibus mentis noſtræ eſſe declaramus, per literas prædictas ſolùm Fratrum de Obſervantia nuncupatorum perſonarum, & locorum receptionem uſque ad dictum Capitulum Generale vobis prohibere, & quoad alia, vos remanere in eodem ſtatu, in quo antequam dictæ literæ emanarent eratis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis aliis literis Apoſtolicis, per quas vobis, aliorumque dictorum Fratrum de Obſervantia Nuncupatorum, & eorum receptio locorum prohibebatur, ac quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quibus omnibus etiamſi ad eorum derogationem requiratur expreſſa, & ſpecialis ipſorum, & clauſularum in eis contentarum mentio ad effectum prædictorum ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus etiam, quod præſentium Tranſumptis Sigillo alicujus Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, ac manu alicujus Publici Notarii ſubſcriptis, eadem prorſus fides habeatur, quæ originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 12. Januarii 1535. Pontificatus Noſtri anno primo.

Bloſius.

Exemplar authentic. in Pergamena in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 10.

N O T A.

VOX infantium, quorum linguam divina Providentia ex arcano ſuo conſilio aliquando facit diſertam, nomen *Capucini*, (*) in Conſtitutionis hujus inſcriptione expreſſum, originaliter nobis impoſuit; cum enim pueri in Reformationis exordio, Fratres, Capucio pyramidali obtectos viderent, novitatem veſtitûs admirantes, balbutiente ſuâ linguâ, ex viſo capucio, nomenclaturam *Capuccinos* formârunt, & per plateas incedentibus Fratribus acclamârunt, *Capuccinos*, teſte hiſtoriæ Romualdinæ auctore, qui ita deſuper ſcribit: (a) *Pueris poſt eos acclamantibus* Capuccinos, *eâ acclamatione tale illis nomen remanſit, & ex ore Infantium perfecta eſt laus.* Remanſit, dico, nomine, quo prius, etiam in Conſtitutionibus Pontificiis, *Capucciati* vocabantur, ſuppreſſo. (a) *Lib.* 3. *cap.* 14.

Non ſolùm autem Patres noſtri nomen hoc Zelotes retinuêre, ex eo, quod eſſet mirabilis tenellæ ætatis fætus, verùm etiam, quod in illo reformati Habitûs laus pateret, & Ordo noſter, ob Ordine RR. PP. Conventualium & Obſervantium, cum quibus in titulo *Fratres Minores*, ob eandem cum iis S. Regulam convenimus, appoſitè diſcriminaretur.

Atten-

Attentô Capituli Generalis ſtatutô, quo Rmus P. Miniſter Generalis, & Vocales de obſervantia Fratribus ſuis, arctiorem vitam ducere volentibus, congrua loca à Provincialibus Capitulis in dictum finem aſſignanda eſſe, ſancivêre, Capucinis receptionem PP. Obſervantium, ſine Sanctæ Sedis aut RR. PP. Miniſtri aut Commiſſarii Generalium ſpeciali licentia noviter interdicit.

PAULUS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam.

PAſtoralis officii cura Nos admonet, ut ad ea diligenter intendamus, per quæ ſinguli Religioſi, & præſertim Ordinum Mendicantium profeſſores, qui ſub voluntariæ paupertatis habitu Domino militant, ſemotis perturbationibus, & ſcandalis quibuslibet, gratum, & ſedulum impendere valeant Altiſſimo famulatum. Dudum ſiquidem per Nos accepto, quòd ex eo, quòd nonnulli Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſores ob frugem, ùt aſſerebant, melioris vitæ, aut ex aliis cauſis, eorum animos moventibus, habitum per ipſos profeſſores geſtari ſolitum dimittere, & ſe de domibus, & locis ejuſdem Ordinis ad domos, & loca Fratum Ordinis Sancti Franciſci Capuciatorum nuncupatorum transferre nitebantur, Religio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum plurimùm perturbabatur, & ſcandalizabatur: Nos tunc de conſilio nonnullorum S. R. E. Cardinalium ſtatuimus, & ordinavimus, quòd nullus ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, profeſſor, ad domos, & loca dictorum Fratrum Capuciatorum, quovis prætextu ſine noſtra ſpeciali licentia ſe transferre poſſet, & contraveniens excommunicationis pœnam ipſo facto incurreret, inhibendo ſub eadem pœna excommunicationis, univerſis, & ſingulis Fratribus Capuciatorum prædictis, ne aliquos ipſius Ordinis Fratrum Minorum profeſſores ad eorum domos vel loca reciperent, donec à Capitulo Generali ipſius Ordinis Fratrum de Obſervantia, quod tunc celebrandum inſtabat, pleniùs informati, eidem negotio opportunum cum Domino apponeremus remedium, prout in noſtris inde in forma Brevis confectis literis pleniùs continetur. Cum autem, ſicut accepimus, Capitulum Generale hujuſmodi poſtmodum celebratum fuerit, & dilecti filii Miniſter Generalis, & alii Vocales ejuſdem Capituli opportunè ordinaverint, & ſtatuerint, quòd ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia profeſſoribus, arctiorem vitam ducere cupientibus, in Provincialibus Capitulis aſſignarentur congrua loca, in quibus eandem vitam ducere poſſent: Nos, poſt communicationem negotii hujuſmodi cum nonnullis S. R. E. Cardinalibus, ordinationem, & ſtatutum hujuſmodi, cum omnium, & ſingulorum tam juris, quàm facti defectuum, ſi qui forſan intervenerint, ſuppletione, confirmantes, & approbantes, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari debere decernentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero omnes, & ſinguli Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſores, arctiorem vitam hujuſmodi ducere cupientes, ad loca, per Capitula Provincialia, juxta ejuſdem Generalis Capituli determinationem, ad hunc effectum deſignanda, ſe transferre debeant, nec ad domos aut loca Fratrum Capuciatorum quovis prætextu ſine noſtra, aut Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia, ſpecialem præſentium noſtrarum literarum mentionem faciente, aut ſaltem abſque Miniſtri, ſeu Commiſſarii Generalium dicti Ordinis Minorum de Obſervantia ſpeciali licentia in ſcriptis habita, ſub pœnis, & cenſuris in eiſdem prioribus noſtris appoſitis ipſo facto incurrendis, ſe transferre, aut illorum habitum aſſumere vel geſtare poſſint. Eiſdem Fratribus Capuciatis nihilominus ſub excommunicationis hujuſmodi pœna diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſores, etiam in habitu Sæculari, aut cujuſvis alterius Religionis ad eos accedentes, aut eorum domos ſeu loca, quovis prætextu, ſeu quæſito colore non recipiant. Si qui verò ex præfatis Capuciatis Fratribus, qui olim de Obſervantia fuerunt, ad eundem, unde digreſſi ſunt, Ordinem redire voluerint, ab iiſdem Generalibus Miniſtro, & Commiſſario dicti Ordinis infra annum duntaxat à data præſentium computandum, charitativè recipi poſſint, & valeant. Mandantes dilectis filiis Gubernatori Almæ Urbis noſtræ, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, aut dictæ Urbis Vicario, & eorum cuilibet, quatenus ſtatutum, & ordinationem prædictam inviolabiliter obſervari faciant, non permittentes aliquid per quoſcunque quacunque dignitate, præeminentia, & auctoritate fungentes, contra præſentium tenorem quomodolibet attentari. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis eiſdem Fratribus Capuciatis, aut aliis quibuſcumque quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, cæteriſque contra-

contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, Sigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, ac manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 14. Aug. 1535. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Bloſius.

Ex P. Wadingo Tom. 16. fol. 398.

Decernit, ut, ſi juxta Capituli Generalis, à Patribus de Obſervantia celebrati, Sanctionem, Capitula eorum Provincialia, intra duos menſes Fratribus, arctiorem vitam ducere volentibus, non aſſignaverint, liberè hi ad Fratres Capuciatos, ſeu Capucinos tranſire poſſint.

PAULUS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum poſtquàm per nos accepto, quod ex eo, quòd nonnulli Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Profeſſores, ſub prætextu frugis melioris vitæ, aut ex aliis cauſis, habitum per ipſos Profeſſores geſtari ſolitum, dimittere, & ſe de Domibus, & Locis ejuſdem Ordinis ad Domos, & Loca Fratrum Ordinis Sancti Franciſci Capuciatorum nuncupatorum transferre nitebantur, Religio ejuſmodi Fratrum Minorum plurimum ſcandalizabatur, Nos per quaſdam ſtatuimus, & ordinavimus, quod nullus ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Profeſſor ad Domos, & Loca dictorum Fratrum Capucinorum, quovis prætextu ſine ſpeciali noſtra licentia ſe transferre poſſet, & contraveniens excommunicationis pœnam ipſo facto incurreret. Superioribus autem diebus cum accepiſſemus, quod Capitulum generale ipſius Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum ſtatuerat, quod ejuſdem Ordinis FF. Minorum de Obſervantia nuncupatorum Profeſſoribus, arctiorem vitam ducere cupientibus congrua loca, in quibus eandem vitam ducere poſſent, aſſignarentur.

Nos per alias noſtras in forma Brevis Literas ſimiliter ſtatuimus, & ordinavimus, quod ex tunc de cœtero omnes, & ſinguli dicti Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum Profeſſores, arctiorem vitam hujuſmodi ducere cupientes, ad loca per Capitula Provincialia, juxta ejuſdem Capituli Generalis determinationem ad hunc effectum deſignanda, ſe transferre deberent, nec ad Domos, ſivè Loca dictorum Fratrum, quovis prætextu, ſine Noſtra, aut Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia, ſpecialem literarum earundem mentionem faciente, aut ſaltem abſque Miniſtri, ſeu Commiſſarii Generalium dicti Ordinis Minorum de Obſervantia ſpeciali licentia, in ſcriptis habita, ſub pœnis, & cenſuris, in eis prioribus Literis appoſitis, ipſo facto incurrendis, ſe transferrent, aut illorum habitum aſſumere, vel geſtare poſſent: eiſdem Fratribus Capuciatis nihilominus ſub excommunicationis pœna diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenùs dicti Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum Profeſſores, etiam in habitu Sæculari, aut cujuſvis alterius Religionis ad eos accedentes, in eorum Domibus, ſive Locis, quovis prætextu, ſive quæſito colore non reciperent. Si qui verò ex præfatis Capuciatis Fratribus, qui olim de Obſervantia fuerunt, ad eundem, unde digreſſi erant, Ordinem redire vellent, ab eiſdem Generalibus Miniſtro, ſeù Commiſſario dicti Ordinis infra annum duntaxat, ex tunc computandum, charitativè recipi poſſent, prout in eiſdem Literis pleniùs continetur. Cum autem, ſicut Nobis ex fide dignorum relatione innotuit, Provincialia Capitula dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia aliqua Loca, ad quæ Profeſſores arctiorem vitam ducere cupientes, juxta dicti Capituli Generalis ordinationem ſe transferre poſſint, nondùm deputaverint, Nos, ne ipſi Profeſſores arctiorem vitam ducere cupientes, quò minus illam ducere poſſint, prætextu dictarum poſteriorum literarum impediantur, providere, ac eos in eorum propoſito confovere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra Scientia, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & decernimus, quod, niſi Capitula Provincialia prædicta, juxta tenorem poſteriorum literarum noſtrarum, loca, ad quæ ipſi Profeſſores arctiorem vitam ducere volentes transferri poſſint, infra duos Menſes, à die, qua præſentes Dilecto Filio Miniſtro Generali dicti Ordinis Minorum de Obſervantia, vel dicti Ordinis Generali Commiſſario in Romana Curia exiſtenti, intimatæ fuerint, computandos, realiter, & cum effectu deſignaverint, & deputaverint; quicumque ipſius Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, arctiorem vitam ducere volentes, ad loca dictorum Fratrum Capuciatorum, ſe abſque alicujus cenſuræ, & pœnæ incurſu transferre, ac in illis permanere, & dicti Fratres Capuciati, tàm illos, quàm etiam quoſcumque alios, etiam Sæculares, & cujuſcumque alterius Religionis ad eos accedentes, in eorum Domibus, ſeu locis, ac etiam nova loca, eis, à quibuſvis concedenda

denda recipere, & retinere liberè, & licitè poſſint, nec propterea aliquas cenſuras, ſive pœnas incurrant, nec incurriſſe cenſeantur. Non obſtantibus noſtris prædictis, & quibuſvis aliis literis, privilegiis, & indultis Apoſtolicis, eiſdem Fratribus Minorum de Obſervantia ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio conceſſis, quibus omnibus illorum tenores, & datas, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentes, quoad præmiſſa ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, & adversùs illas nullatènus ſuffragari poſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Decernentes præſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorsùs fidem in Judicio, & extra adhibendam fore, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 29. Auguſti 1535. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Fabius Vigil.

Exemplar in pergam. in Arch. Generali Ord. Armar. Authentica *in faſc. collig. num.* 14.

Electionem P. Bernardini Aſtenſis in Vicarium Generalem confirmat, & ſub pœna excommunicationis omnibus indefinitè prohibet, ne habitum, à Capucinis deferri ſolitum geſtent, niſi ſub obedientia, & cura ejuſdem P. Bernardini conſiſtant.

Foris. *Dilectis Filiis Fratribus Ord. Minor. S. Franciſci Capuciatorum nuncupatis.*

PAULUS PAPA III.

Dilecti Filii Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM (ſicut nobis nuper exponi feciſtis) aliàs, poſtquàm fel. record. Clemens Papa VII. Prædeceſſor noſter, Dilectis filiis Ludovico, & Raphaeli Foroſempronienſibus Ordinis Fratrum Minorum, ut ſecundum Regulam Beati Franciſci Vitam Eremiticam ducere, & habitum cum Capucio quadrato geſtare, necnon omnes tàm Clericos Sæculares, & Presbyteros, quàm Laicos ad eorum conſortium recipere, & barbam deferre, & ad Eremitoria ſeu loca alia quæcumque, cum conſenſu Dominorum eorumdem locorum ſe conferre, & in eis habitare, vitamque auſteram, & Eremiticam inhibi agere, & in quibuſcumque locis mendicare, necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, Indultis, & gratiis Ordini Fratrum Minorum hujuſmodi, ac Eremo Camaldulen. B. Romualdi, illiuſque Eremitis in genere, vel in ſpecie eatenus conceſſis, & in poſterùm concedendis, æquę principalitèr uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valerent; plenam, & liberam per ſuas tàm in forma Brevis, quàm ſub Plumbo literas facultatem conceſſerat: ipſeque Ludovicus facultatis literarum hujuſmodi vigore, nonnullos Clericos Sæculares, ac Religioſos, & Laicos ad ejus conſortium receperat; ac ex tunc vos, ſub ipſius Ludovici tanquam Congregationis veſtræ Vicarii, cura & Superioritate gratum Altiſſimo famulatum exhibere ſtudueratis. Cum dictus Ludovicus officio Vicariatus hujuſmodi in Capitulo Generali ipſius Veſtrę Congregationis in Alma Urbe de Menſe Novembris Anni proximè præteriti celebrato ceſſiſſet: Vos ad electionem novi Vicarii veſtri procedentes, Dilectum Filium Bernardinum Aſtenſem, ipſius Ordinis veſtri Profeſſorem, in Vicarium ejuſdem Congregationis veſtræ elegeritis, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut electioni hujuſmodi pro illius ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ firmitatis adjicere, ac alias in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur proſperum, & tranquillum ſtatum, & felicem ſucceſſum veſtræ Congregationis hujuſmodi, paterno Zelantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, electionem de perſona dicti Bernardini (ut præfertur) factam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus. Necnon literas Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi præfato Bernardino, quoad exercitium Vicariatûs hujuſmodi, perinde, ac ſi ei directæ fuiſſent, ſuffragari debere, decernimus; diſtrictiùs inhibentes quibuſcumque Perſonis, cujuſcumque conditionis exiſtant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne habitum per Vos deferri ſolitum, niſi ſub ejuſdem Bernardini Vicarii obedientia & cura permaneant, geſtare quoquo modo præſumant: ac decernentes irritum, & inane, quicquid ſecus contigerit attentari. Necnon mandantes Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, pro tempore exiſtenti, ut vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtendo faciat, auctoritate Noſtra, præſentes literas, & in eis contenta firmitèr obſervari; Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ac Cenſuras, ac pœnas ipſas iteratis vici-

vicibus aggravando, invocato etiam adhoc (ſi opus fuerit) auxilio Brachii Sæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri, de una, ac Concilii Generalis de duabus dietis, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus. Necnon quibuſvis Privilegiis, & indultis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis conceſſis, ac concedendis, quæ adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque: decernentes Tranſumptis præſentium manu Notarii publici, ac ſigillo alicujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in Judicio, & extra, adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXXIX. Aprilis M. D. XXXIX. Pontificatus Noſtri anno Secundo.

Bloſius.

Exemplar in pergamena authent. in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 15.

NOTA.

Non ita per tranſennam hic nominandus eſt P. Bernardinus, quin Eum, Capucini noſtri *Iſrael*, *Currum & Aurigam*, in ſpiritu & virtute fuiſſe, ex Illius vitæ & actorum epitome, commemorari debeat.

Traxit Bernardinus originem ex illuſtri Paliorum Proſapia, Urbis Aſtæ in Inſubria Cive, ac Caſtri Ringi Dominâ, fuitque ſtudioſus hæres virtutis, quâ S. Secundus Martyr, fatæ ſtirpis germen, Conſanguineæ ſuæ Familiæ ſplendorem adauxit. In flore ætatis, à Patre ſuo Romam, ad addiſcenda Nobilium exercitia miſſus eſt, & à Patre Luminum ibi ductus fuit ad regularis vitæ palæſtram. Hanc inter RR. PP. Obſervantes ita inchoavit, ut primaria Provinciæ Romanæ officia, juſta ſemper fuerint meritorum ſuorum præmia. Illam ut ſub rigidioris vitæ diſciplina continuaret, anno 1534. noſtræ ſeſe addixerat Congregationi, cujus poſtquam per anni ſpatium erat Membrum, factus fuit illius Caput, ſeu Vicarius Generalis. Expleto muneris hujus triennio, Procuratoris Generalis munere fungebatur uſque ad annum 1546. quo Eum, in Tridentino Concilio, cauſas & commoda Ordinis curantem, Comitia Romana, ſecundâ Vice, Vicarium Generalem renuntiârunt. Cum autem eo ipſo tempore, quo P. Bernardinus curæ & regimini Generali invigilaret, Religio foris variis impeteretur pugnis, & intus ad periculoſas ſyrres, ceu orphana Navis, allideretur, exprimi haud poteſt, qua curâ & ſtudio incolumitati ejus firmandæ inſudaverit. Reunioni cum PP. Obſervantibus, quam Reverendiſſimus P. Vincentius Lunellus, horum Miniſter Generalis, vario niſu, modo, & medio urgebat, potenter obſtitit, eamque Schedâ Domino Cardinali Sanſeverino porrectâ, vel nocivam, vel impoſſibilem probavit. Ut continuo cenſuratum fulmini, quo receptio ad Ordinem, & Ordinis ad exteras regiones diffuſio reſtringebatur, poneretur finis, humiliter inſtitit, & aliquatenus obtinuit. Exterminium, quod funeſta jam præludia, Religioni certum minabantur, oratione, & ſuæ Sanctitatis famâ impedivit. Ut contra futura diſcrimina Ordinem ſolidaret fortiùs, fundavit eum ſuper duas potiſſimum Baſes, Charitatem videlicet, & Paupertatem: Charitatem de corde puro, & conſcientia non ficta Fratribus parænetica ſuâ epiſtola (*a*) ceu Illam commendavit, quæ integram ac *perfectam Deo Regulæ Obſervantiam* Eos *reddere doceret*, & *ſine qua Capucinus non niſi nuncupativè talis foret*. Pauperrarem, quam Chriſti hæreditatem appellare conſueverat, Ordini ita ſubſtantialem encomiavit, ut, dum Fratres, Paupertatis amatores, Ordinis decus appellabat, illius contemptores econtra, *Fr. Eliæ Filios*, *ac Religionis Deſtructores*, in eadem epiſtola, nominaret. *Abundans* tandem Ipſe *Paupertate*, (*b*) *& erectus humilitate* anno 1554. ſub Antiphona, *Cælorum candor ſplenduit &c.* in Umbra mortis expalluit. Virtutes alias, quibus P. Bernardinus eminuit, & quas Deus miraculorum gloriâ reddidit coruſcas, qui legere ambit, inſpiciat Athenas orthod. Willoti. Chron. Min. Barezzii (*c*) Vocem Turturis Gravinæ (*d*) Tomum I. Virorum illuſtrium Moncadæ, Speculum Seraphicæ Relig. Torrecillæ &c. & præprimis ac fuſius Annales P. Boverii Tom. I. ad annos 1549. & 1554.

(a) *Vide eam in Bov. T. I. fol.* 398.

(b) *Ex Ezec.* 11. *v.* 12.

(c) *Part.* 4. *l.* 2. *c.* 57.

(d) *Part.* 2. *c.* 24.

(**) De prohibitione portandi noſtri Ordinis Habitum vide infra Conſtit. Pii IV. Gregorii XIII. Greg. XIV. & Greg. XV. ac Urbani VIII. &c. & Indicem Generalem Verbo *Habitus*.

Confirmat Literas Apoſtolicas de Erectione noſtræ Congregationis, á PP. Clemente VII. conceſſas: ſancit, ut Vicarius Generalis electus, intra triduum à Reverendiſſimo P. Magiſtro Generali Conventualium, uſque ad aliam S. Sedis diſpoſitionem, confirmetur: quid juris huic in Capucinos competat, ſpecificat: omnibus & ſingulis, ne dictum P. Vicarium Generalem, vel Fratres ſub ejus obedientia viventes ullo modo moleſtent, inhibet: & quod Vicarii Generales ſeu Provinciales à Miniſtris Generalibus, ſeu Provincialibus non niſi nomine differrent, ac ideo Fratres talibus Vicariis obedientes, præcepto Regulæ: *ut obediant ſuis Miniſtris*, plenè ſatisfaciant, declarat.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXponi nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Vicarius modernus, & Fratres Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum, quòd, poſtquam fel. record. Clementi Papæ Septimo Prædeceſſori noſtro pro parte nonnullorum tunc expreſſorum Fratrum Ordinis Minorum, expoſitum fuerat, ſe deſiderare pro animarum ſalute, ac Dei gloria Eremiticam vitam ducere, & quantùm humana patiebatur fragilitas, Regulam Beati Franciſci obſervare, Dilectus Filius Magiſter Provincialis Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Ord. Min. Conventualium nuncupatorum, ad Romanam Curiam accedendi, & ab ipſo Clemente Prædeceſſore, ac Sede Apoſtolica, quæcunque ad animarum ſuarum Salutem ac Dei gloriam petendi, & impetrandi, Licentiam eis conceſſerat, ac bon. mem. Andreas tit. Sanctæ Priſcæ dum viveret, Presbyter Cardinalis, & dicti Ordinis Protector, tunc in humanis agens, eis, ut ſimilem impetrationem facerent: ita tamen, quod unum ex eorum conſortio, omnium ipſorum nomine, Magiſtro Provinciali, ſeu Capitulo Provinciæ dictorum Fratrum Conventualium, in qua habitarent, ſingulis annis, in ſignum ſubjectionis præſentare tenerentur. Et ipſe Magiſter (ſi ſibi videretur) ſemel in anno, & non ultra illos viſitare, & ſi invenerit eos Regulam prædictam non obſervare, ad eam pleniùs obſervandam illos admonere, ac debitis modis compellere poſſet. Præter hæc autem, nec illos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud illis injungere, aut ab illis exigere valeret, ſed potius illos tueri, & defendere teneretur, ut in pace poſſent Altiſſimo famulari; prout in Literis patentibus eorumdem Cardinalis Protectoris, & Magiſtri Provincialis deſuper confectis, plenius dicebatur contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Literarum prædictarum vigore, nonnulli Clerici Sæculares, & Regulares, ac Laici ab ipſis Fratribus, ut præfertur, nominatis, vel uno ex eis, ac ab aliis de eorum Commiſſione recepti Congregationem Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum conſtituerint, ipſique Fratres cupiant Literas prædictas quoad infraſcripta confirmari, & extendi, & propterea Nobis humilitèr ſupplicari fecerint, ut hujuſmodi eorum votis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos attendentes uberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in Agro Militantis Eccleſiæ hactenus produxit, & in poſterum producturum, ſpe firma ſperamus, ac dignum cenſentes, ut circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernunt, benignos favores impendamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Literas Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica, ex certa Noſtra Scientia, per præſentes approbantes, & confirmantes, illas dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis Capucinorum hujuſmodi, ac ipſius Congregationis Fratribus, perindè ac ſi illæ eiſdem Congregationi, & Fratribus directæ fuiſſent, quoad omnia, & ſingula, in ipſis literis contenta, ſuffragari debere decernimus.

§. IV. Et nihilominus auctoritate, & ſcientia ſimilibus, per eaſdem præſentes ſtatuimus, & ordinamus, quod deinceps Vicarius Generalis ipſorum Fratrum Capucinorum circa finem triennii, ex quo ad Officium Vicariatûs hujuſmodi electus fuerit, vel etiam prius, aut poſteriùs, juxta præfatæ Regulæ tenorem, ac ipſorum Fratrum laudabiles Conſtitutiones, Vicarios, Diſcretos, & Cuſtodes, vocem Congregationis habentes, quarumlibet Provinciarum, & Cuſtodiarum ſibi Subjectarum, in locum, per ipſum Vicarium Generalem deputandum, ad Capitulum convocare poſſit: quorum ſi qui legitimo impedimento detenti, ipſi Capitulo intereſſe non potuerint, per Nuncios, ab eis deputatos, vel ſuppletis votis, eorum, juxta ipſorum Conſuetudinem, præſentia ſuppleatur.

§. V. Qui ſic congregati, omnia, & ſingula, quæ alii Fratres dicti Ordinis in eorum Generali Capitulo de jure, vel conſuetudine, & ex privilegiis poſſunt, faciendi, ordinandi, & diſponendi, & potiſſimè eligendi unum Religioſum ejuſdem Ordinis, & Congregationis in eorum ſimilem Vicarium Generalem facultatem habeant. Et ipſius Vicarii Electionem, ſi à majori parte eligentium celebretur, quamprimum commodè fieri poterit, Generali Magiſtro dictorum Fratrum Conventualium nuncupatorum, ſicut hactenus ſervatum fuit, donec aliud deſuper ordinatum à Sede Apoſtolica fuerit, præſentent, ſeu præſentari faciant.

§. VI. Ipſeque Generalis Magiſter intra triduum à præſentatione ſibi facta electum Vicarium confirmare teneatur, concedendo ei, & committendo plenariè vices ſuas, tribuendo videlicèt liberam poteſtatem, & auctoritatem, ac omnimodam facultatem ſuam ſuper omnes, & ſingulos Fratres ejuſdem Ordinis Capucinos nuncupatos, etiamſi alio quovis nomine nuncupentur, tàm in Capitibus, quàm in membris, publicè, & privatìm viſitandi, Congregationes in Provinciis, ac Cuſtodiis omnibus, eis ſubjectis, ſivè pro electione Vicariorum, Diſcretorum, Cuſtodum, & Guardianorum, ſive pro aliis utilibus negotiis faciendi,

ſeu

ſeu fieri faciendi; nova Loca, Conventus, ſeu Eremitoria recipiendi, Fratres Subditos corrigendi, & puniendi, excommunicandi, & abſolvendi, incarcerandi, & à carceribus liberandi: Contradictores, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia Juris, ac dicti Ordinis remedia, etiàm per invocationem brachii Sæcularis, vel Eccleſiaſtici (ſi opus fuerit) compeſcendi, ac generaliter, ſpecialiterque omnia, & ſingula circà Fratres, Conventus, Domos, Loca, & Eremitoria hujuſmodi faciendi, exercendi, & diſponendi, ordinandi, adminiſtrandi, ac ſtatuendi, quæ Generalis Magiſter dicti Ordinis circa Fratres, Conventus, Domos, Loca, & Eremitoria Fratrum Conventualium nuncupatorum facere poſſet, ſi perſonalitèr adeſſet, vel intereſſet. Ac eaſdem auctoritatem, poteſtatem, gratiam, & facultates per ipſum Magiſtrum Generalem eidem Vicario Generali conceſſas, vel earum partem, aliis Fratribus, quos ad hæc judicaverit idoneos, committendi, & concedendi; necnon per ipſos prædicti Vicarii Commiſſarios committi, & concedi faciendi. Et triduo elapſo, & Electo non confirmato, idem Electus pro confirmato Sedis Apoſtolicæ Auctoritate, cum plenaria poteſtate hujuſmodi uſque ad Succeſſoris electionem habeatur: & intra hoc tempus, officio ſuo ſine ſcitu omnium Vicariorum, & Diſcretorum Provincialium, aut majoris partis eorumdem, renunciare nequeat. Poſſit tamèn convocare omnes Vicarios, & Diſcretos ſibi ſubjectos infra tempus officii ſui in loco, per ipſum deputando, quoties ſibi opus viſum fuerit.

§. VII. Si verò Generalis Vicarius infra officii ſui tempus ex hac luce migraverit, ſeù aliàs ab Officio amotus fuerit, Vicarius, in cujus Provincia Eum mori, vel amoveri contigerit, nunciet, quàm citiùs poterit, omnibus Definitoribus Capituli Generalis immediatè præcedentis, & omnibus Vicariis Provincialibus, ac de conſilio, atque conſenſu duorum Vicariorum proximorum determinet locum, tempus, niſi fuiſſent per Generale Capitulum, vel per prædictum Vicarium ante obitum ipſius, aut amotionem deputata. Et convocet, qui fuerint convocandi, pro Succeſſoris Vicarii electione celebranda; quo vocationis tempore, Auctoritate Sedis prædictæ exerceat Officium Vicariatus hujuſmodi primus Definitorum prædictorum, vel ipſo deficiente ſecundus, & ſic de aliis ſucceſſivè cum plenaria poteſtate præmiſſa.

§. VIII. Et hoc idem cenſeatur de Vicariis Provincialibus, ſi cum eis mori, vel amoveri contigerit: ac Provincias regi, ac gubernari per primum, ac alios Definitores ſucceſſivè Capituli Provincialis immediatè præcedentis, prout ſupra de Vicario Generali Statutum extitit, ſalvâ ſemper, & reſervatâ prædicti Vicarii Generalis, ut præmittitur, poteſtate.

§. IX. Generalis verò tam Magiſter prædictus, quàm Miniſter Ordinis Minorum hujuſmodi, aut quiſpiam Miniſtrorum, ſeu Magiſtrorum Provincialium, ſeù aliorum Fratrum dicti Ordinis tàm Conventualium, quàm de Familia, ſeù de Obſervantia nuncupatorum, donec aliter per Sedem Apoſtolicam ordinatum fuerit prædicto Vicario Generali, ſeù cæteris Vicariis, vel cuipiam Fratri ejuſdem Congregationis de Capucinis nuncupatæ moleſtiam, ſeù impedimentum aliquod inferre non audeat, nec præſumat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, privationis Officii, omniumque actuum legitimorum. Niſi quod præfatus Magiſter Generalis, donec aliter per dictam Sedem ordinatum fuerit, per ſe duntaxat perſonaliter viſitare, & corrigere poſſit, & valeat prædictum Vicarium Generalem, ſeu Fratres, Domum, Locum, & Eremitorium eorumdem Fratrum Capucinorum nuncupatorum, piè, benignè, & charitativè ad meliorem frugem revocando. Et ſi quempiam (quod abſit) repererit criminoſum, ipſum Vicarium de conſilio, & aſſenſu Majoris partis Vicariorum præmiſſorum, cæteros verò de conſilio, & aſſenſu Majoris, & Sanioris partis Fratrum, Domus, Eremitorii, Loci, vel Conventus Viſitatorum, in eodem loco, & non extra, corrigere valeat, & punire, pœnitentiare, ac emendare, ſecundum quod delicti qualitas exegerit faciendum. De regimine verò, ac cura prædictorum Fratrum Capucinorum nuncupatorum, ſe aliter non intromittat.

§. X. Diſtrictius inhibentes quibuſcumque perſonis, cujuſcumque conditionis exiſtant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne habitum per eos deferri ſolitum, niſi ſub dicti Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneant, geſtare quoquo modo præſumant.

§. XI. Inſuper veſtigiis piæ memoriæ Pii Papæ II. etiàm Prædeceſſoris noſtri, in hac parte inhærendo, qui aliis ex certis cauſis, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, in favorem Familiæ de Obſervantia interpretatus eſt, ac declaravit, quod, cum Apoſtolica Sedes Generalem totius Ordinis Minorum, Miniſtrum Generalem, & Provinciales Vicarios Miniſtrorum loco, certis, piis, ac Sanctis reſpectibus eſſe voluiſſet, ac decreviſſet, Vicarii ipſi, qui illis præeſſent, & quibus ipſi ex debito eorum profeſſionis obedirent, veri, & indubitati ipſorum Miniſtri, cum tales Beatus Franciſcus dicti Ordinis Inſtitutor, eos eſſe intendiſſet, quoaduſque præfata Sedes, in cujus arbitrio conſiſtebat, aliud alio reſpectu ordinare, ſtatuiſſet, eſſent, ac perpetuò forent, differentes à prædictis Miniſtris ſolo nomine, eoſque, qui dictis Vicariis obedirent, ſecundum dictæ Sedis determinationem, eorum Re-

gulæ, & præcipuè in ea parte, ubi erat: *Præcipio firmiter Fratribus univerſis*, ut obediant ſuis Miniſtris, plenè, & integrè ſatisfacere, auctoritate, & ſcientia prædictis declaramus, ac decernimus, quòd, donec alitèr ſuper præmiſſis per præfatam Sedem ordinatum fuerit, Fratres Capucini prædicti eorum Vicariis, prout de Vicariis Familiæ per dictum Pium Prædeceſſorem, ut præfertur, ſtatutum fuerat, obediendo, plenè, ac integrè præfatæ Regulæ ſatisfaciant.

§. XII. Quocirca univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, ac aliis Perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes Literas, ac in eis contenta quæcumque, uti, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Vicariorum, & Fratrum Capucinorum prædictorum, ſive alicujus eorum, fuerint deſuper requiſiti, ſolemnitèr publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes Literas, ac in eis contenta hujuſmodi firmitèr obſervari, ac ſingulos, quos præſentes concernunt, illis pacificè gaudere. Non permittentes eos deſuper per quoſcumque contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, inquietari, ſeu perturbari. Contradictores quoſlibet, ac Rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, ac alia opportuna Juris remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc [ſi opus fuerit] auxilio Brachii Sæcularis.

§. XIII. Non obſtantibus præmiſſis, ac recolendæ Memoriæ Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris Noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus; necnon quibuſvis tenoribus, privilegiis, & Indultis Apoſtolicis ſub quibuſvis formis, ac cum quibuſvis clauſulis, ac decretis, quæ adversùs præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus, cœteriſque contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus communitèr, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

§. XIV. Volumus autèm, quod præſentium Tranſumptis manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigilli alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Canonici alicujus Cathedralis Eccleſiæ munitis, eadem fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſtatuti, ordinationis, inhibitionis, declarationis, Mandati, Voluntatis, & Decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ MDXXXVI., octavo Kalend. Septembris, Pontificat. Noſtri Anno Secundo.

Sub Plica. *Bloſius*.

Super Plicam. *B. Motta*.

Exemplar authentic. in Pergamena in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 20.

N O T A.

FOrmula, ſub qua Reverendiſſimi PP. Magiſtri Generales Patrum Conventualium noſtros PP. Vicarios Generales, à tempore hujus Conſtitutionis uſque ad Pauli V. Pontificatum, quo Ordo ab omni PP. Conventualium dependentia fuit exemptus, confirmare ſolebant, fuit ordinariè tenoris ſequentis.

In Chriſto nobis chariſſimo Venerabili Patri Fratri N. N. Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, Fr. N. N. totius Ordinis Minorum Conventualium Generalis Magiſter, ac Servus ſalutem dicit in eo, qui eſt omnium Salus.

Cum intellexerimus per Literas Reverendorum Patrum Diffinitorum Capituli tuæ Congregationis, nuper in Civitate N. celebrati, directivas Venerando Patri Fratri N. N. Procuratori in Curia Romana, quòd Patres tui ibi congregati, ad quos jus eligendi ſpectabat, ſervatis omnibus, & ſingulis, quæ in Electionibus Superiorum à vobis ſervari ſolita ſunt, Te in eorum Vicarium Generalem delegerint, ſummo perfuſi ſumus gaudio, & ſpirituali conſolatione, atque Deo Optimo Maximo, & Beato Patri Noſtro Franciſco gratias egimus, ea ſpe ducti, ut ex tua adminiſtratione, & fideli regimine, non ſolùm tuum ſodalitium, ſed univerſa etiam noſtra Franciſcana Religio plurimum decus ſit conſecutura. Quamobrem non niſi libenter, & prompto animo electionem in perſonam tuam factam approbare, & confirmare ſtatuimus: & ita per harum noſtrarum vim, & robur, & juxta Literas Apoſtolicas, atque à ſupradicto Ven. Patre Fratre N. Procuratore, nomine Reverendorum Patrum Diffinitorum, & totius veſtri Capituli N. ſupplicati, Te præfatum, cujus probitatem, & vitæ integritatem ipſi novimus, approbamus, & confirmamus in Vicarium Generalem totius Ordinis Capucinorum, cum omni ea facultate, & poteſtate, qua Prædeceſſores tui de jure hactenus gaviſi ſunt, concedentes tibi vices noſtras ſuper omnes, & ſingulos Fratres ejuſdem tui Ordinis, tam in Capitibus, quàm in membris, ut poſſis eos publicè & privatim viſitare, corrigere, examinare, punire, contradictores per cenſuras, & pœnas, coercere, excommunicare, abſolvere, incarcerare, & à carceribus liberare, inſtituere, deſtituere, Congregationes, &

Capitula convocare, Fratres ad Ordinem recipere, loca, & Conventus, ſive Eremitoria Ordini aggregare, & demum ea omnia facere pro ornamento, & emolumento tuæ Congregationis valeas, quæ nos præſentes noſtra authoritate facere poſſemus, habendo hîc non expreſſa pro ſufficienter expreſſis. Te igitur Vicarium Generalem Ordinis Capucinorum eſſe volentes, & declarantes mandamus, & ſingulis præfati Ordinis Fratribus ſub vi obedientiæ ſanctæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ (quatenus contumacia intercedat) ut te in ſuum verum, & legitimum Generalem Vicarium electum, & confirmatum ſuſcipiant, habeant, & (ut par eſt) humiliter pareant, & obſequantur. In quorum fidem, & teſtimonium has præſentes fieri juſſimus, & ſigillo Officii, atque manu noſtra roboravimus. Datum Romæ in Conventu SS. XII. Apoſtolorum die XXVII. Maii M. D. LXIV.

Fr. N. N. Generalis approbat, confirmat, concedit, vult, declarat, & mandat manu propria.

Fr. N. N. Ordinis Scriba.

Locus ✠ Sigilli appenſi.

Originalia omnia aſſervantur in Pergamena in Archivo Generali Ordinis Armario Authentica *in faſciculo colligato num. diverſis.*

Statutum Capituli Generalis, quo P. Ludovicus à Foroſempronio, intra præfixum terminum, aut obedire, aut de Religione diſcedere juſſus eſt, ratihabet.

A tergo. *Dilecto Filio Bernardino de Aſt. FF. Minorum Capucinorum nuncupatorum Vicario Generali.*

PAULUS PAPA III.

Dilecte Fili Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SUperioribus diebus, cum dilectus Filius Ludovicus de Foroſempronio Ordinis Fratrum Capucinorum nuncupatorum Profeſſor, Tibi etiam tunc ejuſdem Ordinis Vicario, ſub prætextu, quòd Tu, ad Vicariatus Officium minus legitimè aſſumptus fores, parere recuſaret, & aliàs diverſimodè inobedientem ſe præberet; Nos volentes ſcandalis, quæ ex hoc provenire poterant obviare, Capitulum Generale, in quo hæc, & alia dictum Ordinem concernentia tractarentur per ipſos Fratres, in hac alma Urbe celebrari ſtatuimus; Ven. Fratrem noſtrum Joannem Dominicum Epiſcopum Portuenſem Cardinalem Tranenſem (*) pro feliciori ipſius Capituli directione, & ſucceſſu illi præficiendo. Cum autem (ſicut accepimus) Fratres dicti Ordinis poſtea in dicta Urbe, & Domo Sanctæ Euphemiæ ejuſdem Ordinis congregati, Te ad Vicariatus hujuſmodi officium de novo unanimitèr elegerint, & nihilominus dictus Ludovicus Tibi tanquàm dicti Ordinis Vicario parere, & aliàs juxta ipſius Ordinis Regularia inſtituta vivere recuſet, in maximum dicti Ordinis ſcandalum, & peſſimum Chriſtifidelium exemplum; Et propterea Capitulum prædictum videns ipſius Ludovici pertinaciam, nec ſperans eum aliquo modo à ſuo malo propoſito retrahere poſſe, ſtatuerit, & ordinaverit; quod dictus Ludovicus infra certum tunc expreſſum tempus, aut tuis, & pro tempore exiſtentis Vicarii mandatis obtemperare deliberaret, & cum effectu faceret; aut habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum dimitteret, prout in certis Scripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Nos, qui Religioſorum quorumlibet pacificum ſtatum, & directionem ſinceris deſideramus affectibus, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi per dictum Capitulum (ut præfertur) factam, ut firmiora ſint, & exactius obſerventur, Auctoritate Apoſtolica per præſentes confirmamus, & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes, ac ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Mandanteſque in ipſum eventum ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eidem Fratri Ludovico, ne literis Apoſtolicis dicto Ordini, aut ipſius Ordinis reſpectu etiam ipſi quomodolibet conceſſis, quas quoad hoc ſui reſpectu nullas eſſe decernimus, modo aliquo uti audeat. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis, tiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die x. Octob. MDXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Bloſius.

Exemplar in pergamena in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſcic. collig. num.* 12.

N O T A.

IN Spiritu humilitatis & timoris adoret arcana Dei judicia, qui legit hîc P. Ludovici caſum, recordeturque Apoſtolici Moniti: (*a*) *qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Stetit in Religionis exordio P. Ludovicus ceu *columna ferrea*, & *murus æneus* pro puſillo ſuo grege, & vacillantem Religionem ſervavit erectam, *perdidit*

(a) 1. Cor. 10. v. 12.

didit autem Sapientiam in livore vanitatis, quâ primatum, ſeu Vicariatum Generalem in humili Religione ex Capitulari quoque votorum calculo quæſivit, & econtra devolutum ad P. Bernardinum Aſtenſem ita impugnavit, ut, cum ad monita reſipiſcere noluerit, in Pontificiæ Mentis executionem, è Sanctuario Religionis fuerit dimiſſus.

An autem Ludovicus in noſtrorum Vicariorum Generalium ſerie debeat poni, opportunum hîc oritur dubium? Illum ex hac plerumque excludunt noſtri Chronologi, dum ego Eum in ea collocandum eſſe, reor, tam quod diplomata Pontificia (*a*) quàm alia, in Archivo noſtro aſſervata Legalia Documenta illum expreſsè *Vicarium*, & *Vicarium Generalem* vocent, tam, quod à P. Mathæo à Baſſio, Bullam exemptionis & Ordinis Sigillum Ei, ceu primo Definitori extraditum, & Religionem ab Illo, ad Sex Succeſſivos annos, ex ſuperveniente Apoſtolica commiſſione, gubernatam fuiſſe, ex chronologicis noſtris tabulis conſtet. Hoc autem non niſi ſub titulo Capitis, ſeu Vicarii Generalis factum fuiſſe, tenendum eſſe videtur, ne Religionem noſtram per ſex annos ſine capite fuiſſe, concedi debeat. Nec ex eo, quod ceciderit, jus tituli, quem legitimè acquiſivit, perdidit: nec ex inſerto ejus nomine vitiatur Vicariorum Generalium Series; ſicut enim perſonalis ipſius macula, aurum Religionis de ſe optimum non obſcurat, ita nec fatam contaminat ſeriem. Ne tamen noſtros Chroniſtas inter-et hoc meum judicium naſcatur chaos, aſſertivè nihil à me dictum eſſe, & rationes, aliter ſentientium, in valore, quem habent, perſiſtere cupio.

(a) *Vide ſupra fol. 16.*

Relatus (*) D. Joannes Dominicus de Cupis, ex Umbria, Cardinalis Tranenſis, cum partes P. Ludovici contra electionem P. Bernardini in Vicarium Generalem, ceu illegitimam ſtrepentis, aliquo modo foveret, à Papa, ut Capitulo noviter convocato, electio iteraretur, obtinuit, cui & Ipſe (Spartam hanc D. Cardinale Franciſco Quinnonio Ordinis Protectore, ob diverſos fines ultrò cedente) Apoſtolicâ Auctoritate præfuit, & in eo P. Bernardinum concordi & ſancto voto re-electum laudavit.

Ne Fratres ad partes Ultramontanas uſque ad Capitulum, generaliter celebrandum, ſe propagent, prohibet.

Dilectis Filiis Vicario Generali, & Fratribus Ordinis Minorum, Congregationis Capucinorum nuncupatæ.

PAULUS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

DUdum ſiquidem per Nos accepto, quòd inter vos, & inter dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, graves contentiones, & lites exortæ erant: Nos, ne, ſi lites, & contentiones hujuſmodi diutiùs durarent, ſcandala inde provenirent, opportunè providere volentes, de conſilio nonnullorum S. R. E. Cardinalium ſtatuimus, & ordinavimus, quod nullus ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Profeſſor ad Domos, & Loca dictorum Fratrum Congregationis Capucinorum nuncupatorum, & è converſo nullus dictorum Capucinorum ad Domos, & Loca eorundem Fratrum de Obſervantia nuncupatorum, abſque Prælatorum ſuorum ſpeciali licentia, in ſcriptis habita, donec per Nos in Generali Capitulo dicti Ordinis, in hac Alma Urbe noſtra celebrando, aliud determinatum foret, quovis prætextu ſe transferre poſſet, prout in noſtris in forma Brevis deſuper confectis literis pleniùs continetur; Intendentes interim res omnes in eodem ſtatu, in quo exiſtebant, permanere. Cum autem ad noſtram notitiam devenerit, nonnullos ex veſtræ Congregationis profeſſoribus, ad partes Ultramontanas, ad quas hactenus nullo modo veſtræ Congregationis Profeſſores penetrârunt, ſe transferre, Locaque de novo inibi acceptare intendere: Nos, quorum mentis fuit, ut præfertur, uſque ad proviſionem per Nos in capitulo prædicto faciendam, omnia in eo ſtatu quoque manere, intendimus in dicto Capitulo omnibus his ordinem, & formam dare; motu proprio, & ex certa ſcientia, vobis Congregationis Veſtræ hujuſmodi in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per præſentes Authoritate Apoſtolica præcipimus, & mandamus, ne, donec per Nos in dicto Capituto Generali aliud ſuper hoc determinatum fuerit, ad partes Ultramontanas hujuſmodi vos transferre, aut loca inibi de novo acceptare præſumatis. Mandantes univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, cœteriſque Eccleſiarum Rectoribus, quatenus ipſi, vel eorum alter, Statutum, & Ordinationem prædictam inviolabiliter obſervari faciant. Non permittentes aliquid per quoſcunque quacunque dignitate, præeminentia, & authoritate fungentes, contra præſentium tenorem quomodolibet attentari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, etiamſi talia forent, quòd pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda

foret,

foret, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis Sigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ Originalibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III. Januarii MDXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Ex P. Wadingo Tom. 16. fol. 423.

N O T A.

Fuit hæc ad tempus Capituli Generalis limitata inhibitio, poſtea revocata à Papa Gregorio XIII. per Conſtitutionem incip. *Ex noſtri*, infra videndam.

Citat Reverendiſſimus P. Petrus de Alva Proc. Generalis &c. *(a)* Conſtitutionem ſub PP. Julio III. emanatam, incip. *Boni Paſtoris*, quâ Capucinis ad partes ultramarinas quoque, tranſitus, ſeu propagatio prohibetur, & cujus copiam in regeſtis Ultramont., & Ciſmont. aſſervari memorat. Mihi autem veſtigium talis Conſtitutionis in Archivo Vaticano non invenienti, & ideo in Conventu Ara-Cœlitano hujus exemplum mihi communicari roganti, eam non amplius inveniri, fuit repoſitum. Quod ideo additum volo, ne in typo talium Conſtitutionum ſtudio mancus arguar.

(a) *In ſuo indiculo Bull. Seraph. p. 2. fol. mihi 217.*

Ne Capucini, Fratres de Obſervantia ſine ſpeciali ſuorum Superiorum licentia, in Scriptis habita, recipiant, ordinat.

PAULUS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam.

Regimini Univerſalis Eccleſiæ, diſponente Domino præſidentes, inter cætera, quæ commiſſo Nobis Apoſtolicæ Servitutis incumbunt officio, hoc præcipuum arbitramur, ut opem, & operam, quantum nobis ex alto conceditur, exhibere curemus, quòd hi, qui abdicato Sæculo, Sacræ Religioni, ac piæ vitæ ſtudio ſe dederunt, ſemotis perturbationum moleſtiis, & diſcordiarum diſpendiis, votivæ pacis, & quietis amænitate jugiter in Domino gratulentur. Cum itaque, ſicut accepimus, inter Dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatos, & Fratres ejuſdem Ordinis Congregationis Capucinorum nuncupat. graves contentiones, & lites, quibus eorum ſtatus plurimùm deturbatur, exortæ ſint, quæ, ſi diutiùs durarent, in eorum perniciem, ac pernicioſum exemplum, & ſcandala plurimorum vergere poſſent.

Nos, qui Ordinem ipſum propter uberes fructus, quos in agro Dominico hactenus attulit, & in dies afferre non ceſſat, inter cæteros Ordines, quos cæleſtis Agricola ſummâ benignitate plantavit, paterna charitate proſequimur, cupientes hujuſmodi contentiones, & lites noſtræ proviſionis auſpiciis terminari, maturâ, ac digeſtâ ſuper his cum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, quibus cauſam hujuſmodi examinandam commiſimus, deliberatione præhabitâ, Motu proprio, & ex certa ſcientia, Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero dicti Fratres de Obſervantia nuncupati, nullum ex dictorum Capucinorum Profeſſoribus ad ſe venientem quovis prætextu abſque Prælatorum ſuorum ſpeciali licentia in ſcriptis habita recipere, ſeu in eorum Domibus retinere poſſint, nec ipſi de Obſervantia nuncupati abſque hujuſmodi Generalium, ſeù Provincialium Prælatorum ſuorum licentia ſpeciali, etiam in ſcriptis habita, ad eoſdem Capucinos tranſire, aut eorum habitum aſſumere, ſeu geſtare valeant, donec per nos, in dicti Ordinis Generali Capitulo, in hac Alma Urbe noſtro ſpeciali mandato celebrando, aliud determinatum fuerit.

Si qui verò ex ipſis Fratribus de Obſervantia nuncupatis arctiorem voluerint vitam ducere, ad loca, ad hunc effectum deſignata, de Prælatorum ſuarum licentia ſe conferre debeant, ibidem ſub eorum Obedientia, ſervata forma Habitûs & Capucii, quem eatenus geſſerint, ne novam Religionem inchoare videantur, in ſuæ Profeſſionis priori Obſervantia Domino vacaturi. Ubi verò dicta loca ad hujuſmodi effectum adhuc deſignata non fuerint, volumus, quod in eorum Provincialibus Capitulis proximè celebrandis, juxtà capacitatem & numerum dictorum Fratrum hujuſmodi vitam ſectari volentium, per Generales Miniſtros, & Commiſſarios dicti Ordinis, ſeu ſuper Miniſtros Provinciales reſpectivè in ſuis Provinciis juxtà ipſorum Generalis Capituli proximè celebrati determinationem, omnino deſignari, & cum effectu deputari debeant.

Quòd ſi ſecùs factum fuerit, Nos tunc, Fratres hujuſmodi ſub arctioris pænitentiæ jugo Altiſſimo famulari cupientes, in eorum ſalubri propoſito paterno affectu confovere volentes, eis ſuper his, quantùm cum Deo poterimus, opportunè providere curabimus. Fratres verò Capucini nuncupati, nullo modo dictos Fratres de Obſervantia nuncupatos abſque ſuorum

rum

rum Generalium, ſeu Provincialium Prælatorum licentia, in ſcriptis habita recipere, aut in illorum Domibus retinere, ſeu ad eoſdem Fratres de Obſervantia nuncupatos ſe transferre, vel contra præſentium tenorem quicquam attentare præſumant.

Mandantes omnibus & ſingulis dicti Ordinis, tàm de Obſervantia, quàm Capucinis nuncupatis in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis ac privationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad quoſcumque actus legitimos exercendos, pœnis ipſo facto incurrendis, ut præmiſſa omnia, & ſingula firmiter, & inviolabiliter ſervent.

Et, ut eiſdem Fratribus tàm de obſervantia, quam Capucinis nuncupatis delinquendi, & vagandi tollatur occaſio, volumus, quod ſi quis eorum, qui de obſervantia nuncupatur, ex eiſdem Capucinis quemquam, & è converſo, ſi quis ex Capucinis quempiam de obſervantia nuncupatos, Profeſſorem ad ſe venientem contra præſentium tenorem, recipere, & penes ſe retinere præſumpſerit, arbitrio ſuorum Superiorum puniatur: Recepti verò à Prælatis ſuis ubicumque repeti, & juxta dicti Ordinis ſtatuta corrigi, & puniri poſſint, & valeant.

Quocirca Dilectis Filiis Gubernatori Almæ Urbis, ac Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, dictæque Urbis in Spiritualibus Generali Vicario, nec non univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus Noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Dilectis Filiis eorum in Spiritualibus Vicariis Generalibus ſimilitèr mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum ſtatutum, & Ordinationem prædictam inviolabilitèr obſervari faciant: non permittentes aliquid per quoſcumque, quacunque Dignitate, præeminentia, & auctoritate fungentes, contra præſentium tenorem quomodolibet attentari: Contradictores &c. ut in Brevi præced. fol. 22.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV. Januarii M. D. XXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Bloſius.

Exemplar in pergamena in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 21.

JULIUS III.

Italus, ex oppido S. Savini Hetruria, Joannes Maria de Monte antea dictus, S. R. E. Cardinalis, die VIII. *Febr.* M. D. L. *Summus Pontifex creatus, obiit* XXIII. *Mart.* M. D. LV. *poſtquam ſediſſet annos* V., *menſem* I., *dies* XVI.

Ne Patres de Obſervantia Capucinos, ſine ſcripta pariter licentia recipiant, viciſſim mandat.

JULIUS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam.

IN eminenti Sedis Apoſtolicæ Speculo, meritis licet imparibus, diſponente Domino conſtituti, ad ea libenter intendimus, per quæ perſonarum quarumlibet, præſertim Religioſarum tranquillo ſtatui conſulitur: Et cum à nobis petitur, deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat; quod, cum aliàs fel. record. Paulus Papa Tertius Prædeceſſor Noſter, tàm prædictis, quàm Ordinis Min. hujuſmodi de Obſervantia nuncupatis Fratribus, per ejus, in forma Brevis, literas prohibuiſſet, ne alii aliorum Profeſſores, ſine licentia ſuorum Prælatorum in ſcriptis habita, ad certum tunc expreſſum breve tempus reciperent, intendens in præmiſſis maturiùs procedere, & melius providere: Et cum dicti Fratres Capucini nuncupati, à pluribus Catholicis Prælatis didiciſſent, Literas ipſas cum eodem Paulo Prædeceſſore expirâſſe; & propter eà Fratres de obſervantia nuncupatos hujuſmodi ad eos tranſeuntes, per ipſos Fratres Capucinos liberè recipi poſſe prætenderent, ad eorum notitiam pervenit, quod Nos per quaſdam noſtras, in forma Brevis literas, omnes, & ſingulas receptiones Fratrum de obſervantia nuncupatorum prædictorum, per eoſdem Fratres Capucinos nuncupatos, abſque licentia Generalium, ſeù Provincialium hujuſmodi in ſcriptis, ut præfertur, habita, quovis prætextu, & colore faciendas, nullas & irritas fore, & ſic judicari debere ad noſtrum beneplacitum decreveramus; & ipſis Fratribus Capucinis in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub certis cenſuris, & pœnis, ne de cætero quempiam ex dictis Fratribus de obſervantia abſque dicta licentia in ſcriptis habita recipere præſumerent, diſtrictè præceperamus; prout in literis prædictis pleniùs dicitur contineri. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, valde abſurdum foret, Fratres de obſervantia nuncupatos præfatos, ne ad Congregationem prædictorum Fratrum Capucinorum nuncupatorum, arctiorem vitam ducentium, tranſirent, prohiberi, & quod ipſi Fratres Capucini nuncupati ad eorumdem Fratrum de Obſervantia Congregationem tranſire, & ab ipſis recipi poſſent. Quare pro parte dictorum Fratrum Capucinorum Nobis fuit humilitèr ſupplicatum, ut eiſdem Fratribus Capucinis nuncupatis, ad Congregationem

gationem Fratrum de Obſervantia nuncupatorum prædictorum tranſitus; ipſiſque Fratribus de Obſervantia nuncupatis eorumdem Fratrum Capucinorum receptio ſimiliter prohibeatur, decernere; & aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonarum quarumlibet, præſertim Religioni deditarum tranquillo ſtatui, quantum cum Domino poſſumus, libenter annuimus, eoſdem Fratres Capucinos nuncupatos, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod eiſdem Fratribus Capucinis nuncupatis ad Congregationem Fratrum de Obſervantia nuncupatorum hujuſmodi tranſitus, ipſiſque Fratribus de Obſervantia nuncupatis dictorum Capucinorum receptio, niſi licentiâ ſuorum Generalium, ſeu Provincialium Prælatorum in ſcriptis habitâ, ſub eiſdem modis, & formis, ac pœnis, & cenſuris in omnibus, ac per omnia ſimilitèr diſtrictè prohibeatur, cum omnibus, & ſingulis facultatibus, licentiis, clauſulis, & decretis neceſſariis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Surrentin. & Baren. Archiepiſcopis per præſentes committimus, & mandamus: quatenus &c. *reliqua ut fol.* 20. *à lin.* 17.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV. Februarii M. D. LI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

B. Surren.

Exemplar in pergamena authenticum in Archivo Gen. Ord. Armario Authentica *in faſc. collig. num.* 24.

PIUS IV.

Italus, â Mediolano, Joannes Angelus de Medicis antea vocatus S.R.E. Cardinalis tit. S. Priſcæ. Romæ XXVI. *Dec.* M. D. LIX. *Summus Pontifex creatus. Obiit* IX. *Dec.* M. D. LXV. *poſtquam ſediſſet Annos* V. *Menſes* XI. *Dies* XIV.

Ordinem noviter approbat, privilegia à fel. rec. Clemente VII. & Paulo III. Ei conceſſa confirmat, & ne ullus, Capucinorum Habitum, vel illi ſimilem portare præſumat, ſub cenſuris, aliiſque juris remediis prohibet.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis Officii cura (meritis licet imparibus) Nobis ex alto commiſſa, Nos excitat, & inducit, ut circa piorum locorum quorumlibet ac perſonarum, in eis divinis obſequiis vacantium ſtatum, proſperè dirigendum, & feliciter conſervandum, & manutenendum noſtræ vigilantiæ partes, ſolertiùs impendamus, ac iis, quæ propterea proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidium impartiamur. Dudum ſiquidem fel. record. Paulo PP. Tertio Prædeceſſori Noſtro, pro parte tunc Vicarii, & dilectorum Filiorum, Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum expoſito, quod, poſtquam piæ Memoriæ Clementi Papæ, etiam Prædeceſſori Noſtro, pro parte nonnullorum, tunc expreſſorum Fratrum Ordinis Minorum expoſitum fuerat, ſe deſiderare pro Animarum ſuarum ſalute, ac Dei gloria Ereméticam vitam ducere, & quantùm humana patiebatur fragilitas, Regulam Beati Franciſci obſervare, & tunc Magiſter Provincialis Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum, ad Romanam Curiam accedendi, & ab ipſo Clemente Prædeceſſore, ac Sede Apoſtolica, quæcumque ad animarum ſuarum ſalutem, ac Dei gloriam petendi, & impetrandi licentiam eis conceſſerat; ac bonæ Memoriæ Andreas tit. S. Priſcæ, dum viveret Presbyter Cardinalis, & dicti Ordinis Protector, tunc in humanis agens, eis, ut ſimilem impetrationem facerent: ita tamen, quod unum ex eorum Conſortio omnium ipſorum nomine Magiſtro Provinciali, ſeu Capitulo Provinciæ dictorum Fratrum Conventualium nuncupatorum, in qua habitarent, ſingulis annis in ſignum ſubjectionis præſentare tenerentur; & ipſe Magiſter, ſi ſibi videretur, ſemel in anno, & non ultra eos viſitare, & ſi ipſos inveniret Regulam prædictam non obſervare, ad eam pleniùs obſervandam eos monere, ac debitis modis compellere poſſet; præter id autem, nec eos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud eis injungere, aut ab eis exigere valeret; ſed potius eos tueri, & defendere conaretur, ut in pace poſſent Altiſſimo famulari, prout in Protectoris, & Magiſtri Provincialis prædictorum patentibus Literis deſuper confectis, pleniùs dicebatur contineri: idem Clemens Prædeceſſor Literas prædictas, & in eis contenta quæcumque pro expreſſis habens, ipſorum Fratrum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, eis, ut ſecundùm Regulam prædictam, vitam Ereméticam ducere, & Habitum cum Capucio quadrato ge-

 ſtare,

ſtare, necnon omnes tam Clericos Sæculares, & Presbyteros, quàm Laicos ad eorum Conſortium recipere, ac tam ipſi, quàm alii ſic recipiendi, barbam deferre, & ad Eremitoria ſeu loca alia quæcumque cum conſenſu Dominorum eorumdem locorum ſe conferre, & in eis habitare, vitamque auſteram, & Eremiticam inibi agere, & in quibuſcumque locis mendicare, necnon omnibus, & ſingulis Privilegiis, Indultis, & gratiis Ordini Fratrum Minorum prædictorum, ac Eremo Camaldulenſium Beati Romualdi, illiuſque Eremitis in genere, vel in ſpecie eatenus conceſſis, & in poſterum concedendis, æquè principalitèr uti, potiri, & gaudere, liberè & licitè valerent; per ſuas tam ſub plumbo, quàm in forma Brevis literas facultatem conceſſerat, prout in illis pleniùs continetur, & in eadem expoſitione eidem Paulo Prædeceſſori facta ſubjuncto; quod Literarum prædictarum vigore, nonnulli Clerici Sæculares, Regulares, & Laici ab ipſis Fratribus, ut præfertur, nominatis, vel uno ex eis, ac ab aliis de ipſorum commiſſione recepti, Congregationem Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum conſtituerant, ipſique Fratres cupiebant Literas prædictas, quoad infraſcripta, confirmari, & extendi; & propterea eidem Paulo Prædeceſſori humiliter ſupplicari fecerant, ut hujuſmodi eorum votis annuere, de benignitate Apoſtolica dignaretur. Idem Prædeceſſor attendens uberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in Agro Militantis Eccleſiæ eatenus produxerat, & in poſterum producturum, ſpe firma ſperabat, ac dignum cenſens, ut circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernebant, benignos favores impenderet, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, Literas Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi, quarum tenores haberi voluit pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſua ſcientia approbans, & confirmans, illas tunc, & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis Capucinorum hujuſmodi, ac ipſius Congregationis Fratribus, perinde, ac ſi illæ eidem Congregationi, & Fratribus directæ fuiſſent, quoad omnia, & ſingula, in ipſis literis contenta ſuffragari debere, decrevit. Et nihilominùs auctoritate, & ſcientia ſimilibus per ſuas ſub plumbo confectas literas ſtatuit, & ordinavit, quod ex tunc deinceps Vicarius Generalis ipſorum Fratrum Capucinorum circa finem triennii, ex quo ad Officium Vicariatûs hujuſmodi electus foret, vel etiam prius, aut poſterius, juxta præfatæ Regulæ tenorem, ac ipſorum Fratrum laudabiles Conſtitutiones, Vicarios, Diſcretos, ac Cuſtodes, vocem Congregationis habentes quarumlibet Provinciarum, & Cuſtodiarum ſibi ſubjectarum, in loco, per ipſum Vicarium Generalem deputando, ad Capitulum convocare poſſet: quorum ſi qui legitimo impedimento detenti, ipſi Capitulo intereſſe non poſſent, per Nuncios, ab eis deputatos, vel ſuppletis votis, eorum, juxta ipſorum conſuetudinem, præſentia ſuppleretur; qui ſic congregati omnia, & ſingula, quæ alii Fratres Ordinis in eorum Generali Capitulo de jure vel conſuetudine, & ex privilegiis poſſent, faciendi, ordinandi, & diſponendi, & potiſſimè eligendi unum Religioſum ejuſdem Ordinis, ac Congregationis in eorum ſimilem Vicarium Generalem, facultatem haberent, & ipſius Vicarii electionem, ſi majori parte eligentium celebraretur, quamprimum commodè fieri poſſet, Generali Magiſtro dictorum Fratrum Conventualium nuncupatorum, ſicut eatenus ſervatum fuerat, donec aliud deſuper ordinatum à Sede Apoſtolica fuiſſet, præſentarent, ſeu præſentari facerent; Ipſeque Generalis Magiſter intra triduum à præſentatione ſibi facta, ipſum electum Vicarium confirmare teneretur, concedendo ei, & committendo plenariè vices ſuas, tribuendo videlicet liberam poteſtatem & auctoritatem, ac omnimodam facultatem ſuam ſuper omnes, ac ſingulos Fratres ejuſdem Ordinis, Capucinos nuncupatos, etiamſi alio quovis modo nuncuparentur, tam in Capitibus, quàm in membris publicè, & privatìm viſitandi, Congregationes in Provinciis, & Cuſtodiis omnibus, eis ſubjectis, ſive pro electione Vicariorum, Diſcretorum, Cuſtodum, & Guardianorum, ſive pro aliis utilibus negotiis faciendi, ſeu fieri faciendi, nova loca, Conventus, ſeu Eremitoria recipiendi, Fratres ſubditos corrigendi, & puniendi, excommunicandi, & abſolvendi, incarcerandi, & à carceribus liberandi; Contradictores, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia Juris, & dicti Ordinis remedia, etiam per invocationem brachii Sæcularis, vel Eccleſiaſtici, ſi opus foret, compeſcendi; & generaliter, ſpecialiterque omnia, & ſingula circa Fratres, Conventus, Domos, Loca, & Eremitoria hujuſmodi faciendi, exercendi, diſponendi, ordinandi, adminiſtrandi, & ſtatuendi, quæ Generalis Magiſter dicti Ordinis circa Fratres, Conventus, Domus, Loca, & Eremitoria Fratrum Conventualium nuncupatorum facere poſſet, ſi perſonaliter adeſſet, vel intereſſet; ac eaſdem auctoritatem, poteſtatem, gratias, & facultates per ipſum Magiſtrum Generalem, eidem Vicario Generali conceſſas, vel earum partem aliis Fratribus, quos ad hæc judicaret idoneos, committendi, & concedendi; necnon per ipſos prædicti Vicarii Commiſſarios committi, & concedi faciendi. Et triduo elapſo, & Electo non confirmato, idem Electus Sedis Apoſtolicæ Auctoritate cum plenaria poteſtate hujuſmodi, uſque ad Succeſſoris electionem haberetur, & intra hoc tempus officio ſuo ſine ſcitu

omnium

omnium Vicariorum, & Diſcretorum, Provincialium, aut Majoris partis eorundem renunciare nequiret; poſſet tamen convocare omnes Vicarios, & Diſcretos, ſibi ſubiectos infra tempus officii ſui, in loco per ipſum deputando, quoties ſibi opus viſum foret: Si verò Generalis Vicarius infra officii ſui tempus, ex hac luce migraret, ſeu aliàs ab officio amotus foret, Vicarius, in cujus Provincia mori, ſeu amoveri contingeret, nunciaret, quàm citius poſſet, omnibus Definitoribus Capituli Generalis immediatè præcedentis, & omnibus Vicariis Provincialibus, & de conſilio, atque conſenſu duorum Vicariorum proximorum determinaret locum, & tempus, niſi fuiſſent per Generale Capitulum, vel per præfatum Vicarium ante obitum ipſius, & amotionem deputata, & convocaret, qui forent convocandi pro Succeſſoris Vicarii electione celebranda. Quo vocationis tempore, Auctoritate Sedis prædictæ exerceret officium Vicariatus hujuſmodi primus Diffinitorum prædictorum, vel, eo deficiente ſecundus, & ſic de aliis ſucceſſivè cum plenaria poteſtate præmiſſa. Et hoc idem cenſetur de Vicariis Provincialibus, cum eos mori vel amoveri contigerit, ac Provincias regi, & gubernari per primum, & alios Definitores ſucceſſivè Capituli Provincialis immediatè præcedentis, prout ſupra de Vicario Generali Statutum exiſteret; ſalva ſemper, & reſervata prædicti Vicarii Generalis, ut præmittitur, poteſtate: Generalis verò, ac tam Magiſter prædictus, quàm Miniſter Ordinis Minorum hujuſmodi, aut quiſquam Miniſtrorum, ſeu Magiſtrorum Provincialium, ſeu aliorum Fratrum dicti Ordinis, tam Conventualium, quàm de Familia, ſive de obſervantia nuncupatorum, donec aliter per Sedem prædictam ordinatum foret, prædicto Vicario Generali, ſeu cæteris Vicariis, vel cuipiam Fratri ejuſdem Congregationis de Capucinis nuncupatæ moleſtiam, ſeu impedimentum aliquod inferre non auderet, nec præſumeret ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, privationis officii, omniumque actuum legitimorum: niſi, quod præfatus Magiſter Generalis, donec aliter per ipſam ſedem ordinatum foret, per ſe duntaxat perſonaliter viſitare, & corrigere poſſet, & valeret prædictum Vicarium Generalem, ſeu Fratres, Domum, Locum, & Eremitorium eorumdem Fratrum Capucinorum nuncupatorum, piè, benignè, & Charitativè ad meliorem frugem provocando. Etſi quemquam reperiret criminoſum, ipſum Vicarium de conſenſu, & aſſenſu majoris, & ſanioris partis Fratrum, Domûs, Eremitorii, Loci, vel Conventûs Viſitatorum in eodem loco, & non extra corrigere valeret, & punire, pœnitentiare, & emendare, ſecundum quod delicti qualitas exigeret faciendum; De regimine verò, & cura prædictorum Fratrum Capucinorum nuncupatorum ſe aliter non intromitteret. Diſtrictius inhibens quibuſcumque perſonis, cujuſcumque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne Habitum per eos deferri ſolitum, niſi ſub præfati Vicarii Generalis, pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent. Inſuper idem Paulus Prædeceſſor veſtigiis recolendæ Memoriæ Pii Papæ II. ſimiliter Prædeceſſoris Noſtri in ea parte inhærendo, qui aliàs ex certis cauſis Auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia in favorem Familiæ de Obſervantia interpretatus erat, & declaraverat: quod, cum Apoſtolica Sedes Generalem totius Ordinis Minorum Miniſtrum, & Provinciales Vicarios, Miniſtrorum loco, certis piis, ac Sanctis reſpectibus eſſe voluiſſet, & decreviſſet, Vicarii ipſi, qui illis præeſſent, & quibus ipſi ex debito eorum profeſſionis obedirent, veri, & indubitati ipſorum Miniſtri, cum tales B. Franciſcus dicti Ordinis Inſtitutor eos eſſe intendiſſet, quoadusque præfata Sedes, in cujus arbitrio conſiſtebat, aliud alio reſpectu ordinare, ſtatuiſſet, eſſent, & perpetuò forent, differentes à prædictis Miniſtris ſolo nomine; eoſque, qui dictis Vicariis obedirent, ſecundùm dictæ ſedis determinationem, eorum Regulæ, & præcipuè in ea parte, ubi erat: *Præcipio firmiter Fratribus univerſis*, ut obedirent ſuis miniſtris, plenè & integrè ſatisfacere, auctoritate, & ſcientia prædictis declaraverat, & decreverat, quod, donec aliter ſuper præmiſſis per præfatam Sedem ordinatum foret, Fratres Capucini prædicti eorum Vicariis, prout de Vicariis Familię per dictum Pium Prædeceſſorem (ut præfertur) ſtatutum fuerat, obediendo, plenè & integrè præfatæ Regulæ ſatisfacerent, prout in Literis dicti Pauli Prædeceſſoris pleniùs continetur. Pro parte eorumdem Fratrum Capucinorum nuncupatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literas Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque approbare, & confirmare, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim vitam Eremiticam degentium profectui, & felici ſucceſſui, prout poſſumus, libentèr conſulimus, ſingularum literarum prædictarum, & quarumcunque aliarum Scripturarum, occaſione præmiſſorum forſan confectarum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes; necnon per felic. memor. Julium Papam III. pariter Prædeceſſorem noſtrum dilectis filiis Fratribus Hieronymo Lancæ Siculo, & ejus Sociis aſſerentibus, ſe Capucinos exiſtere, conſimilemque modo præmiſſo Habitum deferre, in non modicum ſcandalum, & deformitatem Ordinis, & Congregationis hujuſmodi, etiam in forma Brevis, & quaſcumque

alias literas, quibuſvis aliis in quibuſcumque mundi partibus, & locis commorantibus, dictum habitum, vel præfato modo conſimilem extra Obedientiam Superiorum ejuſdem Congregationis, & nulla habita licentia, earumdem literarum vigore geſtantibus, & deferentibus conceſſas, revocantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, ita, quod nullus, cujuſcumque conditionis exiſtat, non ſolùm eorum Habitum juxta Literarum Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi tenorem, verùm etiam, nec ita conſimilem, quod propter eum poſſit credi Frater eorum Congregationis, niſi ſub præfati Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneat, ſub ſimili pœna excommunicationis latæ ſententiæ quoquo modo geſtare præſumat, Apoſtolicâ auctoritate prædictâ, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, & omnia, & ſingula in eiſdem Literis dicti Pauli Prædeceſſoris contenta prædicta de novo concedimus. Quocirca univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, necnon dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, ac aliis Perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque, uti, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Capucinorum Fratrum prædictorum, ſive alicujus eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi, firmiter obſervari, ac ſingulos, quos illa concernunt, eis pacificè gaudere: Non permittentes eos deſuper per quoſcumque contra præſentium tenorem, quomodolibet indebitè inquietari, ſeu perturbari: Contradictores quoslibet, ac rebelles per Cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia opportuna Juris remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & duabus, non tamèn tribus dietis, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon quibuſvis Privilegiis, & Indultis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, quæ adversùs præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus; cœteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi Hieronymo, & aliis ejus Sociis præfatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu pubblici Notarii ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis, approbationis, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDLX., Quarto Non. Aprilis, Pontificatus Noſtri anno primo.

C. Mirvenna.

Bulla formata cum Sigillo plumbeo appenſo in Arch. Generali Ord. Armar. Authentica *in faſc. collig. num.* 27.

Julium de Ruverio, Cardinalem de Urbino nuncupatum, vivente adhuc Rudolpho Pio, Cardinale de Carpo, totius Religionis Minoritanæ Protectore, Ordinis noſtri Vice-Protectorem, & illo mortuo, ſpecialem hujus Protectorem deſtinat.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Julio Tituli S. Petri ad Vincula Diacono Cardinali de Urbino nuncupato.*

PIUS PAPA IV.

Dilecte Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Fratrum Minorum de Pœnitentia Capuccinorum nuncupatorum petitio continebat, quod ipſi conſiderantes Venerabilem Fratrem Noſtrum Rudolphum Pium Epiſcopum Oſtienſem S. R. E. Cardinalem de Carpo nuncupatum, qui Officium Protectoris Fratrum prædictorum ab Apoſtolica Sede ſibi commiſſum hactenus laudabiliter exercuit, & frequentes ejus ægritudines Officium hujuſmodi deinceps non ſatis commodè exercere poſſe, ac propterea, & certis aliis de cauſis cuperent Te, de cujus prudentia, religione, ac in Deum pietate plurimùm in Domino confidunt, ſibi pro ipſo Rudolpho Pio Epiſcopo Cardinali, quamdiu vixerit, in ſuum eorumque Religionis Vice-Protectorem, & deinde, ſi dictum Rudolphum

phum Pium Epiſcopum Cardinalem præmori contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & econtra in Generalem Ordinis, & Religionis eorundem in Romana Curia Protectorem conſtitui, & deputari. Quare pro parte dictorum Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus piis eorum votis annuere, & aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulos quoſque Ordines Regulares, & ipſorum Ordinum perſonas, & loca ſalubriter dirigi, & proſperè gubernari ſinceris exoptamus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Te, pro ipſo Rudolpho Pio Epiſcopo Cardinali, quandiu vixerit, illius ad hoc accedente conſenſu, Vice-Protectorem Fratrum prædictorum, ſuæque Religionis hujuſmodi, & deinde, ſi dictum Rudolphum Pium Epiſcopum Cardinalem præmori contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & econtra in Generalem Ordinis, & Religionis prædictorum in dicta Curia Protectorem, cum omnibus, & ſingulis honoribus, oneribus, Juriſdictionibus, & facultatibus per alios aliorum Ordinum Protectores ratione ſuæ protectionis haberi ſolitis, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus, ac ex nunc in Rudolphi Epiſcopi Cardinalis præfati locum, quoad Officium protectionis hujuſmodi ſubſtituimus, & ſubrogamus, nec non Te etiam ex nunc, prout ex tunc ad hujuſmodi Officium, ejuſque liberum exercitium, ac honores, onera, juriſdictiones, & facultates prædictas in locum dicti Rudolphi Epiſcopi Cardinalis recipiendum, & admittendum eſſe, ac recipi, & admitti debere decernimus, ac tibi omnia ea, quæ ad ſalubrem ipſorum Ordinis, & Religionis directionem, & proſperum ſtatum pertinere cognoveris, ſtatuendi, & ordinandi, ac Fratres Ordinis hujuſmodi tibi in præmiſſis non obtemperantes, ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis compeſcendi, omniaque, & ſingula alia, quæ ad Officium Protectionis hujuſmodi de jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet opportuna fuerint, faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam, authoritate, & tenore prædictis, concedimus facultatem, mandantes eiſdem Fratribus, eorumque Superioribus, & perſonis, ac aliis, ad quos ſpectat, in Virtute Obedientiæ, ut ex nunc Te ad Viceprotectoris, ac etiam ex nunc, prout ex tunc, & econtra, ſi dictum Rodulphum Epiſcopum Cardinalem præmori contigerit, ad hujuſmodi Protectoris Officium, ejuſque liberum exercitium, necnon honores, onera, jura, juriſdictiones, facultates, & emolumenta hujuſmodi recipiant, & admittant, Tibique Obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas exhibentes, tua ſalubria monita, & mandata in his, quæ ad Officium Protectoris pertinent, humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Religionis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, necnon Fratribus, eorumque Conventibus, Superioribus, & Perſonis hujuſmodi, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ, obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX. Aprilis MDLXIV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

N O T A.

HUcuſque Religio noſtra habuerat ex Cardinalium Collegio Protectores, toti Ordini Minoritano communes, videlicet Cardinales, Andream de Valle, Franciſcum Quinnonium S. Crucis, & Rudolphum Pium de Carpo: ex conſilio autem hujus ultimi, noſter P. Joannes Evangeliſta â Canobio, Vicarius Generalis â Sanctiſſimo in hypotheſi illius mortis &c. petiit in Protectorem Ordinis ſingularem, Cardinalem Julium de Ruverio, fuitque ipſi gratia vigore Brevis ſuprapoſiti promiſſa. Et quamvis poſtea, morte Cardinalis Carpenſis innoteſcente, Reverendiſsimus P. Magiſter Generalis Patrum Conventualium, Florentiâ Romam advolans, â Sanctiſſimo Carolum, Cardinalem Borromæum, ſuum ex Sorore Margaritha Medicea Nepotem, (poſtea Sanctorum catalogo adſcriptum) in communem totius Ordinis Protectorem pro more popoſciſſet, Sanctiſſimus tamen Pontifex, Brevis â ſe emanati reminiſcens, illius tenorem obſervari voluit, præſertim, cum Cardinalis Carolus tam ob familiaritatem, quâ cum Cardinale Julio utebatur, tam ob commoda, quæ Ordini Noſtro ex diſſecto Protectoris munere, adnaſcitura prævidebat, hoc ſibi gratiſsimum eſſe, affereret. Cùm autem Cardinalis Julius, Urbini plerumque reſideret, Vice-Protectorem Romæ, conſtituit Marcum Antonium Cardinalem Amulium, & eo defuncto, Julium Antonium Sanctorium Cardinalem Sanctæ Severinæ appellatum, poſtea Protectorem. *Ex M. S. Arch. Generalis.*

S. PIUS.

S. PIUS V.

Italus, ex Oppido Boſchi, in Lombardiæ Provincia, in Sæculo Antonius, & in Ordine PP. Prædicatorum Fr. Michael Ghislerius dictus, S. R. E. Cardinalis Tit. S. Mariæ ſuper Minervam, Romæ VII. *Jan.* MDLXVI. *Summus Pontifex creatus. Ad Cælos tranſiit* I. *Maii* MDLXXII. *poſtquam ſediſſet Annos* VI. *Menſes tres, dies* XXV.

Ut Fratribus ad Inſulam Cretæ ſe propagare volentibus, Conventus inibi ædificetur, Epiſcopo Agienſi committit.

A tergo. *Venerabili Fratri Aloyſio Epiſcopo Agienſi.*

PIUS PAPA V.

VEnerabilis Frater, Salutem &c. Sacræ Religionis, ſub qua dilecti Filii Fratres Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Capucini nuncupati, devotum, & ſedulum exhibent Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut illorum precibus, in iis præſertim, quæ divini cultûs augumentum, & animarum ſalutem, ac religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exponi ſanè Nobis nuper fecerunt iidem Fratres, quòd ipſi conſiderantes nullam in Inſulâ Cretæ pro eorum habitatione Domum habere, in quâ commorantes juxta eorum Regularia Inſtituta ſedulum Domino exhiberent famulatum, ſummoperè cupiebant ad Dei laudem, & honorem aliquam Domum pro uſu, & habitatione Septem Fratrum dicti Ordinis, quorum unus juxta ritus, & mores dicti Ordinis Guardianus exiſtat, cum Refectorio, Dormitorio, Cellulis, Eccleſia, Campanili, Campana, Hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis habere; ac propterea Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur Nos igitur, qui Religionem, & Cultum hujuſmodi, noſtris potiſſimè temporibus augeri, & vigere intenſis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ unam Domum in prædicta Inſula in loco, in quo ex eleemoſinis commodè Fratres ſubſtentari poſſint, pro uſu, & habitatione Septem Fratrum dicti Ordinis, quorum unus pro tempore juxta ritus, & mores dicti Ordinis Guardianus exiſtat, cum Refectorio, Dormitorio, Cellulis, Eccleſia, Campanili, Campana, Hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis Officinis abſque alicujus præjudicio conſtrui, & ædificari faciendi, nec non eiſdem Fratribus Domum ipſam pro uſu, & habitatione præfatis juxta ritus, & mores, ac Regularia Inſtituta dicti Ordinis concedendi, & aſſignandi, eiſdemque Fratribus illam recipiendi, ac perpetuò retinendi, ac Fratres prædictos moribus, & Inſtitutis Regularibus, necnon Obſervantiæ aliarum Regularium dicti Ordinis Domorum conformare debere, ſtatuendi, & decernendi, plenam, & liberam, authoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem. Nos igitur, ſi dictam Domum eiſdem Fratribus conceſſeris, ut præfertur, domui, ac Fratribus prædictis in ea pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, & Indultis, quibus aliæ Domus, & Fratres ejuſdem Ordinis hactenus uſi, potiti, & gaviſi ſunt, utantur, potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant quomodolibet in futurum, authoritate & tenore præſentis indulgemus; diſtrictius inhibentes quibuſvis perſonis cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, ordinis, & conditionis exiſtant, etiam ſub Excommunicatione, & aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ne deinceps perpetuis futuris temporibus eoſdem Fratres ſuper præmiſſis moleſtare, perturbare, vel inquietare præſumant. Decernentes quoque præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu notari, vel impugnari poſſe, minuſve ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & plenariè reintegratas eſſe, & cenſeri: ſicque in præmiſſis omnibus per quoſcunque &c. etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublatâ eis &c. ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii VIII., quâ cavetur, ne quivis Ordinum Mendicantium &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris. Die VII. Junii MDLXVII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

NOTA.

IN executionem Pontificiæ hujus conſtitutionis ad rudem hanc inſulam, quæ mutato jam nomine Candia appellatur, à P. Mario à Foro Sarzinio, Ordinis Vicario Generali, ceu Commiſſarius miſſus eſt P. Ignatius de Apiro, qui, quam ſudore ſtudii, artium & linguarum peritiam non poſſidebat, docilis ingenii acumine eam acquiſivit, ita quidem, ut Græcorum interpretaretur libros, & liberè Hebraicum loqueretur idioma. Ibi

dum

dum appulit, Evangelicâ ſuâ virtute *poſuit* (a) *Domino gloriam in continenti, & laudem ejus in Inſulis enuntiavit*, avidumque ſalutis populum ita ad devotionis ſtudia allexit, ut Infirmis ad ſolatium Noſocomium, & Ordini noſtro quinque Monaſteria, quæ temporum neceſſitas poſtea deſerere compulit, ædificari curaret. Stadium ſuæ miſſionis P. Ignatius Caneæ, quæ una ex tribus Inſulæ Civitatibus eſt, complevit, ubi diu pendulæ ante ejus tumbam accenſæ tres lampades Apoſtolici Viri ſanctitatem teſtabantur. (a) *Iſ.* 42. *v.* 12.

Ex variis Arch. Gen. M. S. & ex Bover. Tom. 1. fol. mihi 697.

Vivæ Vocis Oraculo

Statutum Capituli Generalis confirmat, & P. Procuratori Curiæ, utramque vocem in Capitulis Generalibus competere, decernit.

EGO Frater Marius de Foro Sarſinio Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum Vicarius Generalis (licet indignus) facio fidem omnibus præſentes literas inſpecturis, qualiter Reverendus P. Frater Evangeliſta de Canobio, immediatus in Officio Generalatús Prædeceſſor meus, propoſuit in Capitulo noſtro Generali ab ipſo convocato, & Romæ celebrato anno 1567. Utrum Procurator curiæ Romanæ, pro tempore exiſtens, deberet habere vocem in Capitulis Generalibus, quemadmodum habent per Regulam Miniſtri, & Cuſtodes, ſicut jam à Fratribus noſtris, dictis de Obſervantia conſtitutum fuerat in eorum Generali Capitulo celebrato anno 1493. in Provincia Sancti Ludovici? & facto Scrutinio per vota ſecreta Capitulum noſtrum acceptavit, & innovavit prædictam conſtitutionem, videlicet, ut Procurator Curiæ haberet vocem activam, & paſſivam, in Capitulis Generalibus. Poſtquam autem ego in prædicto noſtro Capitulo eſſem ad Generalatum electus, volui pro firmiori prædictæ conſtitutionis robore petere confirmationem ipſius, à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Pio V., & ideo ad illam humiliter petendam miſi prædictum Patrem Fratrem Evangeliſtam, unà cum Reverendo P. Fratre Honorio de Montegranario Diffinitorem prædicti noſtri Capituli, Patre Fratre Joanne Maria Hiſpano Prædicatore, & Fratre Bernardino Piſano Laico. Qui Pater Frater Evangeliſta propoſuit Suæ Beatitudini conſtitutionem prædictam, & à Fratribus de Obſervantia factam, & à noſtro Capitulo acceptatam, & innovatam eſſe, non obſtante, quod Regula noſtra non dicat, talem Procuratorem debere eſſe vocalem in Capitulis, út ſupra humiliter poſtulavit à Sua Sanctitate confirmationem ipſius conſtitutionis, quam Dominus Papa benignè confirmavit, & ſubjunxit, valde conveniens eſſe, ut talis vir, ſcilicet Procurator Curiæ habeat vocem in Generali Capitulo. Et hæc confirmatio facta fuit Die primo Junii Anni prædicti videlicet MDLXVII. In Palatio Sancti Petri in Camera propria Domini Papæ, præſentibus, & audientibus prænominatis Fratribus, in cujus fidem ſe ſubſcripſerunt, & ego Sigillum Officii noſtri appoſui. Datum Romæ die XVII. Julii MDLXVII.

Ego Frater Marius, qui ſupra, manu propria.
Ego Frater Evangeliſta, qui ſupra, manu propria confirmo.
Ego Frater Joannes Maria Hiſpanus Prædicator confirmo omnia, & ſingula ita eſſe conceſſa, me præſente, ut ſupra notatum eſt, manu propria.
Io Fra Bernardino da Piſa Laico confermo eſſer vero, come di ſopra è ſcritto, e di mano propria ho ſottoſcritto &c.

Originale in Arch. Gen. Ord. Tom. C. n. 31.

Ne ullo unquam tempore, aut ullâ, quâcunque causâ, FF. Capucini ad PP. Minimos S. Franciſci de Paula, nec hi ad illos ſe transferre poſſint, ſub Pontificiæ Indignationis pœna prohibet.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

SEdis Apoſtolicæ ſolertia, dum ad ſalutare quorundam remedium extructa, in eorum detrimentum vergere conſpicit, ne, quod illis profuturum maturitate ſumma prodiiſſe comperitur, noxium incauto miniſterio efficiatur, celeris proviſionis opem afferre conſuevit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè accepimus, quod, cum aliquando contingat aliquos Fratres Religioſos, tam Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum, quàm ejuſdem S. Franciſci de Paula Minimorum Nuncupatorum de uno loco ad alium, etiam forſan, abſque ſuorum Superiorum licentia transferri, exinde perturbationes, & mala exempla inter eoſdem Fratres ſæpius oriri ſolent. Nos cupientes perturbationibus, & malis exemplis hujuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, obviare: Motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa noſtra Scientia, quod de cætero perpetuis futuris temporibus,

nullus

nullus ex Fratribus Capucinis ad dictum Ordinem S. Franciſci de Paula, nec è converſo, quod nullus Frater ejuſdem S. Franciſci de Paula ad Ordinem Fratrum Capucinorum hujuſmodi, ullo unquam tempore, ex quacumque etiam, quantumcunque juſtiſſima cauſa, etiam de licentia ſuorum Superiorum ſe transferre poſſit, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes Statutum, & Ordinationem hujuſmodi per Fratres præfatos, ſub indignationis noſtræ pœna, inviolabiliter obſervari debere, ac ex tunc irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quâvis auctoritate tam ordinaria, quàm delegata, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Statutis, & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterum, quia difficile foret, præſentes Literas ad ſingula quæque loca in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri; Volumus, quòd ipſis Tranſumptis manu publici Notarii ſubſcriptis, & Sigillo alicujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in Judicio, & extra, ubi opus fuerit, eadem prorſùs fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI. Octobris M. D. LXVII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Cæſar Glorierius.

Exemplar in pergam. Auth. in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſcic. collig. num.* 34.

N O T A.

CUM ad hanc Conſtitutionem ſucceſſu temporis plenè, non amplius attenderetur, & tam RR. PP. Minimi liberè Capucinos reciperent, & Capucini liberè ad illos tranſirent, contra illos, & iſtos, duo Sac. Congreg. Regularium &c. Decreta emânarunt. Pro primo, contra primos, P. Procurator Ordinis noſtri, fecit inſtantias ſequentes.

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

PRocurator FF. Capucinorum, ſupplicat Dominationibus Veſtris Illuſtriſſimis, quatenus dignentur expedire cauſam contra FF. S. Franciſci de Paula, & FF. Reformatos obverſantem, & tam juxta Motum proprium Pii V. Sanct. Mem. quàm alia, Capucinis conceſſa privilegia ordinare, ne FF. Paulini, & Reformati recipiant deinceps ad illorum Ordines Capucinos, prouti priùs cum gravi Capucinorum præjudicio eos receperunt.

Ad quas ita fuit decretatum.

Auditis in Sacra Regularium Congregatione partibus, Decretum fuit, ſervandam fuiſſe, & eſſe Bullam Pii V. S. Mem. de qua ſupra. XIV. Jun. M. D. LXXXVIII.

Card. Alexandrinus.

Locus ✠ Sigilli.

Contra Capucinos ipſos autem, in aliâ, & poſteriore Congregatione fuit ita deciſum.

IN Sacra Regularium Congregatione lecto libello ſupplici oblato, nomine totius Familiæ Fratrum Capucinorum conquerentium, quòd quamplures ejuſdem familiæ Fratres, non ſine magna Religionis ſtatûs perturbatione, ac contra formam, & tenorem Motûs proprii rec. fel. Pii Papæ V. ſub dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI. Octobris M.D.LXVII. expediti, necnon Decreti Sacræ Congregationis prædictæ emanati, ſub die XIV. Junii M. D. LXXXVIII. & aliorum dictæ Religionis privilegiorum, ad Ordinem Fratrum S. Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum ſe tranſtulerunt, & quotidie tranſeunt, & in eo, prætextu; quòd ibi ſtrictior vigeat obſervantia, recepti fuerunt, & in dies recipiuntur: Illmi, & Rmi DD. Cardinales Sacræ Congregationis prædictæ Præfecti, utriuſque Religionis quieti, & paci conſulere volentes, matura ſuper præmiſſis habita conſideratione, Auctoritate Apoſtolica, eidem Congregationi à S. D. N. Gregorii XIV. conceſſa, decreverunt; quoſcunque Fratres Capucinos hactenus ad ſecundam dictam Religionem translatos, & receptos, in eadem tuta conſcientia perſeverare, & à nemine hac duntaxat de cauſa moleſtari poſſe. Poſthac autem, memoratum Pii V. Motum proprium, ſub pœna tranſeuntibus, & illos recipientibus, privationis officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ in perpetuum ipſo facto incurrenda, ſervandum eſſe, & ſervari debere. Quibuſcumque non obſtantibus. Die XXVII. Maii M. D. LXXXXV.

F. Michael Bonellus Card. Alex.

Georg. Palear. Secret.

Utriuſque hujus Decreti exemplaria Authentica cum aliis Documentis in Arch. Gen. Ord. Tom. E. *num.* 40.

Vivæ

Vivæ Vocis Oraculo

Concedit, quod, non obſtantibus Conſtitutionibus à Se editis, Fratres æquè Officia propria, ac Miſſas de Sancto P. FRANCISCO, aliiſque Ordinis Sanctis dicere poſſint, ita tamen, ut talia Officia, & Miſſæ propriæ, Miſſali Romano non apponantur, ſed ſeorſim habeantur.

Julius Antonius Sanctorius, miſeratione Divina S. R. E. Tituli S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis Sanctæ Severinæ appellatus, FF. Capucinorum nuncupatorum Ord. Minor. Vice-Protector.

OMnibus, & ſingulis præſentibus, & futuris, ad quos præſentes pervenerint, ſeu quomodolibet ſpectaverint, notum facimus, & atteſtamur, qualiter Nobis, nomine dilectorum Nobis in Chriſto Fratrum Capucinorum nuncupatorum Ordinis Minorum, die Sabathi infraſcripta ſupplicantibus, Sanctiſſimus Dominus Noſter Pius Divina Providentia Papa Quintus vivæ vocis oraculo, nobis facto conceſſit, & indulſit Fratribus prædictis, ut, quemadmodum per Sanctitatem ſuam conceſſum, ſeu indultum fuit fratribus eiſdem, ut non obſtante Bulla ejus, editâ ſuper Breviario Romano noviter reformato, feſtos Dies, ſeu ſolennitates, propria Officia, & Horas Canonicas Beati Franciſci Ordinis Minorum Fundatoris, & aliorum ejuſdemmet Ordinis Sanctorum celebrare, recitare, ſeu decantare poſſent, ita etiam, non obſtante Bulla Beatitudinis ſuę ſuper Miſſali Romano nuper reformato, & edito, proprias Miſſas eorumdem Sanctorum Ordinis præfati, in veteri Miſſali contentas, ſervatâ tamen formâ novi Miſſalis, ſeu ad illius Ritum, & normam, celebrare, & legere liberè, & licitè poſſint, ac valeant, dummodo Miſſas hujuſmodi in aliis diebus ſolennibus non celebrent, nec in novo Miſſali Romano apponant, ſeu imprimant, ſed ſeorſum habeant. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, has noſtras fieri fecimus, manu noſtra ſubſcriptas, ac noſtri conſueti ſigilli appenſione munitas. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico die XXVI. Menſis Auguſti Anno Incarnationis Dominicæ MLXX. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi D. N. D. Pii Anno Quinto.

Jul. Ant. Card. S. Severinæ.

Locus ✠ Sigilli pendentis.

Joannes Matthæus de Robertis Secretarius.

Exemplar authentic. in Pergamena in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 32.

Fratres triginta ad Claſſem Pontificiam contra Turcas pro ſpirituali Militis ſubſidio deſtinatos, ampliſſimis Privilegiis communit.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

CUM dilectus Filius, Vicarius Generalis (*) Fratrum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, mandato noſtro, Dilectum etiam Filium (**) Anſelmum de Petramolaria, & aliquot alios ex Fratribus ejuſdem Ordinis elegerit, mittendos ad Claſſem Chriſtianorum, quæ contra Infideles paratur; ut ibi Sacra miniſtrare, ægrotantium curam gerere, omnes monitis, & exemplis ad Dei timorem, & amorem accendere, militeſque ad viriliter pro Chriſti Fide dimicandum animare ſtudeant: Et eundem Anſelmum dictis Fratribus in Guardianum præfecerit, cum poteſtate alium ſibi ſubſtituendi, & alios ex ipſis Fratribus Capucinis Socios ſecum aſſumendi, ſeu deligendi. Nos, ut ipſe Anſelmus, & Fratres, ea, ad quæ mittuntur, meliùs exequi, & adimplere poſſint, ſpeciales, & infraſcriptas facultates, & privilegia eis impertienda eſſe cenſentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia eidem Anſelmo Guardiano, ejuſque Succeſſoribus, ac Sociis aſſignatis, & aſſignandis præfatis: Quod omnium, & ſingulorum de Claſſe præfata, tam in Mari, quàm alibi conſtitutorum, confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, & cenſuris Eccleſiaſticis & caſibus quomodolibet reſervatis, etiam in Bulla, in die Cœnæ Domini legi conſueta, contentis, in Foro Conſcientiæ tantùm, injunctâ ſalutari pœnitentiâ abſolvere: Necnon eorum vota quæcumque, Caſtitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, ac omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus de præfata Claſſe Chriſtiana, ſeu de Copiis, & Exercitu contra Turcas, & Infideles pugnaturis, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & extremæ unctionis Sacramenta miniſtrare; Nec non Miſſas ſuper Altare portatili in loco clauſo, & à ventis tuto, in Terra cum reverentia, & honore celebrare: omnibus verò, & ſingulis Fidelibus de Claſſe, & Copiis præfatis, ut ſibi aliquem tam ex dictis Fratribus, quàm alium Sacerdotem approbatum eligere, qui poſſit eorum Confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, exceſſibus, delictis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, etiam, ut præmittitur, reſervatis abſolvere: Præterea, ut pleniùs ægrotantibus Fratres prefati ſatisfacere poſſint, ut ipſi Fratres (ſi opus fuerit, pro ipſorum ægrotantium neceſſitatibus) in Claſſe, & alibi elee-

moſynas petere, per Syndicum tamen, ſeu Procuratorem aliquem, à Commiſſario Apoſtolico aſſignandum, ſeu deputandum recipiendas, & in Infirmorum neceſſitatibus expendendas; ita, quod ipſi Fratres, nec eleemoſynas hujuſmodi recipiant, nec adminiſtrent, niſi, quatenus eorum Regula permittit, & per Procuratorem præfatum fuerit eis mandatum, ſive conceſſum. Quodque Fratres præfati, quandocumque ventum fuerit ad arma contra Infideles, ſive in Mari, ſive in Terra, quilibet eorum in ea Triremi, vel in Acie, ſeu Agmine, cui aſſignatus fuerit, Fidelibus & pugnantibus Nomine noſtro, benedictionem impendere reſpective poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium facultatem concedimus & poteſtatem. Inſuper omnibus & ſingulis Fidelibus de Claſſe & Copiis prædictis, videlicet, qui gratis militaverint, pro prima vice, quâ confeſſi, & contriti Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſerint, plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem: qui verò ſtipendiati fuerint, & eandem Sacratiſſimam Euchariſtiam (ùt præfertur) primâ vice ſumpſerint, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam: Omnibus autem, & ſingulis ſtipendiatis, & non ſtipendiatis, & aliis perſonis dictæ Claſſis, aliis vicibus confeſſis, & contritis, ac communicatis, quinque annorum, & totidem Quadragenarum indulgentiam; & in articulo mortis conſtitutis, atque in præfata expeditione vel pugna, ſeu præliis morientibus, contritis tamen, plenariam quoque indulgentiam, quam iidem Fratres à nobis conceſſam eſſe, pronunciare, & prædicare poſſint. Item omnibus, qui Miſſæ, vel Sermonibus, ſeu Concionibus præfatorum Fratrum, aut Orationibus Matutinis ac Veſpertinis horis habendis, prout á præfatis Fratribus fuerit ordinatum, devotè interfuerint; indulgentiam quadraginta dierum de omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, per eaſdem præſentes concedimus, & elargimur. Ne autem Fratres prædicti, dum aliis præeſſe ſtudent, ſibi detrimentum faciant, aliiſque minus proſint, eis mandamus, ut in omnibus propriam Regulam obſervent, necnon Vicario Generali in omnibus, & ſingulis, quæ ab Eo illis ordinata, & præcepta fuerint, pareant, & humiliter obediant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die x. Martii MDLXXI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Exemplar. impreſſum Authent. in Arch. Generali Ordinis Armario Authent. *in faſc. Impreſſorum num.* 1.

N O T A.

Vicarius Generalis in hujus Brevis exordio Anonymus, fuit P. Marius à Foro Sarzinio, Vulgò *Mercato Saraceno*, Provinciæ Picenæ Alumnus, qui Doctoratûs & Magiſterii Laurea in inclyto Divi Auguſtini Ordine inſignitus, & rigidioris vitæ ducendæ ſtudio incenſus, noſtro ſeſe anno 1536. aggregavit Ordini. Hic, ne lumen virtutis, quod in Mario emicuit, ſub modio lateret, Eum bina vice in Miniſterii Generalis apice conſtituit. Exercuit officium hoc in Spiritu Lenitatis, & mira prudentia & ſpecialiùs communem vitæ regularis rationem ſemper commendavit. Tolentini tandem anno 1581. ſeptuagenerarius, plenus meritis ad perpetuæ Lucis fruitionem tranſivit, poſtquam prærogativas Deiparæ & S M. Magdalenæ, quas tenero cultu dilexit, devoto conſcripſiſſet metro. Vitam illius fusè deſcribit P. Boverius (*a*) & de eo meminerunt P. Wadingus (*b*) & P. Coriolanus noſter (*c*).

(a) *Tom.* 2. *Annal. p.*11.
(b) *Lib. de Script. FF. Min.*
(c) *In Brev. Chron.*

(**) P. Anſelmum celebrant noſtri Annaliſtæ ceu Virum, omni virtutum genere ornatum, Zelo fidei æſtuantem, & Maryrii cupidine præprimis ferventem; inde, cum P. Hieronymus à Piſtorio, Lector & Definitor Generalis, in S. Concilio Tridentino ad Patres ſæpius Orator, ac Sanctiſſimi Papæ Pii V. Theologus in Inſula Cretæ victima charitatis obiiſſet, Illi pro nova expeditione ceu comitum Fratrum Ductor fuit Subſtitutus. Implevit quoque partes ſuas gloriosè, & cum fructu ampliſſimo. Redux Romam, ceu Commiſſarius Generalis in Galliam miſſus eſt, ubi, poſtquam florentem jam Obſervantiam majore victûs auſteritate & paupertate communiviſſet, Romam denuo repetiit, & inde Camerinum pro ſua quiete æternâ ſeceſſit. Plura qui de Viri hujus vita deſiderat, Boverium noſtrum (*d*) legat.

(d) *Tom.* 2. *Annal. pag.* 139.

GREGORIUS XIII.

Italus ex Civitate Bononiæ, Hugo Boncompagnus antea dictus, S. R. E. Cardinalis Romæ XIII. *Maii* MDLXXII. *Summus Pontifex creatus. Obiit* X. *April.* MDLXXXV. *poſtquam ſediſſet Annos* XIII. *Menſes* X. *dies* XXIX.

Revocat conſtitutionem fel. rec. Pauli III. quâ noſtram Religionem ultra montes propagari inhibuit, tribuitque facultatem per Gallias, ac omnes Orbis partes Loca, Cuſtodias, Provincias &c. erigendi.

GRE-

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

EX noſtri Paſtoralis Officii debito, ad ea libenter attendimus, per quæ ſingulorum Religioſorum propagationi conſulatur; maximè verò, quæ alicubi ex ſpeciali populorum devotione optantur. Cum itaque Religio Ordinis Fratrum Minorum Congregationis Capucinorum nuncupatæ, dudum in Italia ſalubriter inſtituta, nunc etiam in partibus Galliarum, & ſignanter in alma Civitate Pariſienſi inſtitui cœpta, ad finem perduci deſideretur: Sed quia aliàs fel. record. Paulus Papa III., Prædeceſſor noſter, ex certis tunc expreſſis cauſis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, Dilectis Filiis Vicario Generali, & Fratribus dictorum Ordinis, & Congregationis, motu proprio præcepit; ne, donec à ſe, in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis, quod in Urbe celebrandum erat, aliud ſuper eo determinatum foret, ſeſe ultra Montes transferre, aut loca de novo acceptare auderent: ipſi Vicarius, & Fratres, etſi præceptum, dicti Prædeceſſoris obitu, creditum ſit expiràſſe, veriti tamen crimen tranſgreſſionis, nihil omnino contra illud abſque dictæ ſedis permiſſione, auſi ſint hucuſque attrectare. Nos Religionis ampliandæ ſtudio, prohibitionem prædictam, ac quidquid à dicto Prædeceſſore ejus causâ decretum eſt, auctoritate præſentium abrogamus; ac Vicarium, & Fratres prædictos contra illa in integrum reſtituimus. Quin etiam illis ad Gallias, & cæteras omnes Orbis partes liberè tranſeundi, & ibidem Domos, Loca, Cuſtodias, & Provincias, juxta eorum Ordinem, fundandi, inſtituendi licentiam tribuimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum, juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Quia verò difficile eſſet, præſentes, quòcumque illis opus erit, perferri, volumus, ut illarum tranſumptis, etiam expreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in Judicio, & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abrogationis, reſtitutionis, tributionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXIV. Pridie Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Cæſar Glorierius.

Exemplar in pergamena Authent. in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 35.

Julium Antonium Cardinalem S. Severinæ, Ordinis Vice-Protectorem, Capituli Generalis Præſidem deputat.

Dilecto Filio noſtro Julio Antonio Tituli S. Bartholomæi in Inſula Presbytero Cardinali S. Severinæ nuncupato.

GREGORIUS PAPA XIII.

DIlecte Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum Capitulum Generale Fratrum Capucinorum, pro rerum, ad eundem Ordinem ſpectantium felici directione, in Alma Urbe noſtra propediem celebrandum ſit, Nos cupientes, ut omnia in eodem Capitulo tractanda ritè, & cum Dei laude, ac dicti Ordinis utilitate procedant, Te, qui ejuſdem Ordinis Viceprotector ad præſens exiſtis, cujus eximiam prudentiam, probitatem, integritatem optimè cognitam habemus, ejuſdem Capituli Præſidentem, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, & deputamus, cum poteſtate, & facultate omnia faciendi, mandandi, & exequendì, quæ alii Præſidentes in aliis Capitulis Generalibus dicti Ordinis facere, mandare, & exequi potuerunt, ſeu quomodolibet debuerunt. Ita tamen, quòd omnia, Decretis Sac. Concilii Tridentini prorſus ſe conforment, & nihil contra illa diſponatur. Mandantes Tibi, ac ejuſdem Ordinis Superioribus, ut ipſum Ordinem juxta dicti Concilii Canones, & Decreta, ac Ordinis hujuſmodi Conſtitutiones reformare curetis, Statutis, Privilegiis, Diffinitionibus, Indultis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, cæteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die X. Maii MDLXXV. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

C. Glorierius.

Autographum in Arch. Vaticano in regeſto Menſis April. Anni 1575.

Prohibet, ne Tertiarii FF. Min. Conventualium (præſertim in Regno Siciliæ degentium) Habitum, Capucinorum Habitui conſimilem deferant.

GREGORIUS XIII.

Ad futuram rei memoriam.

REgularium perſonarum, exemplarem vitam in humilitatis, & paupertatis ſpiritu viventium quieti ac indemnitati, pro commiſſo nobis Paſtoralis Officii debito conſulere cupientes, ad ea removenda, quæ ipſis præjudicium adferre, & ſcandali materiam præſtare dignoſcuntur, curam noſtram libenter intendimus. Accepimus quidem, quòd, licet aliàs, fel. rec. Paulus Papa Tertius Prædeceſſor Noſter per ſuas literas inter alia diſtrictiùs inhibuerit quibuſvis perſonis, cujuſcumque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne Habitum per Fratres Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum geſtari ſolitum, niſi ſub Vicarii Generalis, ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoque modo præſumerent; & piæ Memoriæ Pius Papa IV. etiam Prædeceſſor Noſter literas Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi, ita, quod nullus cujuſcumque conditionis exiſteret, non ſolùm habitum præfatum, juxta literas Pauli Prędeceſſoris hujuſmodi tenorem, verùm etiam nec ita conſimilem, quod pręter eum poſſit credi Frater eorum Congregationis, niſi ſub prędicti Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneret, ſub ſimili pœna excommunicationis latæ ſententiæ quoquo modo geſtare præſumeret, per alias ſuas literas confirmaverit, & approbaverit, ac etiam ad id extenderit. Nihilominus multi Fratres Tertiarii Minorum Conventualium Sancti Franciſci nuncupatorum, in Regno Siciliæ degentes, Habitum ejuſdem panni, & coloris, quo ipſi Fratres Capucini utuntur, geſtare, & ſalvo, quod Capucium rotundum, more Fratrum Conventualium hujuſmodi deferunt, in reliquis ita conſimiles eiſdem Fratribus Capucinis incedere præſumunt, ut paſſim à Populo pro Capucinis habeantur, & reputentur, ac illis, tanquam talibus, eleemoſynæ & oblationes elargiantur, non ſine eorumdem Capucinorum præjudicio, & Sæcularium ſcandalo, qui Capucinos, à Regulæ Obſervantia emancipatos credunt, eiſque pecuniarum uſum, ac rerum commercium permitti intuentur. Quocirca nos rationi conſonum eſſe, rati, ut, qui in obſervantia vitæ Regularis uniformes non ſunt, ab iiſdem etiam Habitûs delatione diſtinguantur; in primis ad evitandas confuſiones, & contentiones, quæ, niſi Habitus utrinque diſtinguatur, oriri poſſent, providere volentes, ac ſingulas literas Prædeceſſorum hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque pro expreſſis habentes, & harum ſerie approbantes, & confirmantes, atque etiam innovantes, Motu proprio & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus; quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus, hujuſmodi Fratres Tertiarii nuncupati dicti Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, in Regno Siciliæ exiſtentes, & ſub Obedientia & cura dicti Vicarii Generalis Capucinorum pro tempore exiſtentis non permanentes, adinſtar aliorum Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum Conventualium, ibidem degentium, non ſolùm Capucium rotundum, ùt præfertur, ſed etiam Habitum ejuſdem coloris, cujus eſt Habitus dictorum Fratrum Minorum Conventualium, videlicet Berretini nuncupati, ut propterea à Capucinis Fratribus, facilè diſcernantur, deferre debeant, & teneantur. Alioquin, ſi ſecus fecerint, poſt ſex menſes, ab intimatione præſentium, pœnas Conſtitutionum Pauli & Pii præfatorum incurrant eoipſo Decernentes præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu, etiam ex eo, quod intereſſe habentes vocati non fuerint, ſeu quocumque alio prætextu, notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in Jus, vel Controverſiam revocari, ſeu adverſus eas, quodcumque Juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, nullo unquam tempore poſſe. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quâvis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus univerſis, & ſingulis dicti Regni locorum Ordinariis, in quorum Diœceſi Fratres Tertiarii Minorum Conventualium hujuſmodi pro tempore degent, per præſentes committimus, & mandamus; ut per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Capucinorum præfatorum, vel aliorum, quorum intererit, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, faciant Auctoritate noſtra Literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, ſublato quocumque exemptionis privilegio, inviolabiliter obſervari. Contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas, aliaſque ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque Juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ac legitimis

ſuper

ſuper his habitis, ſervatis proceſſibus, ipſas ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel Generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Statutis, & Conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum dérogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam proprio motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quæ omnia adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus, contrariis quibuſcumque, etiamſi Fratribus Tertiariis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas continentes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam expreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique in Judicio, & extra, fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die quarta Octobris M. D. LXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

Cæſ. Glorierius.

Exemplar in pergamena authent. in Archivo Generali Ordinis Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 40.

DECRETUM.

Quo Fratres S. Joannis de Deo, Habitum, ſimilem Habitui Capucinorum geſtare prohibentur.

Die x. *Maii* MDXXXII.

Illuſtriſs., & Reverendiſs. Dominus D. Jacobus Epiſcopus Tuſculanus, S. R. E. Cardinalis Sabellus, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Vicarius Generalis inhærendo Literis Apoſtolicis conceſſionis privilegiorum Fratribus Ord. Min. S. Franciſci Capucinis nuncupatis, à fel. rec. Paulo Papa III. & aliis Romanis Pontificibus, ac confirmationis eorundem Privilegiorum à fel. rec. Pio Papa IV. reſpectivè emanatis, in quibus præter alia extitit ordinatum, quod nullus, cujuſcunque conditionis exiſtat, non ſolùm eorundem Fratrum Habitum, verùm etiam, nec ita ſimilem, quod propter eum poſſet credi Frater eorum Congregationis, niſi ſub Vicarii generalis ejuſdem Ordinis, pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneat, ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ quoquomodo geſtare præſumat; decrevit, & declaravit, quod Fratres Hoſpitalis *Joannis Dei* nuncupati deferant, & deferre debeant *Capottum* nuncupatum uſque ad crura tantùm, Capucium rotundum, caligas, *Calzoni* nuncupatas, uſque ad talos, cum habitu *patientia* nuncupato & corrigiam cum cingulo cum Sporta, & non utantur Sandaliis, prout utuntur Capucini, nec alio genere Habitûs, quo utuntur Capucini, ne ab aliquibus credi poſſit, eos Fratres Capucinorum eſſe, ſub pœnis prædictis, & aliis, arbitrio ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis imponendis.

Exemplar in charta auth. in Archivo Generali Ordinis Armario Authentica *in faſc. colligato num.*:41.

NOTA.

Statim quoque, ac hoc Decretum fuerat legaliter intimatum, fuit & expeditum Monitorium coram tunc Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo DD. Hieronymo Matheio Cameræ Apoſtolicæ Auditore Generali per acta Franciſci Baſpletti Cur. Cauſ. Cameræ Apoſtolicæ Notarii ſub die XXII. Junii MDXXXII. Sedente Sanct. mem. Gregorio XIII., Anno illius XI. Plena autem ad hæc cum non ſequeretur executio, anno MDXXXVII., XXXI. Auguſti fuit Decretum ſuprapoſitum ab eodem Cardinale Vicario confirmatum, & inſuper anno MDXXXVIII. XVI. Januarii, ſequenti S. Cong. Regul. Decreto corroboratum.

Sacra Regularium Congregatio, inſtantibus FF. Capucinis cenſuit, Confratres Societatis Joannis Dei nullatenus debere geſtare habitum cum Capucio oblongo, ſive acuto, ſed rotundo, ſub pœna carceris, Congregationis arbitrio. Licentiam propterea conceſſit ipſis Fratribus Capucinis, omnes contrafacientes carcerari faciendi, die XVI. Januarii MDXXXVIII.

Locus ✠ Sigilli.

Cardinalis Alexandrinus.

Georgius Palearius Secretarius.

Emana-

Emanârunt inſuper duo Mandata Apoſtolica, cum invocatione brachii Sæcularis directa ad Auguſtiſſimum Imperatorem, & quoslibet Dominos temporales, per quæ Fratres S. Joannis de Deo, ac omnes alii, Habitu Capucino abutentes, mediantibus juris remediis, etiam carceratione, & pignorum ablatione, ad obſervantiam Conſtitutionum Pontificiarum, Decretorum &c. de non portando Capucinorum Habitu, vel eidem ſimili, adſtringuntur. Primum fuit relaxatum coram tunc R. P. D. Alphonſo Vice-Comite, Locumtenente tunc Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Auguſtini Cuſani Auditoris Generalis &c. per acta Cinthii Cellii illius Notarii ſub XII. Maii MDXXXVIII. Sedente S. mem. Sixto V. Anno ejus Quarto.

Alterum autem, coram tunc R. P. D. A. Juſto, Locumtenente tunc Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domini Camilli Burgheſii, pariter Auditoris Cameræ &c. per acta Marci Antonii Bruti, illius Notarii &c. quod hîc copialiter, tam pro pleniore actorum memoria, quàm pro firmiore juris manutentione extendi, conſultum judicatum eſt,

MANDATUM EXECUTIVUM

Cum invocatione Brachii Sæcularis.

INvictiſſimo, & Potentiſſimo Rudolpho ab Auſtria, Romanorum Imperatori electo, ſemper Auguſto, ac Sereniſſimo, & Catholico Hiſpaniarum, aliiſque Sereniſſimis aliorum Regnorum Reipublicæ Chriſtianæ Regibus, Rerumpublicarum, quorumcunque Statuum, & Provinciarum Ducibus, & Poteſtatibus, Magiſtratibus, & Rectoribus, eorumque Illm̃is, & Excellm̃is Dominis Proregibus, Viceducibus, & Gubernatoribus, ac Illm̃is, & Revm̃is Dominis Sedis Apoſtolicæ Legatis, Nunciis, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, & aliis quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ac Illm̃is DD. Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Caſtellanis, Arcium Præfectis, ac quarumcunque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Locorum Gubernatoribus, Vicariis, Poteſtatibus, Auditoribus, Locatenentibus, Judicibus ordinariis, ac extraordinariis, ac Delegatis, Subdelegatis quibuſcumque, Bariſellis quoque, Executoribus, cæteriſque Juſtitiæ Miniſtris quibuſcunque, quoquo modo nuncupatis, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint per totum Orbem Terrarum.

Camilius Burgheſius Prothonotarius Apoſtolicus, Utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi D. N. Papæ Referendarius, ac ejuſdem S. D. N. Papæ, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, Sententiarum quoque, & Cenſurarum, tam in Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac Literarum Apoſtolicarum quarumcunque Univerſalis, & merus Executor, ab eodem S. D. N. Papa ſpecialiter deputatus, Salutem in Domino, & noſtris hujuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis nuper coram nobis pro parte ad inſtantiam Rever. Patris Fratris Hieronymi de Politia Siculi, Ordinis Min. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Vicarii Generalis, & R. P. F. Bonaventuræ de Monteregali ejuſdem Religionis Procuratoris, & Commiſſarii Generalis Principalium comparitum, & expoſitum fuiſſe: Quod, cum alias fel. rec. Paulus Papa III. attendens uberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in Agro Militantis Eccleſiæ eatenus produxerat, & in poſterum producturum ſpe firma ſperabat, ac dignum cenſens, ut circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernebant, benignos favores impenderet, ſupplicationibus nonnullorum tunc expreſſorum Fratrum dicti Ordinis ſupplicationibus inclinatus, nonnullas Literas piæ mem. Clementis VII. ejus Prædeceſſoris, nonnullis Fratribus, tunc expreſſis Ordinis Minorum, vitam Heremiticam ducere & quantùm humana patiebatur fragilitas, Regulam Beati Franciſci obſervare cupientibus, conceſſas, Apoſtolica Auctoritate, ex certa ſcientia ſua approbans, & confirmans, illas tunc, & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis Capucinorum, ac ipſis Congregationis Fratribus, (perinde, ac ſi illæ eiſdem Congregationi, & Fratribus directæ fuiſſent) quoad omnia, & ſingula in ipſis Literis contenta ſuffragari debere decrevit; Et nihilominus auctoritate, & ſcientia ſimilibus per ſuas ſub plumbo confectas Literas, nonnulla pro dictis Fratribus Capucinis, ſtatuit, & ordinavit, diſtrictiùs inhibens quibuſcumque perſonis, cujuſcumque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne Habitum per eos deferri ſolitum, niſi ſub prædicti Rev. Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis Obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquomodo præſumerent; & ſucceſſivè ſanctæ etiam memoriæ Pius Papa IV., per ejus Literas ſub plumbo expeditas, ſub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXIIII. Nonis Aprilis Literas prædicti Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, ita, quod nullus cujuſcumque conditionis exiſtat, non ſolùm Capucinorum Habitum, juxta prædictarum Literarum Pauli Prædeceſſoris tenorem, verùm etiam nec ita conſimilem, quod propter eum poſſint credi Fratres eorum Congregationis, niſi ſub prædicti eorum R. P. Vicarii pro tem pore exiſtentis obedientia, & cura permaneant, ſub ſimili pœna excommunicationis latæ ſententiæ quoquomodo geſtare præſumant, Auctoritate Apoſtollca prædicta confirmavit, & approbavit, ac omnia. & ſingula in eiſdem Literis D. fel. rec. Pauli Papæ Tertij contenta prædicta de novo conceſſit, ac deinceps fel. record. Gregorius Decimus tertius per ejus Literas in forma Brevis, ſub Annulo Piſcatoris expeditas, die quarta Octobris M. D. L X X XI. Pontificatus ſui Anno decimo, ſpecialiter & expreſsè prædictas Conſtitutiones Pauli Tertii, & Pii Quarti (quoad Capucii, & Habitûs Fratrum Capucinorum geſtationem approbavit, confirmavit, & innovavit, prout in prædictorum ſummorum Pontificum Literis pleniùs contineri dicitur. Quodque per Illuſtriſſimos & Reverendiſs. DD. Cardinales Sacræ Religionum Congregationis vigore auctoritatis, & facultatis, eiſdem à Sanctiſſimo D. N. Sixto divina providentia Papa Quinto fel. record. per ſuas Literas in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris (ut moris eſt) legitimè expeditas, ſub datum Romæ apud Sanctum Marcum, die decima tertia Junij, Anno M. D. L X X X V I I. Pontificatus ſui Anno Tertio attributæ, inſtantibus RR. Patribus Capucinis, ſancitum, & decretum fuit, prout in quadam papyri cedula per Illuſtriſſimum, & Reverendiſs. Cardinalem Alexandrinum ſubſcripta, & firmata, & ejus ſigillo munita, & Rev. P. Generali prædictæ Societatis S. Joannis Dei intimata, coram nobis exhibita, tenoris ſubſequentis, videlicet, Sac. Regular, Congregatio inſtantibus Fratribus Capucinis cenſuit, Confratres Societatis Joannis Dei, nullatenus debere geſtare Habitum cum Capucio oblongo, ſive acuto, ſed rotundo, ſub pœna carceris, Congregationis arbitrio. Licentiamque propterea conceſſit ipſis Fratribus Capucinis, omnes contrafacientes carcerare faciendi. Die decima ſexta Januarii 1588. Cardinalis Alexandrinus, Georgius Palearius Secretarius. loco ✠ Sigilli. Item pariter inſtantibus eiſdem Fratribus Capucinis, per eandem Sacram Congregationem Regularium ſanci-

ſancitum, decretum, & ordinatum fuit, prout in quadam papyri cedula per Secretarium dictæ ſacræ Congregationis, ſub die tertia Martii 1592. ſubſcripta, hujuſmodi ſub tenore videlicet: Moneantur ſub pœna ablationis Capucii prima Martii 1592. Gregorius Palearius ſubſcripſi. Et expoſito Nobis pro parte, & ad inſtantiam eorumdem RR. PP. Capucinorum, videlicet Vicarii & Procuratoris Generalium, quod aliqui ex Confratribus Societatis Joannis Dei, & forſan nonnulli alii Habitum cum Capucio oblongo ſive acuto, abſque licentia R. P. Vicarii Generalis Ordinis Capucinorum, contra formam ordinationum, & conſtitutionum præfatorum ſummorum Pontificum, in maximum animæ ipſorum contravenientium detrimentum, in dedecus, & vilipendium ſacræ Religionis Capucinorum, & Populorum ſcandalum geſtare audent, & præſumunt. Cupienteſq. prædicti RR. PP. Vicarius, Procurator, & Commiſſarius generalis prædictas literas Apoſtolicas, & Decretum prædictæ ſacræ Congregationis ſuum (ùt par eſt) debitum ſortiri effectum, debitamque executionem conſequi, ad Nos tamquam ſimilium Executorem, recurſum habuerunt, ut in præmiſſis de opportuno juris remedio providere, & in executionem præmiſſorum contrafacientes brachium ſæculare, & mandatum exequutivum decernere, & concedere dignaremur. Nos igitur attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam, & quod juſta petenti non eſt denegandus aſſenſus, volenteſque, mandata Apoſtolica (ùt convenit) reverenter exequi, & ſtante monitione, ac intimatione præinſertorum Decretorum Rever. P. Generali S. Joannis Dei, monitos, & intimatos, ac etiam in ipſis iterum citatis ad dicendum contra præfatas Literas Apoſtolicas, & illarum exequutionem, mandatum exequutivum, & brachium ſęculare contra omnes Fratres dictæ Religionis, geſtantes Capucios oblongos & acutos, contra formam dictorum Decretorum, & de illis auferendo decerni, & relaxari. Comparente coram nobis R. P. Priore Romæ dicti Ordinis S. Joannis, & offerente ſe paratum unà cum aliis Fratribus pro tempore ejus obedientiæ ſubjectis, geſtare Capucium rotundum, & juxta formam Modelli aliàs dati. Nos autem, factâ comparatione Capucii, quod ipſe R. P. Prior, & ejus Socius geſtabat, reperimus eſſe Modelli, & formæ datæ, & aſſignatæ: Et ſtante dicta oblatione, ac juribus, de quibus ſupra, mandatum exequutivum contra omnes, & ſingulos contrafacientes, & inobſervantes, Capuciumque oblongum, & acutum, nunc, & pro tempore geſtantes decernendum, & relaxandum duximus, decrevimus, & relaxavimus, prout decernimus, & relaxamus per præſentes. Quæ omnia & ſingula ſupradicta vobis omnibus & ſingulis ſupradictis intimamus, inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram, & cujuſlibet veſtrûm notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes. Quo circa vos Invictiſſimum Romanorum Imperatorem, & Sereniſſimos Reges, ac alios DD. Temporales, juriſdictiones exercentes, ac Illuſtriſſimos DD. Legatos in Domino attentè rogamus, & hortamur, quatenus veſtram in hac parte dexteram extendentes, tamquam juſtitiæ, & fidei Zelatores; Vobis verò aliis prædictis committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis à Divinis pœnis, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquam vigore præſentium pro parte DD. Fratrum Capucinorum, aut alicujus eorum fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrûm fuerit requiſitus, ex parte noſtra, imo veriùs, Apoſtolica Auctoritate omnes, & quoſcunque Confratres Societatis Joannis Dei, & alios quoſcumque nunc, & pro tempore contrafacientes, & in quibuſvis locis geſtantes Habitum, cum Capucio oblongo, ſive acuto carceretis, & in carceribus detineatis per captionem corporum, & perſonarum, ac dictorum Capuciorum ablationem cogatis, & compellatis ad dimittendum, & relaxandum dictum Habitum cum Capucio acuto, ſive oblongo, & in præmiſſis non ceſſetis, nec ceſſare faciatis, donec dictum Habitum dimiſerint, & Habitum cum Caputio rotundo juxta formam præinſertæ ſacræ Congregationis detulerint, & omnia ſupradicta adimpleverint, ac illis paruerint. In præmiſſis vos taliter habentes, quod nota contemptûs, ſive contumaciæ vobis nullatenus adſcribatur. In quorum fidem, præſentes noſtras literas, ac alias in papyri folio impreſſas, ut in diverſis mundi partibus tranſmitti poſſint, & per Notarium noſtrum, & Curiæ noſtræ infraſcriptum ſubſcribi, ſigilliq. Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Dat. Romæ in ædibus noſtris ſub Anno Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Indictione quinta, Die vero duodecima menſis Maii, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis divina providentia Papæ Octavi Anno Primo.

A. Juſtus Locumtenens.

Marcus Antonius Brutus Curiæ Cauſarum Cam. Apoſt. Notarius.

Hujus Mandati æquè, ac alterius, necnon Decretorum, in eo adductorum exemplaria Authentica, in pergamena & in charta, in Arch. Generali Ord. in faſc. collig. num. 47. 45. 51. &c.

SIXTUS V.

Italus ex Oppido, nunc Civitate Montis Alti in Provincia Picena, in Religione PP. Conventualium F. Felix Perettus dictus S. R. E. Cardinalis, Romæ XXIV. *April.* M. D. LXXXV. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XXVII. *Auguſti* MDXC. *poſtquam ſediſſet Annos* V. *Menſes* IV. *Dies* VI.

Pro Feſtis SS. Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, Bernardini, & Claræ, in Eccleſiis Ordinis Noſtri &c. tam pro Fratribus, Monialibus, quàm cæteris utriuſque Sexûs Chriſti Fidelibus, plenariam Indulgentiam concedit perpetuam.

SIXTUS PAPA V.

UNiverſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à primæva inſtitutione regulæ Beati Franciſci, tam ob illius & Sanctorum Antonii de Padua, Ludovici Epiſcopi & Con-

Confeſſoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon divæ Claræ, aliorumque ejuſdem Ordinis ſequacium ſanctitatem & miraculorum multitudinem, quàm etiam ob multorum ipſius Religionis Summorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum merita, ingens ubique Chriſtifidelium multitudo ſingularem erga quemcunque dictorum Sanctorum gerat devotionis effectum; Nos, ut ipſorum fidelium devotio hujuſmodi non modò conſervetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti uberiùs conſulatur, precibus etiam dilecti filii Clementis Bontadoſii Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Magiſtri generalis ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tam omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capucinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratribus, & Monialibus, quàm cæteris utriuſque ſexùs Chriſtifidelibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſima Communione refecti, diebus Feſtis Sanctorum Franciſci, Antonij de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris, ac Bernardini, prædictorum eorundem Fratrum Minorum Conventualium, Capucinorum & de obſervantia; Necnon die Feſtivitatis Sanctæ Claræ Monalium dicti Ordinis Monaſteriorum ubilibet conſtitutorum Eccleſias, tam erectas, quàm erigendas, vel earum aliquam, à primis veſperis uſque ad occaſum Solis eorundem dierum, ſingulis annis devotè viſitaverint & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes literæ ad ipſorum Chriſtifidelium notitiam facilius, citiuſque perveniant, volumus, quod earum exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die XXVIII. Septemb. M.D.LXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Joan. Bapt. Canobius.

Exemplar impreſſum, & Authenticum in Arch. Generali Ord. Armario Authent. *in faſcic.* Impreſſorum.

P. Magiſtro Generali Ordinis Conventualium, Confraternitatem Cordæ S. Patris FRANCISCI in Eccleſiis noſtris erigendi, ac Archiconfraternitati Aſſiſii cum omnibus indulgentiis aggregandi, facultatem impertitur.

SIXTUS PAPA V.

Epiſcopus Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

EX ſupernæ diſpoſitionis arbitrio, gregi Dominico Præſidentes, inter curas multiplices, quæ ex Paſtoralis Officii miniſterio Nobis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam omnium Chriſtifidelium, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo, & vexillo Altiſſimi famulantium, animarum ſalus, cum Divini cultus incremento proveniat, ipſoſque Chriſtifideles, ut eorum vota ad id facilius concurrant, ſpiritualibus muneribus, Indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus, in apricum eis adducendo juſtos variis ſignis, & miraculis coruſcantes, invitamus, & confovemus, ac aliàs deſuper diſponimus, prout ad eorum Chriſtifidelium ſpiritualem devotionem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Cum itaque Beatus Franciſcus, à quo Ordo dilectorum Fratrum Minorum inſtitutus fuit, quique inter cœteros in numerum Sanctorum cooptatos ſignis, & miraculis maximè claruit, ita vixerit, ut penè omnes ad ſui devotionem, & imitationem pertraxerit, multique ex ipſis Chriſtifidelibus Cordam, ſimilem ei, quâ ipſe, dum in hoc Sæculo verſaretur, cinctus erat, hodie deferant; quin etiam plures ejus laudabile inſtitutum amplexi, & ſub ſuavi jugo Religionis ab eo inſtitutæ, diverſiſque S. Romanæ Eccleſiæ Catholicæ Prælatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & poſtea ad Summi Apoſtolatus apicem evectis illuſtratæ, militantes, tantumque virum imitati, in numerum eorumdem Sanctorum relati fuerint.

Nos, qui etiam à teneris annis ſingularem devotionis affectum erga ipſum Sanctum Franciſcum, cujus corpus ſub Altari Majori Eccleſiæ Domûs Fratrum Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum Aſſiſienſis, quæ inibi inſignis, maximèque celebris, & diverſis privilegiis decorata exiſtit, requieſcit, ſub Habitu dicti Ordinis ſui incedentes, geſſimus, cupientes Domum, & Eccleſiam hujuſmodi ampliùs decorari, pietatiſque, & Chriſtianæ charitatis opera, ubique cum Divini cultus augmento, ac ad ejuſdem S. Franciſci honorem, & venerationem, animarumque ſalutem exerceri, & fideles ipſos ad faciendum ea, per quæ ad

æternam

æternam beatitudinem valeant faciliùs pervenire, mediis opportunis excitare, infraſcriptum Patrem Clementem Magiſtrum Generalem, ac ſingulares perſonas Conventûs Domûs prædictæ, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes: Motu proprio, non ad alicujus Nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & certa ſcientia, in Eccleſia Domûs, & ad Altare hujuſmodi, unam Archiconfraternitatem utriuſque Sexûs Chriſtifidelium, qui Chordam, per ejuſdem Ordinis Fratres geri ſolitam, ex illorum devotione deferant, ac illa cingantur ſub invocatione ejuſdem S. Franciſci, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò erigimus, & inſtituimus.

Ut autem ipſa Archiconfraternitas, Confratrum Chordigerorum præfatæ Chordæ numero in dies magis ampliata decoretur, ipſique Confratres ad piorum operum exercitium propenſiores reddantur, ac ad Eccleſiam, & Altare hujuſmodi devotionis causâ confluant, quò per hoc ſe majora cæleſtis gratiæ dona cognoverint adipiſci, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac præfatam Chordam, quæ priùs à Superioribus dicti Ordinis benedici debeat, ad reverentiam, & memoriam ejuſdem S. Franciſci gerentes, ſacraque Communione refecti, præfatam Archiconfraternitatem ingredientur, die prima illorum ingreſsûs, ac in mortis ipſorum articulo, Nomen JESU ore, vel corde invocantibus, ſi etiam verè pœnitentes, & confeſſi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem: Et inſuper eidem Archiconfraternitati, illiuſque Confratribus omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac relaxationes Archiconfraternitati Confalonis B. Mariæ Virginis, in Eccleſia S. Luciæ de Urbe inſtitutæ, nec non prædicto Ordini, ac illius Fratribus, & perſonis, quandocunque, & per quoſcunque Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros, ac etiam per Nos conceſſas, quoad illas tantùm, quæ hactenus revocatæ non fuerunt, motu, & auctoritate, ac tenore ſimilibus, ac etiam perpetuò concedimus, & elargimur, ac communicamus.

Poſtremò, dilecto filio Fratri Clementi Bontadoſio, nunc, & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Generali Magiſtro Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, quaſcunque Confraternitates, utriuſque ſexûs Chriſtifidelium Chordigerorum hujuſmodi, in quibuſcunque Eccleſiis Domorum, tam Minorum Conventualium, quàm Capucinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratrum prædictorum, in quibuſcunque Mundi partibus, & locis pro tempore erigendi, & inſtituendi, illaſque, poſtquam erectæ, & inſtitutæ fuerint, præfatæ Archiconfraternitati per præſentes erectæ, & inſtitutæ, cum omnibus, & ſingulis Indulgentiis, remiſſionibus peccatorum, & relaxationibus aggregandi, ac ipſas Indulgentias illis, & earum Confratribus communicandi, pariterque concedendi, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem damus, & concedimus, prout Nos eaſdem omnes Confraternitates ex nunc, prout ex tunc, poſtquam erectæ, & inſtitutæ fuerint, ipſi Archiconfraternitati, per præſentes erectæ, & inſtitutæ hujuſmodi, aggregamus, præfataſque Indulgentias illis, & earum Confratribus communicamus, & concedimus.

Decernentes eaſdem præſentes literas, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis, ſeu quopiam alio defectu notari, impugnari, vel retractari, aut revocari, ullatenus poſſe, neque debere; ſed ſemper, & in perpetuum validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri debere.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Regula noſtra de Indulgentiis ad inſtar non concedendis, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ M.DL.XXXV. XIII. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo

H. Dat.

Exempl. impreſ. auth. in Archivo gen. Ord. Arm. Authent. *in faſc.* Impreſ. *num.* 5.

N O T A.

CApient ex hujus Conſtitutionis tenore noſtri Fratres, quod erectio Confraternitatis Chordæ S.P.Franciſci, Ordini RR.PP.Conventualium ita privativè competat, ut privilegiorum communicatio, quâ aliàs cum memorato Ordine gaudemus, nobis ad effectum ſimilis erectionis, independenter faciendæ, nullatenus ſuffragetur, uti bene obſervat, & concludit noſter P. Hieronymus à ſorbo (a) Cum tamen ſuprapoſita Conſtitutio Reverendiſſimo P. Magiſtro Generali PP. Conventualium, hanc Confraternitatem in noſtris Eccleſiis inſtituendi, & inſtitutam Archiconfraternitati Aſſiſienſi uniendi expreſſam concedat facultatem, & etiam aliquando Eam apud nos

(a) *In compend. privileg. part. 2. pag. mihi 49. & 50.*

in Locis, in quibus PP. Conventuales Monaſteria non habent, erigi, particulares ſuadeant rationes, meminiſſe juvat, hoc non ſine diſpenſatione fieri poſſe, cum noſtræ conſtitutiones (*a*) Confraternitates Sæcularium in Eccleſiis noſtris erigi, aut talium curam, à Fratribus noſtris ſuſcipi prohibeant. Non obſtante, quod inſtitutio Tertii Ordinis S. P. Franciſci, ex inducto jam communi uſu, permittatur, tam, quod Hic, non Confraternitas, ſed juxta Pontificias Bullas verus ſit Ordo, tam, quod Religiò noſtra cautâ hujus ordinis inſtitutione, jus ſuum non ſemel jam impeditum & impetitum, manutenere cupiat.

(a) *Cap. XI.*

Ne FF. de Obſervantia ſine ſpeciali Romani Pontificis, ſeu Miniſtri Generalis, aut Provincialium licentia, ad Capucinos ſe transferant, &, ne hi tales, ſe transferentes recipiant, aut retineant, noviter cavet.

SIXTUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRo ea, quam præcipuam gerimus ergà Sanctum Franciſcum, devotione, illius familiam univerſam, paterno amore complectentes, ea ſtudemus de medio tollere, quæ diſſidii inter ipſos Religioſos, Ejus regulam ſectantes, occaſionem præbent, aut iis, qui in levitate animi minùs conſtantes perſiſtunt in obedientia, cui ſe ipſos dicaverunt, ab ea ſe ſubtrahendi viam aperiunt. Sanè jam pridem fel. record. Paulus Papa Tertius, & Julius etiam Tertius Romani Pontifices, Prædeceſſores noſtri juſtis de cauſis adducti, prohibuerunt, ne ullo modo Fratres de Obſervantia, ſine ſuorum Generalium, vel Provincialium licentia, in ſcriptis habita, ad Congregationem Capucinorum ſe transferre, ſive ab ipſis Capucinis recipi, aut in illorum Domibus retineri poſſent, vel deberent, certis etiam gravioribus pœnis adjectis, prout in illorum literis continetur. Quare Nos quoque eorundem Prædeceſſorum exempla ſecuti, toto negotio cum quibuſdam ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus communicato, ac diligenter conſideratò, literarum hujuſmodi tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, de eorundem Cardinalium conſilio, & jam de novo, auctoritate Apoſtolicâ, per præſentes, diſtrictiùs interdicimus, tam ipſis Capucinis, ne quemquam eorundem Fratrum de Obſervantia, poſt emiſſam profeſſionem regularem, juxta inſtituta ejuſdem Ordinis de Obſervantia, ad eos, quovis habitu, & quacumque de cauſa tranſeuntem, ſine noſtra, aut Romani Pontificis, pro tempore exiſtentis licentia ſpeciali, per literas Apoſtolicas, expreſſam & in ſpecie, non autem per clauſulas generales idem importantes, præſentis prohibitionis mentionem, & derogationem continentes, aut eorumdem Generalis, vel Provincialium Miniſtrorum Fratrum de Obſervantia licentiâ in ſcriptis, ùt præfertur, obtentâ, admittere, recipere, & retinere; quàm Fratribus de Obſervantia prædictis, ne quiſquam eorum, ad Congregationem Capucinorum ſine hujuſmodi licentia, ſe transferſe in futurum præſumat: in ſingulos verò Capucinorum Superiores, Provinciales Miniſtros, Domorum Guardianos, Vicarios, ſeu Præſidentes, necnon ipſos Fratres de Obſervantia, qui in præmiſſis quoquo modo contravenerint, excomunicationis ſententiam ferimus, eoſque omnibus & quibuſcunque dignitatibus, adminiſtrationibus, & Officiis, per eos pro tempore obtentis, auctoritate præſentium privamus, & ad futura, & quoſcumque actus legitimos exercendos inhabiles eſſe volumus eo ipſo. Decernentes receptiones, admiſſiones, & retentiones quaſcunque de illis, ex quavis cauſa, ſine dicta licentia faciendas, nullâ omnino firmitate exiſtere, neminemque penitus ulli voto, aut promiſſioni, etiam juramento, aliave ſolemnitate roboratis, obligare poſſe, præſenteſque literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, ſeu impugnari, aut ſub prætextu, quod contra alias Apoſtolicas, ac Canonicas ſanctiones jam pridem uſu receptas (quod ſcilicet unicuique regulari ad arctiorem regulam, & religionem tranſeunti, petitâ duntaxat, ac etiam non obtentâ Superiorum licentiâ, tranſitus, liberè & licitè concedatur) revocari, aut invalidari, ac ad terminos juris reduci non poſſe, ſed ſemper validas, & efficaces exiſtere. Sicque in præmiſſis univerſis, & ſingulis, per quoſcumque Judices, & Commiſſarios ordinarios, & delegatos, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum ac inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit a tentari. Mandantes univerſis & ſingulis locorum Ordinariis, ut, quando, uti & quoties opus fuerit, ac pro parte alicujus ex Fratribus de Obſervantia hujuſmodi fuerint requiſiti, præſentes literas ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant quemquam ex prædictis, ſi qui forſan in poſterum ſe de facto transferre præſumpſerint, contra earumdem præſentium continentiam, & tenorem

rem in aliqua domo ſeu loco ipſorum Capucinorum, admitti, recipi, & retineri. Contradictores quoslibet, & rebelles, eiſque auxilium, conſilium, vel favorem directè, vel indirectè, quomodolibet præſtantes, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, & cenſuras ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis: non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, ac Ordinis, & Congregationis Capucinorum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon facultatibus, diſpenſationibus, & indultis, ipſi Congregationi Capucinorum, eorumque Superioribus, & Perſonis, aut domibus quibuſcumque recipiendi, vel retinendi Fratres de Obſervantia, etiam ſuorum Superiorum licentiâ petitâ duntaxat; & non obtentâ, aut non petitâ tranſeuntes, tam expreſsè, & principaliter, quàm per communicationem ad inſtar aliorum Ordinum, & Congregationum, quarum gratiarum, & indultorum ipſi forſan Capucini participes effecti ſunt, etiamſi pariformiter, & æquè principaliter, ipſa Communicatio, & extenſio facta fuerit per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores, aut Succeſſores noſtros, etiam motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac de eorumdem Cardinalium conſilio, pro tempore conceſſis, approbatis, innovatis: quæ omnia, ac deſuper confectas literas, proceſſuſque habitos per eaſdem, quatenus præmiſſis in aliquo adverſantur, abrogamus, caſſamus, & annullamus. Aut, ſi ipſis Capucinis, eorumque Prælatis, & Superioribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod literis revocatoriis, ſub quacumque formula editis, nullatenus, vel niſi modis, & formis in hujuſmodi indultis contentis, parere, & ob non paritiones aliquas ſententias, cenſuras, & pœnas incurrere, aut aliàs interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad Verbum de indulto hujuſmodi mentionem, etiam quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus conceſſis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ, præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, quæ omnia volumus nemini contra prædicta in aliquo ſuffragari: Cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici, ejuſvè Curiæ Sigillo obſignatis, eadem fides ubique in judicio, & extra illud habeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimo octavo Januarii Milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Ex Collect. privil. Apoſt. P. Rodriquez fol. mihi 528.

GREGORIUS XIV.

Italus, ex Civitate Mediolanenſi, Nicolaus Sfrondratus antea dictus, S. R. E. Cardinalis Tit. S. Cæciliæ, Romæ, V. *Dec.* MDCX. *Summus Pontifex creatus. Obiit die* XV. *Oct.* MDXCI. *poſtquam ſediſſet Menſes* X. *dies* XI.

Vivæ vocis oraculo

Vicariis Generalibus, & Provincialibus indulget, ut quocunque tempore, & extra Capitula, Sæculares ad Ordinem recipere poſſint.

JUlius Antonius Sanctorius, Miſeratione Divina, Tituli S. Bartholomæi in Inſula, S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Severinæ nuncupatus, Congregationis Fratrum Capucinorum Ordinis Minorum Protector, Corrector, & Gubernator. Univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis, notum facimus, & atteſtamur, quod hodierna infraſcripta die, in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter D. Gregorius Divina Providentia Papa XIV, ad noſtras preces, & inſtantiam, vivæ vocis Oraculo Nobis facto conceſſit, & indulſit, ut dilecti nobis in Chriſto Reverendi Patres tam Vicarius Generalis, & Vicarii Provinciales, quàm ipſis abſentibus vel impeditis eorum Commiſſarii Generales, & Provinciales, pro tempore exiſtentes dictæ Congregationis, omnes & quoſcunque Chriſtifideles, cupientes ingredi ſuam Religionem, & Congregationem, & admitti in Novitios, & Fratres ejuſdem Congregationis, & Ordinis, quocunque anni tempore, extra Capitula Generalia, vel Provincialia, de conſilio tamen trium vel quatuor Fratrum ſeniorum Loci ſeu Conventûs, in quo prædicti recipiendi erunt, ſervatâ tamen for-

ma Regulæ, & Conſtitutionum dictæ Congregationis recipere, & admittere poſſint, & valeant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & declarationibus fel. record. Sixti Papæ V. contra illegitimos, & alios, ad aliquam Religionem tranſire volentes, &c. unâ quidem ſub dat. Romæ, apud S. Petrum ſexto Kal. Decembris, anno Incarnationis Dominicæ, M.DXXXVII. Pontificatûs ſui tertio, alterâ verò ſub datum Romæ, in Monte Quirinali, XII. Kal. Novembris, anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo, Pontificatus ſui quarto editis, quibus quoad hoc tantùm voluit derogari, ſalva in reliquis (præterquam quoad illegitimos) ipſarum diſpoſitione, & aliàs juxta Conſtitutionem Sanctitatis ſuæ moderatoriam ſupradictarum conſtitutionem Sixti Papæ Quinti, ſub datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo, Idus Martii, Pontificatus ſui anno primo. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, præſentes per infraſcriptum Secretarium noſtrum fieri fecimus, & noſtra manu ſubſcriptas, ſigilli noſtri, quo in talibus utimur, juſſimus appenſione muniri. Datum Romæ, in Palatio noſtro Montis Citorii, die nona menſis Maji, anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Milleſimo quingenteſimo nonageſimoprimo, Pontificatus verò ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Gregorii Papæ XIV. Anno Primo.

Jul. Ant. Card. S. Severinæ Protector.

Hieronymus Fuſcus Secretarius.

Originale in pergamena in Arch. Generali Ord. Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 47.

N O T A.

Variant Chroniſtæ de individuali tempore, quo Julius Antonius Ordinis Protector fuit conſtitutus; alii enim Eum, vivente adhuc Cardinale Julio Ruverio, alii autem primùm poſt hujus mortem in Talem deputatum fuiſſe, autumant. Manetque dubium, cum Documentum ſeu Breve de Illius electione in Archiviis Romanis reperiri, non obtigerit. Certum autem eſt, quod Religionem noſtram tenero ſemper, ac operario dignatus ſit affectu. Crevit hic plurimùm, cum Se, tunc S. Severinæ Archiepiſcopum, à ſupra memorato noſtro P. Hieronymo à Piſtorio, pro purpura Cardinalitia, quam ſibi oblatam ipſe recuſavit, Sancto Papæ Pio V. propoſitum fuiſſe, ſciret. Amorem, quem proin erga hunc Patrem nutriverat, ut eo mortuo, vivum in ſe monſtraret, oſſa ejus ex Inſula Cretæ ad ſe transportari, &, poſtquam corpus integrum atque incorruptum piè conſpexiſſet, Caſertam, ſuam Patriam deferri, ibique in tumulo, noviter conſtructo recondi curavit.

Ex M. S. Arch. generalis, Bover. Tom. 1. Annal. fol. mihi 708. & Biblioth. Script. Ord. noſtri fol. mihi 231.

Fratrum quieti ut conſulat, eos à Sæcularium confeſſionibus excipiendis eximit.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Seraphicam Religionem Sancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum liberum Domino famulatum exhibere, & à ſecularium, quantùm fieri poteſt, converſatione ſejungi, ut ab humili humanæ actionis quaſi ſolo, ad arcem contemplationis, remotis impedimentis aſcendat, ubi in ſpiritu, & veritate faciliùs Dominum adoret. Oratio enim per ſolitudinem, quietiùs concipitur, & per meditationem altiùs extollitur, & ita, quod fides credit, ſpes, & charitas tutiùs orat: Spiritualis verò anima duabus quaſi alis in Cœlum elata, ita etiam Deo arctiùs conjungitur, & cœleſtis beatitudinis ſpecimen in hac carne quodammodo deguſtat. Nos igitur, ne optimam partem, quam dilecti filii Fratres Congregationis Capucinorum Ordinis Minorum nuncupatorum elegerunt, importuna ſecularium rerum adminiſtratio impediat, aut mundanarum occupationum cura diſtrahat, providere pro noſtra Paſtorali ſolicitudine ſatagentes, ad dicti Ordinis, etiam Conſtitutionum confirmationem, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuimus, & decernimus, nullum poſthac Ordinis præfati Religioſum poſſe, vel debere in Laicorum utriuſque ſexûs, & Clericorum ſæcularium quacumque dignitate, & præeminentia, atque auctoritate, & facultate ſuffulti ſint, confeſſionibus occupari, vel confeſſiones eorum audire, etiamſi ad id faciendum à Superioribus Ordinis, aut Protectore, aut etiam à Nobis, & ab ipſa Apoſtolica Sede quomodolibet, & ſub quacumque verborum forma licentias hactenus obtinuerint, quas, auctoritate præſentium revocamus, caſſamus, & annullamus. Decernentes nihilominus irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate

ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, fides adhibeatur. Dat. Romæ in Monte Quirinali ſub Annulo Piſcatoris, Die prima Junii. M.D.LXXXX. Pont. Noſtri Anno Primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve in perg. formatum in Arch. Generali Ord. Armar. Authent. *in faſc. collig. num.* 48.

N O T A.

Fuit hæc exemptio ſeu prohibitio poſtea à PP. Clemente VIII. limitata; & tandem, quid deinceps & univerſaliter circa confeſſiones Sæcularium deberet obſervari, ſub moderno glorioſè regnante Summo Pontifice regulatum. Conſtitutionem tam moderantem quàm regulantem, ſuo videbis loco.

Inhærendo Prædeceſſorum ſuorum Literis, omnibus in genere, & in ſpecie Fratribus Reformatis, Ordinis FF. Conventualium nuncupatis, ac Eremitis vagis, & acephalis prohibet, ne Capucinorum Habitum, vel ei conſimilem geſtent.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Beati Franciſci Confeſſoris ſodalitas ab uno Fundatore inſtituta, & ad eundem Dei finem ordinata, utriuſque Seraphicæ Religionis nomine nuncupata, in plures ſodalitates, & membra, Apoſtolica permiſſione, dividitur, & quaſi circumamicta varietate, prout pietas diverſimodè ſuadet, corde uno, & anima una Deum colit, & inſtar agri Dominici varios, atque uberes fructus quotidie profert, & diſtinctiores, & abundantiores, ut confidimus, in dies proferre non ceſſat. Sanè cum ad aures noſtras pervenerit, aliàs fel. rec. Paulum Papam III. Prædeceſſorem noſtrum inter alia, per ſuas in forma Brevis Literas, quibuſvis perſonis, cujuſcunque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne Habitum, per Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, geſtari ſolitum, niſi in eadem Congregatione eſſent, & ſub moderni, & pro tempore exiſtentis Generalis ejuſdem Ordinis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent, diſtrictius inhibuiſſe: & piæ mem. Pium Papam IV. etiam Prædeceſſorem noſtrum, Literas ejuſdem Pauli Prædeceſſoris confirmando, inſuper non ſolum, ne habitum prædictum, juxta Literarum ipſius Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi tenorem, verùm etiam, nec ita conſimilem, quòd propter eum poſſent credi Fratres Congregationis Capucinorum, geſtare deberent, ſub eadem excommunicationis pœna eo ipſo incurrenda, prohibuiſſet. Et ſimiliter fel. rec. Gregorium PP. XIII. etiam Prædeceſſorem noſtrum, Literas Prædeceſſorum hujuſmodi, & in eis contenta quæcunque pro expreſſis habendo, & innovando, Motu proprio, & ex certa ejus ſcientia, eoſdem Fratres, qui Tertiarii ex Ordine Conventualium dicuntur, non ſolùm Capucium rotundum, ſed etiam Habitum coloris Beretini, ſeu ſubcinericii ad inſtar Fratrum eorundem Conventualium, deferre deberent, ita, ut à Fratribus Capucinis facilè diſcernerentur, ſub eiſdem Pauli III., & Pii IV. pœnis, poſt ſex menſes ipſo facto incurrendis ſtatuiſſe, & ordinâſſe. Verùm, quia iidem Fratres, qui Reformati Conventualium dicuntur, ita conſimiles eiſdem Fratribus Capucinis incedere præſumunt, ut paſſim à populo pro Capucinis habeantur, ac illis tanquam Capucinis, eleemoſynæ, & oblationes conferantur, non ſine gravi plebis offenſione, & ſcandalo, dum reputantur Capucini eſſe: Idcirco rationabile exiſtimantes, ut, qui ex inſtituto regulæ, atque in vitæ Regularis Obſervantia uniformes non ſunt, etiam Habitûs diſtinctione dignoſcantur, utque Prædeceſſorum hujuſmodi Literarum contemptus, & contumacia, ſeverioris diſciplinæ cenſuram inveniat, ad evitandas etiam confuſiones, & contentiones, quæ exinde oriri poſſent; Hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, ſingulas Prædeceſſorum hujuſmodi Literas, & in eis contenta quæcunque pro expreſſis habentes, & harum ſerie approbantes, & confirmantes, atque etiam innovantes, Motu etiam ſimili, & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus; quòd ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus, hujuſmodi Fratres Reformati, non ſolùm in Urbe, ſed etiam ubique Locorum per univerſum Orbem exiſtentes, ut verè, & realiter à Capucinis diſtinguantur, & dignoſcantur, præter Capucium penitus rotundum, & colorem berettinum,

num, vel ſubcinericium , ùt præmiſſum eſt, etiam Mantellum longius ad Conventualium longitudinem deferre , & mozzettam latam, & longam, non ſub mantello, ſed ſuper geſtare teneantur. Inſuper ſtrictiori Capucinorum prædictorum vitæ conſulentes, ne ab eiſdem Reformatis ipſi Capucini admitti, vel recipi poſſint, ſub eadem excommunicationis ſententia, ipſo facto, tam ab ipſis Capucinis receptis, quàm Reformatis recipientibus incurrenda, interdicimus, & prohibemus; Et nihilominus actum ipſum receptionis, & tranſitûs, tanquam indebitè factum, ex nunc, prout ex tunc irritum, & penitus nullum eſſe decernimus, & declaramus. Et quoniam ſimiliter accepimus nonnullos alios, qui ſub Heremitarum vocabulo nominantur, vagos, aut profugos, ac Acephalos ſub nullius Obedientia degentes, nec Epiſcoporum juriſdictioni ſe ſubjicientes, ſine aliqua licentia, vel loci aſſignatione, non ſine gravi Fidelium ſcandalo huc illucque vagari, eorundem Fratrum Capucinorum Habitum, vel adeo conſimilem geſtantes, ut facilè pro Capucinis reputentur, Motu pari, eoſdem Heremitas ſine Literis dimiſſoriis alicujus Superioris Ordinis approbati, de cujus gremio ſint, vel Epiſcopi loci illius, ubi degunt, vagari, aut ex propriis locis diſcedere non poſſe, & imprimis ab Habitu Capucinorum, eiſdem ſaltem, vel aliis notioribus differentiis diſtingui, & dignoſci debere, omnino præcipimus, & jubemus. Mandantes propterea univerſis, & ſingulis Fratribus Reformatis prædictis, eorumque Superioribus, ac ipſis Heremitis acephalis, & ſine Obedientia itinerantibus, præter pœnas, per Prædeceſſores prædictos inflictis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis Noſtræ, aliiſque gravioribus pœnis, arbitrio noſtro imponendis, ut præmiſſa omnia, & ſingula, omni excuſatione, & tergiverſatione poſtpoſita, infra ſex menſium ſpatium, à data præſentium computandum, ſtatim adimpleant, & exequantur. Quòd ſi facere diſtulerint, vel neglexerint, eos per Almæ Urbis Vicarium noſtrum hîc in Urbe, ejuſque diſtrictu, ac per locorum Ordinarios, ubi Fratres prædicti reperiantur, per carcerationem, aliaque opportuna juris, & facti remedia, prout contumacia cujuſque exegerit, cogi, & compelli poſſe, ac debere volumus, & jubemus. Et nihilominus irritum, & inane decernimus, quicquid ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Regula noſtra, de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & utrarumque Regularum, ſive Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, Regulis, & Inſtitutis, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, Fratribus, & Heremitis prædictis, eorumque Superioribus, & Perſonis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides ubique in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ in Monte Quirinali ſub Annulo Piſcatoris, die VI. Julii milleſimo quinquageſimo nonageſimo primo Pontificatus Noſtri Anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve in perg. formatum in Archivo Gen. Ord. Armar. Auth. *in faſc. collig. n.* 51.

Indulgentias ſpeciales Coronis, Roſariis, Granis, Numiſmatibus, quæ Medallias appellant, & Crucibus, ad Fratrum noſtrorum inſtantias benedictis impertitur.

GREGORIUS XIV.

I. QUI unam ex ſupradictis coronis, vel Roſariis, aut coronam, in qua unum ex granis, Numiſmatibus, vel Crucibus ſupradictis extat, ad minus, tribus vicibus per Septimanam recitaverit, toties, ac verè contritus ac confeſſus Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerit, Indulgentias plenarias conſequetur.

II. Qui in manibus unam de præfatis Coronis, tenens, & (ſi poſſit) confeſſus & communicatus fuerit, vel ſaltem evidens pænitentiæ ſignum monſtraverit, & conſtitutus in articulo mortis, devotè Nomen Jeſu ore vel corde invocaverit, acquiret pariter Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum ſuorum Remiſſionem.

III. Qui Coronam, aut tertiam Roſarii partem, uti ſupra, diebus Stationum Romæ, corde devoto & contrito dixerit, lucrabitur eaſdem Indulgentias & peccatorum remiſſionem, quas, & quam lucrantur viſitantes perſonaliter Eccleſias intra & extra Romam, & inſuper Indulgentias & peccatorum remiſſionem, quæ in iis diebus Animabus Defunctorum per modum ſuffragii applicantur.

IV.

IV. Qui Coronam, aut tertiam Roſarii partem, uti ſupra, contritus, & devotus recitaverit, toties, quoties illam recitaverit, obtinebit Indulgentias centum annorum, & tot quarantenas, ſeu quadragenas pœnitentiarum, ſibi impoſitarum, vel pro quacunque cauſa debitarum.

V. Qui unam ex memoratis Coronis ſecum habens, 3. *Pater noſter*, & 3. *Ave Maria* recitaverit, ſupplebit defectus, in celebratione, vel auditione S. Miſſæ, vel in recitatione Divinorum Officiorum commiſſos, dummodo tales defectus non fuerint ab eo commiſſi ſtudioſè.

VI. Et caſu, quod unum ex dictis Granis, Crucibus, Numiſmatibus perderetur, & Frater aliud benedictum habere nequiret, poterit pro una vice ſola, aliud non benedictum in locum perditi ſubſtituere, quod eaſdem habeat Indulgentias.

VII. Hæ Indulgentiæ, & gratiæ FF. Capucinis ſolùm conceſſæ ſunt, in quacunque mundi parte morantur.

M. Veſtrius Barbianus.

Authographum hujus Summarii, in Secret. Brevium Apoſtolica lib. 3. Indulgen., de quo Exemplar Romæ à Paulo Blado Typographo Camerali impreſſum, in Arch. generali Tom. S. num. 6.

N O T A.

QUantumvis hæ Indulgentiæ fuerint olim ſingularis Ordinis Noſtri prerogativa, nihilominus ſtantibus jam Decreto Clementis VIII. lato IX. Januarii MDXCVII. & Conſtitutione Pauli V. Incip. *Romanus Pontifex*, emanatâ XXIII. Maii MDCVI. ac Decreto Sac. Congregationis Indulgentiarum edito VII. Martii MDCLXXVIII. eas ſuſpenſas, vel potiùs in Indulgentias à Paulo V. per Conſtit. prædictam Regularibus conceſſas, eſſe commutatas, reflectendum eſt,

---

INNOCENTIUS PAPA IX.

Italus, ex Civitate Bononiæ, Antonius Cardinalis de Fachinettis antea dictus, Romæ XXX. *Octobris* M. D. XCI. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XXX. *Decembris ejuſdem anni, poſtquam ſediſſet menſes duos.*

Vivæ Vocis Oraculo

Omnia Ordinis privilegia, S. Regulæ non adverſantia confirmat, & Novitios ante Habitûs ſuſceptionem â quibuſcumque caſibus abſolvendi facultatem concedit &c.

EGO Fr. Bonaventura à Monteregaſi Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum, & ejuſdem Procurator Ordinis (licèt immeritus) aſſero: Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, & Pontificem Maximum Innocentium Nonum, Vivæ Vocis oraculo, has mihi humiliter prærogantigratias præſtitiſſe; noſtrorum ſcilicet confirmationem privilegiorum (quibus tamen Regulæ puritas noſtræ non relaxatur &c.) tum Profeſſos, tum Novitios abſolvendi poteſtatem â ſingulis, & quibuſque Caſibus, in Cœnæ Domini Bulla conſcriptis, de quibus Novitii poſt Habitum ſuſceptum fuerint memores; eaquepropter eiſdem, præfatam Bullam, ante Habitûs ſuſceptionem eſſe legendam. Sique eorum Caſuum aliquorum reminiſcerentur, ad eos pro abſolutionis beneficio remittantur, qui ſolvendi authoritate fungentur, & eis ſic demum Habitus concedatur. Indulſitque noſtræ Congregationis Majoribus, Generali, ac Provincialibus (ut in conſcientiæ foro tantùm, unaque pro vice) pleniſſimam abſolvendi poteſtatem, diſpenſandique facultatem ſuper omnes privationes atque inhabilitates, in quas fratres (ad conceſſionis uſque diem) propter Maximorum Pontificum Decretorum, ſeu Bullarum tranſgreſſiones dilapſi fuiſſent. Has ergo nobis gratias memoratus ſummus Pontifex, & Pater Sanctiſſimus addixit, Pontificatus ſui Anno primo.

In ſacro Palatio apud Sanctum Petrum Die XI. Decembris M. D. XCI.

Præſentibus ad hæc R. P., ac Fratre Petro Trigoſo Hiſpano Concionatore, Fratre Andrea Mutinenſi Sacerdote, & Fratre Vbaldo Tudertino Laico.

Originale in Archivo Generali Ordinis Tom. E. num. 94.

N O T A.

DE hujus oraculi valore judica ex oraculo PP. Gregorii XV. infrà inter ejus conſtitutiones ponendo. Vide & in Indice generali Verba *Privilegia, & Abſolutio.*

CLE-

CLEMENS VIII.

Italus, ex Civit. Florentiæ, Hypolitus Cardinalis de Aldobrandinis antea dictus, Romæ XXX. *Januar.* MDXCV. *Summus Pontifex creatus. Obiit* III. *Mart.* MDCV. *poſtquam ſediſſet annos* XIII., *menſem unum, dies* III.

Fratres duodecim, cum Clericis Regularibus &c. ad Hungariæ bellum, contra Turcas, ablegat, iiſque amplas impertitur facultates.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei Memoriam

CUM dilecti Filii Vicarius Generalis Fratrum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ac Præpoſitus etiam Generalis Congregationis Clericorum Regularium, Miniſtrantium Infirmis, de mandato noſtro, aliquos ex Fratribus ejuſdem Ordinis Capucinorum, & ex Religioſis dictarum Societatis, & Congregationis reſpectivè, elegerint mittendos cum Exercitu noſtro Eccleſiaſtico, quem ſub gubernio dilecti Filii, Nobilis Viri Franciſci Aldobrandini, Noſtri ſecundùm Carnem Nepotis, in auxilium chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Rudolphi Romanorum Regis Illuſtris, in Imperatorem electi, & dilecti Filii, Nobilis Viri Ferdinandi, Archiducis Auſtriæ adversùs Turcarum impetus mittimus; ut ibi Sacramenta miniſtrare, ægrotantium curam gerere, omnes monitis, & exemplis ad Dei timorem accendere, Milites ad viriliter pro Chriſti Fide dimicandum animare ſtudeant: & Fratribus, videlicet Capucinis, qui duodecim erunt, Fr. Caſpar de Bergamo, ejuſdem Ordinis in Guardianum, necnon Religioſis Miniſtris infirmorum, qui octo erunt, Petrus Barbaruſſa, dilecti Filii, in Superiores deputati fuerint, cum poteſtate alios ſubſtituendi. Nos, ut ipſi Caſpar Guardianus, & Petrus Superior, nec non Fratres, & Religioſi prædicti, ea, ad quę mittuntur, meliùs exequi valeant, illis, & in eventum mortis, aut alterius impedimenti, illorum Succeſſoribus, ac Sociis aſſignatis, & aſſignandis prædictis, quod omnium, & ſingulorum de Exercitu prædicto confeſſiones audire. *Reliqua, uti ſupra in Conſtitut. Sancti Pii V. pag.* 33. â linea 25......... Præterea eorumdem Superiorum, & Religioſorum Conſcientiæ ſecuritati conſulere volentes, Capucinis videlicet, ut Militum Confeſſiones audire, eiſque pœnitentiam ſalutarem injungere, ac abſolutionem impendere valeant: & tam ipſis, quàm aliis Religioſis prædictis, & cuilibet eorum, ut, donec cum dicto Exercitu, præmiſſis pietatis officiis fungendo, fuerint, ex defectu lenitatis, dummodo ipſi in alicujus mortem non operentur, nullam irregularitatis notam incurrant, concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die XXV. Maii M. DC. I. Pontificatus Noſtri Anno decimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve formatum in Archivo generali Ordinis Armario Authentica *in faſciculo colligato num.* 51.

Eorum Facultates, aliàs pro Milite Pontificio duntaxat conceſſas, ad omnes aliarum legionum milites, & Chriſtifideles quoſcunque extendit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM Nuper dilectis Filiis Fratribus Capucinis, ac Religionis Miniſtris Infirmorum, qui cum Exercitu noſtro Eccleſiaſtico contra Turcas profecti ſunt, licentiam audiendi confeſſiones, & Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrandi militibus, & perſonis ejuſdem Exercitûs noſtri Eccleſiaſtici, cum facultatibus Spiritualibus tunc expreſſis conceſſerimus; prout in noſtris in forma Brevis, literis deſuper expeditis, latiùs continetur. Cumque, ſicut accepimus, ultra milites, & perſonas dicti Exercitûs Eccleſiaſtici, alii etiam ex militibus, & aliis perſonis aliarum legionum, contra Turcas militantium, & perſonæ cujuſcunque generis, ad prædictos Fratres Capucinos, & Religioſos Miniſtrorum Infirmorum accedere ſoleant, ut eis ſua peccata confiteantur, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipiant. Nos de Chriſtifidelium omnium ſalute paterna charitate ſolliciti, ac prædictarum Literarum tenorem, præſentibus pro expreſſo habentes, Fratribus Capucinis, & Miniſtris Infirmorum in Exercitu Noſtro Eccleſiaſtico exiſtentibus, ut aliis etiam Chriſtifidelibus, præter milites, & aliis de dicto Exercitu Noſtro Eccleſiaſtico, ad eos accedentibus quibuſcumque, Pœnitentiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta, cum eiſdem facultatibus, illis, pro Exercitu noſtro Eccleſiaſtico conceſſis, miniſtrare liberè, & licitè valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam, & facultatem impertimur.

Non

Non obſtantibus omnibus illis, quæ in eiſdem Litteris volumus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die XIV. Auguſti M. DC. I. Pontificatus noſtri Anno decimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve formatum in Archivo general. Ord. Armar. Auth. *in faſc. collig. num.* 51.

Franciſcum, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem de Jojoſa, Gallum, Ordinis Protectorem conſtituit.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Franciſco Cardinali de Jojoſa nuncupato.*

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum per obitum bonæ mem. Julii Antonii S. R. E. Cardinalis S. Severinæ nuncupati, Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, dum vixit, apud Romanum Pontificem, & Apoſtolicam Sedem Protectoris, Ordo præfatus Protectore deſtitutus remanſerit, Nos eidem Ordini de idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumſpectionis ſingulari prudentia, doctrina, integritate, & Religionis Zelo plurimum in Domino confiſi, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Ordinem præfatum plurimùm commodi, & ornamenti ſuſcepturum eſſe, confidimus, præfati Ordinis univerſi, illiuſque Domorum, & Locorum Regularium, ac Religioſorum quorumcunque, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectorem, cum omnibus facultatibus, juriſdictionibus, honoribus, & oneribus ſolitis, & quibus alii, ante Te, dicti Ordinis Protectores uſi ſunt, ac uti quomodolibet potuerunt, ſeu etiam debuerunt, ad Tui Vitam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium facimus, & deputamus &c. Mandantes Superioribus, & Fratribus quibuſcunque ejuſdem Ordinis, in virtute S. Obedientiæ, ut Te in eorum Protectorem juxta præſentium tenorem recipientes, eâ, quâ debent, reverentiâ proſequantur, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Cœterùm Te in Domino hortamur, ut hujuſmodi Protectoris munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum, bonorum operum Retributorem, æternum proœmium, & â Nobis condignam laudem valeas promereri.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X. Januarii M. DC. III.

Exemplar ex Autographo in Secret. Brevium Apoſt. aſſervato, deſumptum in Archivo generali Ordinis Armario Authentica *in faſciculo colligato num.* 54.

N O T A.

Poſtquam à morte Cardinalis Julii Antonii officium Protectoratûs, quaſi per anni intercapedinem vacâſſet, illud felici ſorte à Sanctiſſimo collatum fuit Domino Franciſco Cardinali de Jojoſa, Fratri Germano celebris noſtri P. Angeli de Jojoſa, quem è Duce Buſagii Capucinum, & è Capucino Marechallum, & Occitaniæ Pro-Regem attonita Gallia vidit. Utrique huic Fratri, Religio noſtra devincta manet, dum enim Fr. Angeli, Definitoris Generalis virtute ſe decoratam fuiſſe noſcit, benevolentiâ Card. Franciſci, ſe plurimûm adjutam fatetur: non ſolùm enim Narbonæ, & Toloſæ, cujus utriuſque Urbis Archi-Præſul erat, Domos nobis ædificari curavit, ſed etiam munus Protectoris, proficuâ Ordini amuſſi ſemper adimplevit.

Ex Ciaconio Tom. 4. *fol. mibi* 51., *& M. S. Archivi generalis.*

Moderatur Conſtitutionem Papæ Gregorij XIV., qua Fratribus, â Sæcularium confeſſionibus excipiendis abſtinere indulſit, & P. Miniſtro, ac Definitorio Generalibus concedit, ut de Capitulo Generali ad Capitulum Generale, Fratres ad hoc Sacramentale Miniſterium deſtinent.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias fel. rec. Gregorius Papa XIV. Prædeceſſor noſter ex cauſis, tunc expreſſis motu ejus proprio, ſua perpetuò valitura Conſtitutione, ſtatuit, & ordinavit, quod nullus Congregationis Capucinorum Ordinis Fratrum Minorum nuncupatorum Sancti Franciſci, in Laicorum utriuſque ſexûs, & Clericorum Sçcularium, quâcumque dignitate, præeminentia, auctoritate, & facultate ſuffulti eſſent, confeſſionibus occupari, vel confeſſiones eorum audire poſſet, etiamſi ad id faciendum, â ſuperioribus, aut Protectore, aut etiam ab Apoſtolica Sede, quomodolibet, & ſub quacumque verborum forma, licentias eatenus obtinuiſſet, prout in ejuſdem Gregorii Prædeceſſoris Literis, in forma Brevis, ſub data die prima MDXCI. expeditis, pleniùs continetur. Cum

autem diverſi Chriſtifideles, pro eorum erga dictum Ordinem, ſeu Congregationem Capucinorum devotione, cupiant Religioſis ejuſdem Congregationis confiteri poſſe. Nos illorum pio deſiderio benignè annuentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, prædictas Gregorii Prædeceſſoris Literas, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, ita moderamur, ut Miniſter Generalis ejuſdem Congregationis Capucinorum, & Diffinitores in Capitulo Generali congregati, & in eodem Capitulo tantùm, quibuſvis ejuſdem Congregationis Religioſis ad confeſſiones audiendas approbatis, prout ipſis Miniſtro Generali, & Diffinitoribus videbitur, licentiam audiendi ſæcularium utriuſque ſexûs Confeſſiones, uſque ad novi Capituli Generalis celebrationem, & non ultra, & ſic de Capitulo Generali, in Capitulum Generale, concedere reſpectivè poſſint, & valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, facultatem concedimus, & impartimur, & quaſcumque licentias audiendi ſæcularium hujuſmodi confeſſiones, quibuſvis ejuſdem Congregationis Fratribus, ab illius Protectore, aut quocumque alio, etiam de expreſſo Noſtro mandato in perpetuum conceſſas, harum ſerie revocamus, & annullamus. Decernentes irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quâvis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigeri attentari. Non obſtantibus prædicti Gregorii XIV. Prædeceſſoris, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium Tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ, in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ præſentibus adhiberetur, fides adhibeatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die III. Februarii M. DC. III. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve in pergam. formatum in Arch. Gen. Ord. Armar. Auth. *in faſc. collig. n. 55.*

N O T A.

Eſidente jam Reverendiſſimo Definitorio Generali Romæ, facultas hæc quocunque tempore, juxta conſtitutionem modern. Summi Pontificis, ſuo loco ponendam, Fratribus delegatur.

P A U L U S V.

Romanus, *Camillus Cardinalis de Burgheſiis antea dictus*, *Romæ* XVI. *Maii* MDCV. *Summus Pontifex creatus*. *Obiit* XXVIII. *Jan.* MDCXXI. *poſtquam ſediſſet Annos* XV. *Menſes* VIII. *Dies* XIII.

Fr. Anſelmum Monopolitanum, (*) Ordinis Noſtri Alumnum, & S. R. E. Cardinalem, Capituli Generalis Præſidentem deputat.

Dilecto Filio Noſtro Anſelmo Tit. S. Petri in Monte Aureo Presbytero Cardinali Monopolitano nuncupato.

P A U L U S P A P A V.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecte Fili Noſter Salutem &c. Cum, ſicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Fratrum Capucinorum in Eccleſia Domûs Fratrum Capucinorum in Alma Urbe noſtra, propediem celebrandum ſit; Nos cupientes, ut Capitulum hujuſmodi rectè, feliciterque ad Dei laudem, ac Ordinis præfati utilitatem celebretur, Te, de cujus pietate, prudentia, integritate, ac religionis zelo plurimùm in Domino confidimus, in prædicto Capitulo Generali, Noſtro & Apoſtolicæ Sedis nomine Præſidentem, cum auctoritate & facultate omnia & ſingula, quæ ad dicti Capituli proſperum initium, felicem progreſſum & optimum finem, necnon dicti Ordinis ſalubrem directionem, regimen, & reformationem pertinere cognoveris, mandandi, ſtatuendi, & exequendi, & cum aliis facultatibus, privilegiis, honoribus, & oneribus, ſimilibus Præſidentibus competentibus, eiſdemque dari, & concedi ſolitis & conſuetis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus. Mandantes proptetea in virtute S. Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, aliiſque arbitrii noſtri pœnis, omnibus & ſingulis dicti Ordinis Diffinitoribus, ac Generali, Provincialibus, aliiſque Procuratoribus, & Superioribus, cœteriſque Fratribus, & ſpecialiter Vocalibus, in prædicto Capitulo Generali congregatis, ut Te tanquam Noſtro, & Apoſtolicæ Sedis nomine Præſidentem agnoſcentes, & honorificè recipientes, ac debita honorificentia proſequentes, tua ſalubria monita & mandata humiliter, ac reverenter ſuſcipiant, ac diligenter cuſtodire & obſervare procurent. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Ordinis, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus & Fratribus in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus

omnibus

omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus; cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die XXVI. Maii MDCV. Anno Primo.

Autographum in Secret. Brevium Apoſt. Regeſto Menſis Maii Anni 1705. *fol.* 68. *cujus exemplar in Arch. Generali Ord. Tom.* 5. *num.* 1.

N O T A.

Sicut jam aliqua hujuſcè generis Brevia, ex induſtria fuêre omiſſa, ita deinceps aliud, præter ultimum, non ponetur. Sufficiat ſcire, tam, quod hucuſque pro omni Capitulo Generali Præſidens, qui, caſu Conclavis non obſtante, plerumque Cardinalis Protector erat, per Apoſtolicum Breve fuerit deputatus, tam, quod Brevia omnia verbatim in ſubſtantia cum ſuprapoſito concordent.

Duxit ortum ſuum (*) P. Anſelmus à Monopoli, Hernicis municipio, ubi Pater ejus Gubernatoris officio fungebatur. Baptiſmus impoſuit ei nomen Claudii, cui genethliacum Stemma addidit cognomen Marzati. Meritò Provincia Romana, quæ in S. P. Franciſco Eum genuit, Illo, ceu Filio gloriatur, cum fuerit ipſius Pater, ſeu Provincialis. Ordo totus, ut doctrinâ illius & ſpiritu uteretur ad ſua commoda, Eum Definitorem Generalem ter, Procuratorem Generalem bis, elegit. Ut Papa Clemens VIII. famæ, & applauſui, quem mirabili prædicandi prærogativa, ſibi per Italiam, & Galliam acquiſiverat, pondus adjiceret, Eum in ſuum, & Collegii Apoſtolici Concionatorem aſſumpſit: cumque illius commercio plurimùm delectaretur, ſui Ferrarienſis itineris, Eum voluit eſſe comitem. Ferrariâ redux Congregationis Sancti Officii Theologus declaratur, & anno 1599. ceu Theologus, à Petro Aldobrandino, Legato, in Gallias abducitur. Diutina merita, ut Papa Clemens VIII. in Anſelmo compenſaret, Pileo Cardinalitio anno 1604. Eum decoravit. Alius factus, idem ſemper manſit, ſcilicet, Capucinus. Penſum morti ſolvit caſu repentino Tuſculi 1607., & ſepulchrum habuit in Eccleſia ſui Tituli, ſeu S. Petri in Monte Aureo.

Ex Ciaconio Tom. IV. fol. mihi 363. & M. S. Archivi Generalis.

Venerabilem Dei Servum, Fratrem Laurentium à Brunduſio, Ordinis Ex-Generalem, ad partes Germaniæ abeuntem, Apoſtolicâ Verbum Dei ubique prædicandi facultate communit.

A tergo. *Dilecto Filio Laurentio à Brunduſio Fratri Ordinis Capucinorum.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili Salutem &c. Religionis zelus, ſacrarum literarum ſcientia, aliaque Religioſæ virtutis, quibus perſonam tuam inſignitam eſſe, fide dignorum teſtimonio accepimus, Nos inducunt, ut Te ſpecialibus favoribus & gratiis libenter proſequamur. Cum itaque Tu, ad Germaniæ partes, tuorum Superiorum juſſu te contuleris, ſeu conferre intendas; Nos ſperantes ex tua prædicatione fructus aliquos ad Dei laudem & Catholicæ Fidei propagationem proventuros, Tibi, ut de tuorum Superiorum licentia, in quibuſcumque Germaniæ partibus, Verbum Dei prædicare liberè, & licitè valeas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam & facultatem impartimur. Mandantes in virtute S. Obedientiæ, quibuſcumque locorum Ordinariis, & Eccleſiarum quarumcumque Præpoſitis & Superioribus, ut permittant Te in eorum Eccleſiis & locis Verbum Dei prædicare, & ad hunc effectum Te benigni favoris gratia proſequantur, nullumque Tibi deſuper impedimentum inferre patiantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, tuique Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum &c. Die XII. Maii MDCVI. Anno Primo.

Autographum in Secret. Brev. Apoſt. Regeſto Diverſ. Menſis Maii Anni 1606. *fol.* 248. *& ejus exemp. in Arch. Gener. Ord. Tom.* 8. *num.* 2.

N O T A.

Ex ipſo hujus Conſtitutionis argumento, memoriam de V. P. Laurentio, per Bullarii decurſum ſæpius redire debere, facilè advertetur, inde, dum hîc de illius Virtutibus cautus ſileo, & has examini Curiæ Vaticanæ relinquo, Lectorem ad Vitam Ejus vario idiomate jam impreſſam, & ad Indicem Generalem Verbo: *V. P. Laurentius à Brunduſio*, remitto.

Eidem ad Cæſareum Exercitum, in Hungaria contra Turcas Militantem tranſeunti, diverſas & ſpeciales facultates impertitur.

A tergo. *Dilecto Filio Laurentio à Brunduſio Fratri Ordinis Capucinorum.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili Salutem &c. Cum Tu ad Exercitum Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Rudolphi, Romanorum Regis Illuſtris, in Imperatorem electi, in Hungaria contra Turcas militantem, ut ibi Spiritualia Exercitia ad Chriſtifidelium in dicto Exercitu militantium Spiritualem conſolationem, & Animarum ſalutem facias, de tuorum Superiorum licentia, juſſu noſtro propediem acceſſurus ſis, Nos Te infraſcriptis Spiritualibus gratiis proſequendum duximus. Propterea Tibi, ut quorumcumque Chriſtifidelium in dicto Exercitu militantium Confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis & Cenſuris Eccleſiaſticis in quibuſcumque caſibus, etiam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi quomodolibet reſervatis, etiam in literis, die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, in foro conſcientiæ tantùm, injuncta illis ſalutari pœnitentia abſolvere, necnon eorum vota quæcumque (caſtitatis & Religionis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, ac illis Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare; necnon Miſſas ſuper Altare portatile in loco clauſo & à ventis tuto, in terra, cum debitis honore & reverentia celebrare; præterea, ut ægrotantibus ejuſdem Exercitûs pleniùs ſatisfacere valeas, ut Tu, ſi opus fuerit, pro ipſorum ægrotantium neceſſitatibus in Exercitu, aut alibi, eleemoſynas petere, quæ tamen penes Syndicum, aut Procuratorem aliquem, abs Te eligendum, conſerventur, & in infirmorum neceſſitatibus exponantur; itaque Tu hujuſmodi eleemoſynas nec recipias, nec adminiſtrès, niſi quatenus tua regula permittit. Inſuper, quod Tu, quandocumque ventum fuerit ad Arma contra infideles, Fidelibus & pugnantibus dicti Exercitûs, Nomine noſtro benedictionem impendere valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus. Præterea omnibus & ſingulis fidelibus de dicto Exercitu, iis quidem, qui gratìs militaverint pro prima vice, qua contriti & confeſſi Sacram Euchariſtiam devotè ſumpſerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem concedimus; ſtipendiatis verò Militibus, contritis & confeſſis, Sacram Communionem devotè ſumentibus, prima vice decem annos & totidem quadragenas; omnibus verò tam ſtipendiatis, quàm non ſtipendiatis, cæteris vicibus, quibus contriti & confeſſi communicaverint, quinque annos & totidem quadragenas qualibet vice; Item omnibus, qui Miſſæ, Sermonibusve, aut Concionibus tuis, aut horis matutinis & veſpertinis habendis devotè interfuerint, toties quinquaginta dies de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta, relaxamus: In mortis verò articulo conſtitutis, atque in prædicta expeditione vel pugna ſeu præliis morientibus, contritis tamen, plenariam quoque omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem, quam Tu à Nobis conceſſam eſſe, pronunciare poteris, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, concedimus, & impartimur. Ne autem Tu, dum aliis prodeſſe ſtudes, Animæ tuæ detrimentum patiaris, Tibi, ut propriam regulam obſerves, mandamus, Tibique, donec in dicto Exercitu, præmiſſis pietatis officiis fungendo manſeris, ut ex defectu lenitatis, dummodo in alicujus mortem non opereris, nullam irregularitatis notam incurras, auctoritate, & tenore præſentis concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. Die XXVIII. Maii MDCVI. Anno Primo.

Autograph. in Secret. Brevium Apoſt. Regeſto cit. fol. 493. cujus excmp. pariter in Arch. Generali Ord. Tom. S. num. 3.

Privilegium trium Altarium cuilibet Provinciæ Ultramontanæ conceſſum, ad omnes Provincias erectas, & erigendas extendit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium Saluti, paternâ charitate intenti, ſacra interdum Loca Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum animæ, Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adiutæ, ex Purgatorii pœnis, ad æternam ſalutem, per Dei miſericordiam perduci valeant. Cum itaque, ſicut nomine Superiorum, & Fratrum Ordinis Fratrum Capucinorum, ultra montes degentium, Nobis nuper expoſitum fuit, fel. rec. Gregorius XII. Prædeceſſor noſter, ut quotieſcumque Sacerdos aliquis ejuſdem Ordinis

Miſſam

Miſſam Defunctorum pro anima uniuſcujuſque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migrâſſet, ad tria Altaria trium Eccleſiarum, cujuſque Provinciæ dicti Ordinis per Superiorum poteſtatem deſignanda celebraret, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequeretur, Vivæ Vocis Oraculo conceſſerit, & indulſerit; & abinde citrà, Provinciæ ipſius Ordinis, benedicente Domino, adauctæ fuerunt, Nos Superiorum, & Fratrum præfatorum ſupplicationibus, Nobis humiliter porrectis inclinati, authoritate Nobis à Domino collata, & de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authortiate confiſi, conceſſionem, & indultum hujuſmodi (dummodo à Gregorio Prædeceſſore Noſtro verè oraculum emanaverit) & ad alias Eccleſias Provinciarum dicti Ordinis poſtmodum erectarum, & futuris temporibus erigendarum, eiſdem modo, & forma, quibus ab eodem Gregorio Prædeceſſore Noſtro conceſſa fuerunt, perpetuò extendimus, & ampliamus. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die nona Junii M. DC. VIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

Breve formatum in Archivo Generali Ordinis Tom. H. *num.* 1.

N O T A.

ORaculum vivæ vocis, quo Papa Gregorius XIII. gratiam trium Altarium quotidie privilegiatorum conceſſit, factum fuit noſtro P. Jacobo à Mercato Saracini Vicario Generali, de quo in Arch. Generali Tom. H. num. 1. ſequens originale aſſervatur documentum:

Ego infraſcriptus Fr. Sanctus Romanus Ord. FF. Minorum S. Franciſci Capucin. Guardianus hujus noſtri Loci S. Bonaventuræ Romæ, fidem facio has viſuris, qualiter, dum regebam hanc Provinciam in Provincialatûs officio, A. R. P. Fr. Jacobus à Mercato Saracini, tunc temporis noſtræ Religionis Generalis faſſus fuit, & publicavit, Sanctiſſimum D. N. Gregorium XIII. præſente A. R. P. Hieronymo à Politio Procuratore Generali Ordinis, facultatem conceſſiſſe cuilibet Provinciali noſtræ Congregationis inſtituendi, ſive nominandi tria Altaria in tribus ſuorum Conventuum Eccleſiis, quæ magis illi placuerint; quæ quidem Altaria in perpetuum privilegium habeant, juxta formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ut quoties in eis à quolibet Sacerdote Sacrum celebratum fuerit, toties anima à pœnis purgatorii liberaretur. Et hoc de Anno M. D. XXXIV. In cujus fidem ad perpetuam rei memoriam haſce fieri, & Sigillo hujus loci noſtri muniri mandavi, propriâque manu ſubſcripſi die III. Nov. M. DC. XIII.

Ego Fr. Sanctus, qui ſupra, confirmo manu propria.

L. ✠ S.

Gratiâ hâc, à PP. Paulo V. per ſuprapoſitum Breve, ad omnes Provincias & erectas, & erigendas extenſâ, fuit à Papa Urbano VIII. diverſis Provinciis per ſpecialia, & ſuis locis videnda Apoſtolica Brevia poſtea indultum, ut earum Miniſtri Provinciales privilegium hoc, Eccleſiis noviter erectis poſſent applicare. Illud autem de uno ad aliud ejuſdem Eccleſiæ Altare, ſine recurſu ad Apoſtolicam Sedem transferri poſſe, declaravit Papa Alexander VII. monumento pariter in Arch. Generali originaliter Tom. H. num. 2, & tenoris ſequentis relicto.

Nos Fr. Simplicianus à Mediolano, Miniſter Generalis, & Fr. Marcus Antonius à Carpenedolo Procurator Generalis FF. Capuc. præſentibus atteſtamur, quod, cum tempore matutino, diei 21. *Septembris menſis currentis, honor, pedes Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII. oſculandi, & cum ſua Sanctitate de diverſis rebus, Religionem noſtram concernentibus differendi fuiſſet conceſſus, Eidem pariter ſupplicaverimus, quatenus noſtris Provinciarum Superioribus reſpectivè, impertiri dignaretur facultatem, tria Altaria privilegiata, à PP. Provincialibus illius temporis, in qualibet Provincia juxta Sa. Me. Gregorii XIII. conceſſionem, Apoſtolico Brevi, ſub pariter S. M. Paulo V. confirmatam, jamjam nominata, mutandi, & dictum privilegium ad aliud ejuſdem Eccleſiæ Altare, quod magis commodum & opportunum cenſerent, transferendi. Ad quod Sua Sanctitas benignè condeſcendit, ac conceſſit, quod PP. Provinciales memoratam tranſmutationem literè facere poſſent. Imò ſubjunxit, quod hæc translatio non foret nova gratia, ſed majus duntaxat commodum, & major Fratrum æquè, ac forſan etiam Sæcularium devotio.*

In quorum fidem præſentes, Sigillo noſtri officii munitas ſubſcripſimus. Datum Romæ XXV. Septembris. M. DC. LVI.

Fr. Simplicianus Miniſter Generalis.
Fr. Marcus Antonius Procurator Generalis.
Ego autem Fr. Franciſcus à Deſentiano Socius &c. Scripſi de Mandato.

L. ✠ S.

Gratiam tribus cujuslibet Provinciæ Altaribus ita conceſſam, ampliavit poſtea S. M. Benedictus XIII. dum omnia Eccleſiarum noſtrarum Altaria majora tribus vicibus hebdomadatim, & per totam Defunctorum octavam propriâ manu privilegiavit, uti inter hujus Sanctiſſimi Pontificis Conſtitutiones, videre erit.

Pro

Pro oratione quadraginta Horarum, in noſtris Locorum Ultramontanorum Eccleſiis inſtituta, populo Indulgentiam plenariam, & Confeſſariis amplam abſolvendi facultatem concedit.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

AD ea, per quæ Chriſtifidelium animarum ſalus procuratur, libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Fratres Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Orationem quadraginta horarum, ad animarum ſalutem augendam, in Ultramontanis partibus, in Eccleſiis Civitatum, & Locorum, ubi ipſi Conventus habent, inſtituere ſoleant; Nos pium, ac ſanctum hujuſmodi, necnon maximè acceptabile opus promovere cupientes, ſupplicationibus dilecti filii Franciſci Hyberni, ejuſdem Ord. Profeſſi, Provinciæ Belgii Cuſtodis, Nobis deſuper humiliter porrectis inclinati, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum hujuſmodi, in quibuslibet Eccleſiis dictorum Locorum, ſemel in anno inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium devotè interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Omnibus verò, & ſingulis Confeſſariis, ab Ordinariis Locorum approbatis, qui in Eccleſiis prædictis, occaſione dictæ Orationis ad audiendas Confeſſiones deputati fuerint, omnes, & quoſcumque Chriſtifideles pœnitentes, ab omnibus, & quibuſcumque, in præteritum(*) à die Datarum præſentium, commiſſis criminibus, & exceſſibus, etiam Nobis, & Sedi Apoſtolicæ reſervatis (hæreſis, & ſimoniæ exceptis) necnon excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, etiam in literis Cęnę Domini legi ſolitis contentis, in præteritum ſimiliter, à die datarum præſentium incurſis, impoſitâ cuilibet, arbitrio ſuo pœnitentiâ ſalutari, in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi facultatem, & authoritatem, pro prima vice tantùm, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, Generalibus, & Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus, & Generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque: Præſentibus quoad Indulgentiæ conceſſionem ad Decennium proximum duraturis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XII. Junii MDCVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

Locus ✠ Annuli Piſcatoris.

Authograph. in Secret. Brev. Apoſt. Regeſt. menſis Jun. Anni 1608. *fol.* 478.
De quo Breve formatum in Arch. generali Ord. Armar. Sac. Cong. Indulg.

N O T A.

BReve hoc Apoſtolicum tam Ordini, quàm in ſe ſingulare eſt, cùm præter Indulgentiam plenariam, per illud, Confeſſariis ampla detur facultas abſolvendi à caſibus reſervatis, & cenſuris incurſis &c. Inde etiam ſingulari ſemper curâ illius innovatio fuit procurata; prout reverâ ab hocce Pontificatu, uſque ad modernum ſemper fuit renovatum, Brevibus originalibus omnibus in Armario *S. Congr. Indulg.* aſſervatis, quamvis, quoad facultatem abſolvendi, ſub Alexandro VII. fuerit facta reſtrictio, & ſub Innocentio XI. temporis nocturni præſcripta interpolatio, & ſub Innocentio XIII. contra mota nova gravamina, nova, & favorabilis emanata deciſio, prout inter Brevia horum Summorum Pontificum videre erit.

Originat autem ſpecialitas hujus Brevis Apoſtolici ex memoria, quòd uſus hujus Orationis à Capucinis, videlicet â P. Joſepho Fermenſi, Provinciæ Mediolanenſis Alumno, & Ordinis Definitore Generali, in univerſalem Eccleſiam fuerit introductus, prout, præter noſtrum P. Boverium (*a*) in vita hujus Patris, commemorat Spondanus: (*b*) *Mortuus eſt hoc anno Mediolani Joſephus Fernenſis Capucinus, Vir Theologia apprimè excultuş, quem Authorem, & Inſtitutorem fuiſſe volunt utiliſſimę Orationis quadraginta horarum.* Et quamvis Verbum, *Volunt*, relinquat dubietatem quandam, tollit tamen eam P. Hautinus Societatis Jeſu, qui (*c*) ait. *Eſt etiam percelebris quadraginta horarum precatio, à RR. PP. Capucinis uberi cum fructu coram Venerabili Sacramento quotannis inſtitui ſolita, vel in ſuis Templis, vel in iis, ubi pręſertim Concionem ad populum habuerint. Primus illius Author fuit Ven. P. Joſephus à Fermo, Italus, ex Cordigero Capucinus, qui eo tempore, quo bellum inter Carolum V., & Franciſcum I. ardebat, ejuſmodi preces miro cum fructu, applauſuque induxit; nec impari per reliquam Italiam propagavit.*

Fructum, hìc mentionatum quod concernit, illùm ſpecificat noſter P. Boverius (*d*). *Vix enim Oratio* (videlicet in Eccleſia Cathedrali Mediolani) *inſtituta fuit, cum paulatim bellorum tumultus cępit miteſcere, ſedatus armorum ſtrepitus.* Propaginem ejus quod attinet, poteſt de hac Oratione, aptato ei Sacræ Scripturæ textu dici, quòd ceu (*e*) *Fons parvus creverit in fluvium*, qui, aquâ ſaliente in vitam æternam, totum, quà latè ſpatiatur, Orbem Catholicum fœcundat. Fructum autem, & propaginem ſimul, deſcribit amplè libellus Italicus, intitulatus:

(a) *Tom.* 1. *Annal. fol. mihi.* 537.
(b) *Tom.* 3. *ad Annum* 1556. *fol. mihi* 203.
(c) *lib.* 2. *c.* 4. *de Sac. amoris.*
(d) *Tom.* 1. *Annal. ad Ann.* 1556. *fol. cit.*
(e) *Eſth. c.* 11. *v.* 10.

latus : *Oratio quadraginta horarum Sanctarum, videlicet earum ſignificatum, inſtitutio, & fructus* : Typis impreſſus Mediolani, & in Germanicam linguam traductus, ac prælo datus Landishuti in Bavaria anno 1739.

Cum autem hæc devotio juxta P. Boverium (*a*) eâ ratione inſtituta ſit; *ut Sacrâ Euchariſtiâ publicè in Eccleſia per totidem horas expoſitâ, Chriſtiana plebs Pœnitentiæ Sacramento à culpis expiata, ac Sacro Domini Corpore refecta, totum illud temporis ſpatium piâ Oratione celebret &c.* Paulus V. Confeſſarios noſtros, quoad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, peculiari facultate munivit. Notandum autem eſt, quod juxta Apoſtolici Brevis verba, illâ duntaxat uti poſſint, & debeant, quoad exceſſus commiſſos, & cenſuras &c. incurſas.

(a) *Loco citato.*

(*) *In præteritum à die datarum præſentium.*

Ita, ut ſenſus proprius, & à Miniſtris Romanæ Curiæ expreſsè à me petitus, ſit, quòd pœnitentes tantummodo poſſint abſolvi à criminibus, & cenſuris *ante diem Datæ, commiſſis, vel incurſis*. Summi Pontifices enim, quando nobis Apoſtolicam hanc facultatem delegant, non cogitant de ſtatu pœnitentium, per ſeptennium futuro, ſed de unico ſtatu præſenti : nec Chriſtianis perverſis anſam dare cupiunt, ex Septennali facultate committendi liberiùs peccata, ſub ſpe abſolutionis, in Oratione quadraginta horarum impetranda, ſed remedium dant, ut pœnitentes *proiiciant à ſe iniquitates*, in quibus antea, ſeu *in præteritum* prævaricati ſunt, *& faciant ſibi Cor novum, & ſpiritum novum*. Inde facultas hæc non eſt permanens ad ſeptennium, ſed, prout in Brevi Apoſtolico notanter dicitur. *Pro prima vice tantùm*, qua exponitur Oratio, ita, ut in annis ſubſequis, etiamſi hæc exponatur, non tamen duret facultas abſolvendi, ſed expiret illis tribus diebus, quibus prima vice fuit expoſita oratio.

Durat econtra per totum Septennium, vel Decennium, juxta terminum in Brevi ſpecificatum, Indulgentia plenaria. Cumque aliquando dubitetur, quandonam, vel hujus, vel aliarum Indulgentiarum ſeptennium incipiat, videlicet, an â die publicationis Brevis, vel â die Datæ, operæ pretium duxi, Decretum à S. Congregatione Indulgentiarum deſuper emanatum, incidenter hîc apponere.

Sacra Congregatio Indulgentiis, ac SS. Reliquiis præpoſita, Die XVIII. Maii M. DCC. XI. declaravit, non à die publicationis, ſed à die Datę Brevis Septennii tempus incipere : & facta relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro, per Secretarium, die XX. ejuſdem Menſis, Sanctitas ſua, Congregationis ſententiam approbavit.

Decreto hoc, in dubii caſûs regulam generaliter adducto, regredior ad Breve noſtrum particulare, & adjungo, quod illud ab eodem Sanctiſſimo Patre Paulo V. poſt decennium fuerit renovatum, additâ, vel extenſâ facultate abſolvendi à peccatis &c., etiam *poſt duos menſes à Data Brevis commiſſis*, abſque limitatione temporis quoad durationem Indulgentiarum.

Duravit etiam hæc extenſio, uſque ad tempus Alexandri VII., qui in ſuo Brevi deſuper expedito, Caſus hæreſeos, Simoniæ, Duelli, Violationis Clauſuræ Monaſteriorum Monialium, & recurſus ad Judices laicos excepit & facultatem à reliquis abſolvendi, pro prima vice tantùm, iterum limitavit.

Ut autem PP. Paulus tenera ſuæ devotionis ſenſa, ulteriore gratia erga hanc Orationem comprobaret, per aliud Breve Apoſtolicum, Anno M. DC. XX. datum, non ſolùm Indulgentias cum facultate abſolutoria pro Eccleſiis Domorum Provinciarum ultramontanarum confirmavit, ſed etiam eas ad Eccleſias ſæculares Cathedrales, in quibus Fratres noſtri in Quadrageſima, vel in Adventu Verbum Dei prædicarent, & in quibus dicta Oratio inſtitueretur (ſine dictâ tamen facultate) extendit.

Proceſſit poſtea ulteriùs S. M. Urbanus Papa VIII., & non ſolùm Eccleſias Cathedrales, ſed indiſcriminatim omnes, in quibus Fratres, tempore Quadrageſimæ de cathedra myſteria fidei, & ſalutis annuntiarent, Indulgentiis plenariis decoravit, & inſuper alias partiales adjunxit. Utque in poſterum evitaretur omne chaos, duo ſemper Brevia, à tempore hujus Pontificatûs fuēre expedita : unum limitatè pro Eccleſiis noſtris in Provinciis Ultramontanis, cum facultate abſolvendi memoratâ : aliud generatim pro Eccleſiis ſæcularium, in quibus Fratres noſtri per Quadrageſimam prædicare contingit, ſine facultate abſolvendi, quod uſque ad præſens tempus fuit practicatum.

Vide Brevia Pontificum in hac Nota mentionatorum, infra, & Indicem Generalem Verbo : *Indulgentia quadraginta Horarum*.

Prohibet, ne Religioſi Ordinis B. Mariæ de Mercede Redempt. Captivorum, Fratres noſtros ad ſuum Ordinem recipiant.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper ad Nos perlatum eſt, Religioſos Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, prætextu cujuſdam Indulti Apoſtolici, dicto Ordini antiquitùs conceſſi, ac demum per fel. record. Clementem Papam VIII. Prædeceſſorem Noſtrum, per ſuas in hujuſmodi forma Brevis Literas, datas XXVII. Decembris M. D. XCVI. Pontificatus Sui anno quinto, aboliti, & revocati, aut forſan alterius, Profeſſores Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum & alios Regulæ ſtrictioris in eorum ſodalitatem, ſeu Domos, aut Conventus recipere. Quare cum id, ſæpiùs meritas pœnas eluendi cauſa fiat, & ex hoc multa ſcandala in Populo generentur, & alia multa incommoda naſcantur : Nos hujuſmodi ſcandalis obviare, & quieti Religioſorum amplius proſpicere cupientes, ne quis Prælatorum, ſeu Superiorum, aut Fratrum Conventuum, ſeu Domorum dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, tam in Regnis Hiſpaniarum, quàm alibi conſiſtentium, quâvis ille dignitate, præeminentia, prærogativa, vel munere fungatur, prætextu cujuſvis indulti, ſeu privilegii Apoſtolici recipere audeat, vel præſumat, cauſa quarti voti, quod ipſi Profeſſores Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede hujuſmodi faciunt; Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, diſtrictè prohibemus. Non obſtantibus Privilegiis, ſeu indultis hujuſmodi ac qui-

ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis illi ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus, ſpecialis ſpecifica, expreſſa, individua, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris die VII. Julii M. DC. VIII. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Autograph. in Secretaria Brev. Apoſt. Regeſto Menſ. Julii Anni 1608. *fol.* 185. *de quo Breve formatum in Archivo gener. Ordinis Arm.* Authent. *in faſc. collig. num. 6.*

DECRETUM.

Quo Laicis, præſertim Ord. Capucinorum, & in Provinciis Regni Siciliæ, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, ut Clericis quibuſque locum ſemper, & ubique cedant.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Paulus, Divina providentia Papa Quintus; Cum Religionis cujuſque ſtatum duplici hominum genere per Sacros Canones conſtitutum eſſe noverit, Clericorum nempe, & Laicorum, eâ ſemper inter illos adhibitâ diſtinctione, ut Clerici, etiam in Sacris non conſtituti, quippe qui majores ordine ſunt, ipſis Laicis, quamvis ad Religionem poſteriores ſint recepti, inter ſedendum, eundum, atque in locis, & actionibus quibuſcumque potiores, & majores habeantur; neque conſuetudinem in Capucinorum Ordinem, nonnullaſve ejus Provincias, Superiorum forſan Regularium incuria, introductam, quæ verè corruptela dici debet, ullo modo ſuffragari poſſe, ſed potiùs tollendam eſſe, Religionis ipſius quieti, & Clericalis ſtatûs dignitati proſpicere volens, Canonumque diſpoſitioni, & communi Capituli Generalis Ordinis voto inhærens, hoc perpetuò valituro Decreto, ſtatuit, ac in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, ac mandat omnibus, & ſingulis Ordinis Capucinorum Laicis, præſertim verò Provinciarum Regni Siciliæ, ut Clericis quibuſque ejuſdem Ordinis locum ſemper, & ubique cedant; Ordinis autem Superioribus generalibus, & localibus, ut abuſum hujuſmodi tollentes, efficiant omnino, ut Clerici Laicos ipſos in omnibus deinceps præcedant, nullâ prorsùs habita ratione temporis illorum ad habitum receptionis, vel emiſſæ profeſſionis, aut Provinciarum conſuetudinis, ſeu corruptelæ hujuſcemodi, quam pœnis, atque etiam cenſuris Eccleſiaſticis contra inobedientes, arbitratu ſuo, infligendis, omnibuſque aliis opportunis remediis ubique evelli curent. Datum Romæ Die XXVI. Septembris MDCVIII.

Antonius Seneca Epiſcopus Angnen. Viſitationis Apoſtolicæ Secretarius.

Locus ✠ Sigilli.

Exemp. Authent. in Arch. Ord. Tom. D. *num.* 40.

NOTA.

Excitato poſtea dubio, an & Laici jam Profeſſi, Clericis, etiam necdum Profeſſis, locum cedere deberent? fuit quidem per Breve Urbani VIII. ordinatum, & conceſſum, ut Laici Profeſſi, Clericos non Profeſſos præcederent, Juſſu tamen Alexandri VII. fuit Breve hoc, reformatum, & reſpectivè abrogatum per Sacræ Congregationis Eminentiſſ. S. R. E. Cardinalium negotiis & Conſultationibus Epiſcop. & Regular. præpoſitæ Decretum ſequens:

Sacra Congregatio Eminen. S. R. E. Cardinalium negotiis & Conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentis narratis, de ordine S. D. N. D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. mandavit circa præmiſſa tam in memoratis Provinciis N. N. quàm etiam in aliis reſpectivè ſervari ſolitum, & nihil innovari, præfato Brevi, ſeu Decreto S. mem. Urbani VIII. cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Romæ 16. *Februarii* 1661.

M. Card. Ginettus.

Locus ✠ Sigilli.

E. Epiſcopus Camer. Secret.

Breve Urbani VIII. inter ejus Conſtitutiones invenies, exemplar autem Authenticum de Decreto Alexandri VII. aſſervatur in Arch. generali Ord. Tom. D. num. 41.

Capu-

Capucinos, eſſe verè Fratres Minores, & Filios S. P. Francisci, ac eorum Conſtitutiones nihil contra S. Regulam continere, declarat: Utque circa hoc, ab Eccleſiæ Prælatis defendantur, & Contradictores cenſuris Eccleſiaſticis, ac etiam auxilio brachii Sæcularis coerceantur, decernit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Eccleſiæ militantis regimini auctore, Domino, nullo ſuffragio meritorum præſidentes, ex injuncto nobis officii debito providere tenemur, ut, qui ſub Beati Franciſci vexillis, qui inter ſtrenuos Chriſti Duces, gloriæ ſplendore corruſcat, in hujus vitæ militiâ, ſub ſtrictioris ejuſdem Beati Franciſci Regula diſciplinæ, Altiſſimo obſequium præſtant, & per corporis caſtigationem, per divitiarum contemptum, ſuique ipſius abnegationem, jejuniis, orationibus, ſacris prædicationibus, aliiſque Religioſis operibus vacantes, verbo, & exemplo, veros ſeſe Beati Franciſci imitatores, & germina oſtendunt, tales ab omnibus abſque ulla controverſia habeantur. Cum itaque, ſicut accepimus, à nonnullis revocetur in dubium, an Fratres Ordinis ejuſdem Sancti Franciſci, Capucini nuncupati, ſint verè Fratres Minores? Et etiam, quoniam Regulam Sancti Franciſci profitentur, Filii Sancti Franciſci, cum tempore Sancti Franciſci inſtituti non fuerint? Pariterque, an eorum Conſtitutiones aliquid habeant, quod Regulæ Sancti Franciſci repugnet? Nos dubia hujuſmodi, Apoſtolicæ declarationis Oraculo decidere cupientes, cum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum conſilio, matura deliberatione habita, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, auctoritate Apoſtolica declaramus, Fratres Capucinos eſſe verè Fratres Minores, ac etiam (quamvis tempore Sancti Franciſci minimè inſtituti fuerint, cum tamen ejus regulam profiteantur, atque eorum inſtituta congruant tam Regulæ ſtatutis, quàm ejuſdem Regulæ declarationibus, quæ habentur in Conſtitutione felicis recordationis Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, in generali Concilio Viennenſis edita, quæ incipit; *Exivi de Paradiſo*) Filios Sancti Franciſci. Eorum præterea Conſtitutiones nihil continere, quod non ſit Regulæ Sancti Franciſci prædictæ conſentaneum, ſicque ab omnibus, & ſingulis cenſeri, ac reputari, & judicari debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis per præſentes mandamus, quatenus ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Capucinorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, eos præmiſſis omnibus, & ſingulis, juxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper à quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebitè moleſtari: Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras, & pœnas prędictas incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, & auctoritate prædicta decernimus, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris Die xv. Octob. MDCVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

Autographum in Secret. Brevium Apoſtolica Regeſto Menſis Oct. Anni 1608. *fol.* 188. *de quo Breve formatum in Arch. Generali Ord. Tom.* C. *num.* 123.

NOTA.

Videſis & Conſtitutiones PP. Urbani VIII. & Clementis XII., Conſtitutionem ſuprapoſitam ampliantes, & confirmantes.

Præmemorato Ven. Dei Servo, P. Laurentio à Brunduſio, ad Exercitum, â Germaniæ Principibus conductum ſecedenti, Spirituales facultates noviter largitur.

A tergo. *Dilecto Filio Laurentio à Brunduſio Fratri Ordinis Capucinorum.*

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecte Fili Salutem &c. Cum Tu ad Exercitu dilecti Filii, nobilis Viri Maximiliani Bavariæ Ducis, & aliorum Catholicorum, Sacri Romani Imperii Principum confæderatorum, contra Hæreticos Germaniæ comparatum,ut ibi Spiritualia Exercitia ad Chriſtifidelium,in dicto Exercitu militantium ſpiritualem conſolationem & animarum ſalutem facias, de tuorum Superiorum licentia, & juſſu noſtro propediem acceſſurus ſis, Nos Te infraſcriptis Spiritualibus gratiis proſequendum duximus. Propterea Tibi, ut quorumcumque Chriſtifidelium, in dicto Exercitu militantium confeſſiones audire, *reliqua uti fol. anteriore* 52.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum &c. Die ſecunda Octobris MDCX. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Autographum in Secret. Brevium Apoſtol. Reg. Menſ. Octob. Anni 1610. *fol.* 135. *de quo exempl. in Arch. gen. Ord. Tom.* S. *num.* 8.

Alexandrum Perettum, Cardinalem Montaltum nuncupatum, S. R. E. Vice-Cancellarium, Ordinis Protectorem deputat.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Alexandro, Sancti Laurentii in Damaſo Diacono, Cardinali Montalto nuncupato, S. R. E. Vice-Cancellario.*

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecte Fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum per obitum bonæ mem. Franciſci, Epiſcopi Oſtienſis, S. R. E. Cardinalis de Jojoſa nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, dum vixit, apud Romanum Pontificem, & Apoſtolicam Sedem Protectoris, nuper extra Romanam Curiam defuncti, Ordo præfatus, Protectore deſtitutus remanſerit, Nos eidem Ordini de idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumſpectionis ſingulari prudentia, doctrina, integritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te, Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes, Ordinem præfatum plurimùm commodi, & ornamenti ſuſceptu rum eſſe confidimus, præfati Ordinis univerſi, illiuſque Domorum, & Locorum Regularium, ac Religioſorum quorumcumque, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectorem,cum omnibus facultatibus, juriſdictionibus, honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, & quibus alii ante Te dicti Ordinis Protectores uſi ſunt, ac uti quomodolibet potuerunt, ſeu etiam debuerunt, ad tui Vitam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium facimus, & deputamus. Volumus autem, & Tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut ſuperiorum dicti Ordidinis auctoritatem, quantum fieri poterit, conſervare cures, & propterea, cum ipſi Superiores eorum Officii debito ſatisfecerint, ac gubernio, & regimini ſubditorum ſufficienter incubuerint, tunc in negotiis eorumdem Religioſorum Te non immiſceas; quando autem, vel ab ipſis Superioribus requiſitus fueris, ut in eiſdem auctoritatem tuam interponas, vel neceſſe fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in eiſdem negotiis exerceas, tunc id liberè facere poſſis; ſed, quoad poteris, per Te ipſum hoc facere cures, adhibito ad ſcribendum, quando opus fuerit, in eiſdem negotiis, ſeu cauſis, loco Notarii, aliquo ex Regularibus ejuſdem Ordinis. Mandamus præterea prædictis Superioribus, & aliis Religioſis quibuſcumque ejuſdem Ordinis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut Te in eorum Protectorem, juxta tenorem præſentium recipientes, eâ, quâ debent, reverentiâ proſequantur, contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Cæterùm Te in Domino hortamur, ut hujuſmodi Protectoris munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum, bonorum operum Retributorem, æternum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris Die IV. Septembris MDCXV. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

S. Card. S. Suſannæ.

Breve formatum in Arch. generali Ord. Tom. H. *num.* 7.

NO-

N O T A.

Fuit Cardinalis Alexander, S. m. Sixti V. ex Sororis Camillæ Filia Pro-Nepos, cum quo ab adoleſcentia creverat affectus erga Religionem noſtram. Inde, cum Cardinalem Joioſæum, ſæpius â Curia Romana abeſſe contingeret, Vice-Protectoris Officium jam aſſumpſit, & ita ſolerter exercuit, ut Paulus V, Cardinale Joioſæo defuncto, Munus Protectoris, Ipſo meliori non conferri poſſe, aſſereret.

An autem Ordinem fortiore patrocinio, ceu Protector, protexerit, an fuſioribus beneficiis, ceu Benefactor cumulaverit? difficulter deciditur.

P. Hieronymo (*) â Caſtro Feretti, Ordinis noſtri Ex-Generali, ut Eremum Camaldulenſem in Hetruria viſitet, committit.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Inter multiplices Paſtoralis Officii noſtri curas, illa Nos non leviter urget, ut divinus cultus, & devotio, necnon regularis diſciplinæ obſervantia, in quibuslibet Religionibus & Congregationibus, iis præſertim, quarum Profeſſores ſe ad ſtrictioris vitæ normam ſollenni voto devinxerunt, conſerventur, majoraque in dies ſuſpiciant incrementa, ſi verò illa in aliquibus exciderint, remediis, quantum fieri in Domino poteſt, reſtituantur opportunis. Hinc eſt, quod Nos proſpero & felici Eremi Camaldulen. Hetruriæ ſtatui, & ſalubri directioni conſulere volentes, ac de tua Fide, Prudentia, & Catholicæ Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, Tibi per præſentes committimus & mandamus, ut Eremum prædictam, illiuſque Eremitas & Regulares perſonas quaſcumque, ſemel tantùm, auctoritate noſtra viſites, & in illorum vitam, ritus, morem, & diſciplinam, tam in capite, quàm in membris diligenter inquiras; nec non Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ, ſacrorumque, Canonum, & generalium Conciliorum decretis, & Sanctorum Patrum traditionibus, & eorum regulæ, & Conſtitutionibus, â Sede Apoſtolica confirmatis inhærendo, &, prout occaſio, rerumque qualitas exegerit, quæcumque, mutatione, correctione, emendatione, & renovatione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas, ac etiam de novo condas, abuſus quoſcumque tollas, Regulas, inſtitutiones, & Eccleſiaſticam diſciplinam, ubicumque illæ exciderint, modis congruis reſtituas, ipſaſque perſonas, ad debitum vitæ modum revoces; Majorem, ſeu Priorem dictæ Eremi ac quorumcumque Locorum Regularium, membrornm, & granciarum, ab ea dependentium Officiales, & Miniſtros eligas, deputes, & conſtituas, aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & quomodolibet opportuna facias, dicas, mandes, geras, & exequaris; ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, liberam, & amplam, dicta auctoritate, tenore præſentium tibi concedimus facultatem. Mandantes propterea omnibus & ſingulis Eremi, ac ab ea dependentium locorum, membrorum, & granciarum hujuſmodi Eremitis, omnibus & ſingulis aliis, ad quos ſpectat, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut Tibi in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac Majori, & aliis Officialibus, per Te, vigore præſentium eligendis, conſtituendis, & deputandis promptè pareant & obediant, Teque, ac illos, ea, qua decet, reverentia proſequantur, tuaque, & illorum ſalubria monita & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent; alioquin ſententiam, ſive pænam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Volumus autem, ut, ſi quæ graviora in hujuſmodi viſitatione repereris, ea, nec non informationes omnes, in eadem viſitatione ſumendas, ad Nos fideliter, cautè, & diligenter tranſmittas, ut, quid in illis ſtatuendum, ſic matura conſultatione adhibita decernamus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac dictæ Eremi ſuper immunitatibus, exemptionibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illi, illiuſque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis; quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua mentio habenda eſſet, omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis &c. permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. die XVII. Novembris M.DC.XV. Pontificatus Noſtri anno XI.

Autographum in Secretaria Brevium Apoſtolica Reg. menſ. Nov. anni 1615. fol. 347. de quo exemplar in Archivo generali Ord. tom. S. num. 9.

N O T A.

ALienum nemini videatur, ſi (*) Patrem Hieronymum Provinciæ Picenæ Alumnum, ad viſitandum Ordinem, â ſuo diſtinctum, Apoſtolicâ commiſſione mitti adverrat: ea enim morum gravitas, ingenii acumen, & virtutis ſplendor in illo emicuit, ut non ſolùm Religio noſtra, binâ vice, Generalatûs miniſterium ei decreverit, Reges, & Principes ſuorum geſtorum habuerit præcones, verùm etiam Curia Vaticana inter primos regularis vitæ & aſceſeos cultores illum æſtimaverit. Inde & evênit, ut â Paulo V. viſitatio Eremi Camaldulenſ. in Hetruria ei commiſſa, & poſtea ab Urbano VIII. (uti noſter Pater Dionyſius â Janua (*a*) refert) Viſitator, Reformatorque Apoſtolicus omnium utriuſque ſexûs Regularium, & Comprotector Generalis earum Religionum, quæ ſpeciali protectione orbatæ extabant, fuerit inſtitutus. Romæ cum anno 1626. ſomnum mortis caperet, hic idem Summus Pontifex ſolemnes exequias cum totius Civitatis accurſu, Ei Apoſtolicis expenſis celebrari mandavit. Agunt de viro hoc Mantiſconenſis (*b*) Ripamontius, (*c*) Sigiſmundus â Bononia (*d*) & alii.

(a) *In Biblioth. Script. Ord. fol. mihi 221.*
(b) *Lib. 3. Annaliū ad ann. 1626.*
(c) *Lib. Hiſt. patriæ Dec. 5. l. 5. c. 4,*
(d) *Lib. de elect. in epiſt. dedic.*

Capucinis, ut ubique in proceſſionibus ſub propria Cruce incedant, concedit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officii, quo divina diſpenſatione, nullo noſtro merito fungimur, ratio poſtulat, ut Religioſorum, maximè Strictioris Obſervantiæ paci, & quieti, quantùm Nobis ex alto conceditur, opportunè conſulamus. Cùm itaque, ſicut Dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, nonnullæ rixæ, & diſſenſiones inter Fratres dicti Ordinis, & Dilectos etiam filios Fratres Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Sancti Franciſci, dum primò dicti Fratres in Proceſſionibus publicis ſub eorundem Fratrum Minorum Conventualium Cruce incedunt, interdum oriantur; Nos omnem rixarum, & diſſenſionum prædictarum materiam ſubmovere volentes, dictoſque Fratres Minores Capucinos nuncupatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis â jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus, illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; De Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum conſilio, eiſdem Fratribus Minoribus Capucinis nuncupatis, quod ubique locorum in publicis Proceſſionibus hujuſmodi, Crucem propriam, ad formam Conſtitutionis fel. rec. Gregorii Papæ XIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Expoſcit Paſtoralis officii* &c. deferre poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes præſentes Literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon utriuſque Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die XII. Octobris M. DC. XVII. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

S. Card. S. Suſannæ.

Autogr. in Secretaria Brevium Apoſtol. Regeſto menſ. Oct. Anni 1617. fol. 181. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. D. n. 142.

Ne Capucini deinceps Monialium curam, vel ſpiritualem, vel temporalem ſuſcipiant, præcavet, & quod ad talem ſuſcipiendam, nullâ auctoritate poſſint, vel debeant conpelli, ſancit.

PAU-

PAULUS PAPA V.

Ad perpetoam rei memoriam.

SAcri Apoſtolatûs miniſterio, per abundantiam Divinæ gratiæ, nullo licet merito noſtro prępoſiti, mentis noſtrę aciem convertentes ad uberes fructus, quos in Eccleſia Dei fratres Minores Ordinis S. Franciſci Capucini nucupati, ſub ſtrictioris Regulæ diſciplina Altiſſimo famulantes, jejuniis, Orationibus, Sacris prædicationibus, aliiſque religioſis operibus afferunt, ad ea, per quæ Ordo hujuſmodi ſublatis quibuslibet impedimentis in Domino majores progreſſus facere poteſt, libenter intendimus, ac deſuper officii noſtri partes favorabiliter interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Attendentes itaque curam Monialium, eorumdem Fratrum inſtituto non admodum conſentaneam eſſe, ſed illis diſtractionem, & incommoda afferre facilè poſſe; Idcirco Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, ejuſdem Ordinis Religioſos, quarumcunque Monialium, illarumque Monaſteriorum, Bonorum, & rerum curam, regimen, ſeu adminiſtrationem de cætero ſuſcipere, aut acceptare, & ad id à quoquam, quavis authoritate fungente cogi, vel compelli minimè poſſe, vel debere, ſtatuimus, & ordinamus, eorumque Superioribus, quibuſcunque, & Protectori, ne in poſterum hujuſmodi curam, regimen, ſeu adminiſtrationem, neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus ſuſcipiant, aut ſuſcipi mandent, & permittant, reſpectivè interdicimus, & prohibemus. Decernentes nihilominus irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quę prędentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris XI. Auguſti M. DC. XVIII. Pontificatus noſtri Anno decimoquarto.

S. Card. S. Suſannæ.

Autograph. in Secret. Brevium Apoſt. Reg. menſis Auguſti, Anni 1618. *fol.* 232. *de quo Breve formatum in Archivo gen. Ord. Tom.* H. *num.* 11.

N O T A.

COnſtitutioni huic fuit quoad Provincias ultramontanas variè derogatum, quoad Italiam autem noviſſimè eſt confirmata, uti ſuo loco.

Ut P. Miniſter Generalis ſuum Officium, quod aliàs ad quinquennium duntaxat durabat, ad Sexennium protrahat, ſtatuit: ut ille (ſicut, & P. Procurator Generalis) Socium Nationis Gallicæ teneat, ordinat; &, ne in ſuæ Viſitationis curſu (*) graviora abſque Capitulo Provinciali decidat, jubet.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Supremo Sedis Apoſtolicæ Solio, & Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine à Domino conſtituti, ad ea, per quæ piæ hominum, ſub ſuavi Religionis jugo, & in humilitatis Spiritu Deo militantium Congregationes providè ſanctèque inſtitutæ, felicioribus in dies proficiant incrementis, ſedulò intendimus, ac deſuper Paſtoralis Officii partes interponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Hinc eſt, quod Nos proſpero, feliciquo Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum regimini, atque directioni, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere volentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris: Quod de cætero perpetuis futuris temporibus Miniſtri Generalis Officium, quod hactenùs ad quinquennium duntaxat durare conſuevit, ad ſexennium durare, Miniſter autem Generalis, ſeu alius, ſufficienti ad id facultate ſuffultus, Domos, & Loca regularia ejuſdem Ordinis in Regno Franciæ viſitaturus, unum Ordinis hujuſmodi, & Nationis Franciæ Fratrem, qui ei in ſcribendo, ac interpretando inſerviat, & à quo de Statu Domorum, & Regularium hujuſmodi informari poſſit, ſecum ducere, quodque apud ejuſdem Ordinis Procuratorem Generalem in Romana Curia reſidentem, alius, qui ſcribat, dicti Ordinis Frater, & linguas calleat, manere reſpectivè debeat. Ipſe verò Miniſter Generalis, ſeu Commiſſarius, durante viſitatione hujuſmodi graviora non decidat, aut reſolvat, abſque Capitulo Provinciali, & niſi ſervata forma præſcripta per librum dicti Ordinis, *modum procedendi* nuncupatum. Præſentes verò literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, & ab omnibus, quos illæ concernunt, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis Authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, ſtatuimus, atque ordinamus. Non obſtantibus Conſti-

Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIX. Octobris M. CD. XVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquarto.

S. Card. S. Suſannæ.

Breve formatum in Archivo generali Ord. Tom. H. *num.* 14

N O T A.

PUnctum Summarii tertium, quo auctoritas (*) Patris Miniſtri Generalis coarctatur, fuit & vivæ vocis oraculo, & Brevi Pontificio revocatum. Oraculum vide inter Conſtitutiones Gregorii XV. & Breve inter Conſtitutiones Urbani VIII. Vide & indicem generalem Verbo: *Auctoritas Patris Miniſtri Generalis.*

P. Miniſtrum Generalem, ab omni Reverendiſſimi P. Magiſtri Generalis, Patrum Conventualium dependentia eximit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs felicis recordationis Paulus PP. III. Prædeceſſor noſter, ſupplicationibus dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ſibi humiliter porrectis tunc inclinatus, authoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia ſua, per ſuas, ſub plumbo expeditas literas ſtatuit, & ordinavit, quod ex tunc deinceps iidem Fratres electionem Vicarii Generalis dicti Ordinis, ſi à majori parte eligentium celebraretur, quamprimum commodè fieri poſſet, Miniſtro Generali Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, ſicut eatenus ſervatum fuerat, donec aliud deſuper ordinatum à Sede Apoſtolica fuiſſet, præſentarent, ſeu præſentari facerent, ipſeque Miniſter generalis intra triduum à præſentatione ſibi facta, ipſum electum Vicarium confirmare teneretur, & triduo elapſo, & electo non confirmato, idem electus pro confirmato, Sedis Apoſtolicæ authoritate, haberetur, ſub certis modo & forma, tunc expreſſis, prout in dictis Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi literis, quarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Nos ad uberes, & ſuaves fructus, quos, ſicut accepimus, iidem Fratres Capucini, in Agro Dominico, in dies, benedicente Domino, afferunt, noſtræ conſiderationis dirigentes intuitum, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus, Eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; Quod de cœtero perpetuis futuris temporibus, Fratres Capucini præfati electionem eorum Vicarii generalis præfato Miniſtro generali præſentare, & ab illo confirmationem electionis hujuſmodi petere, minimè teneantur, nec ad id, à quoquam, quavis authoritate cogi, vel compelli poſſint, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, eoſdemque Fratres Capucinos ab onere præſentandi electionem hujuſmodi, & illius confirmationem petendi, authoritate, & tenore præfatis omnino abſolvimus, & totaliter eximimus, & liberamus, illoſque ab onere hujuſmodi omnino abſolutos, ac totaliter exemptos, & liberatos fore, & eſſe; præſenteſque literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, dictis fratribus Capucinis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, nec eos deſuper à quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari poſſe, aut debere; ſicque, & non aliter, per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus literis dicti Pauli Prædeceſſoris, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudi-

ſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, & eorum Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXIII. Januarii MDCXIX. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquarto.

S. Card. S. Suſannæ.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Regeſto menſis Januarii Anni 1619. de quo Breve formatum in Archivo generali Ordinis Tom. H. *num.* 21.

DECRETO.

S. Congregationis Epiſcop. & Regular. negotiis præpoſitæ, Ordini facultatem Seculares ad Tertii Ordinis Habitum recipiendi competere, declaratur.

CUM aliàs à ſacra Congregatione Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum decretum ſuper Habitu, & qualitatibus Tertiariarum emanaverit, in quo inter alia cavebatur, ut Superioribus Regularibus ſufficienti ad id ab hac Sancta Sede ſuffultis (*Capucinis exceptis*) mulieres alias, juxta idem Decretum qualificatas, ad Tertiariarum Habitum recipere liceret. Verùm, quia Capucini, authoritate ab eadem Sancta Sede Eorum Religioni conceſſa privari, ac propterea, in invidiam apud bonos trahi conquerebantur; Illuſtriſſimi ejuſdem ſacræ Congregationis Patres, eiſdem Capucinis, privilegiis circa præmiſſa eis quomodolibet competentibus, uti, & frui licere, Decreto hujuſmodi non obſtante, cenſuerunt, dummodo mulieres ad Tertiariarum Capucinarum Habitum admittendæ, ad formalem, materialemque ejuſdem Religionis Habitum, & ſervato in reliquis omnibus eodem Decreto admittantur Romæ die 13. Januarii MDCXX.

A. Maria Card. Gallus.

Locus ✠ Sigilli.

V. Novarienſis Secretarius.

Exemplar authent. in Archivo generali Ordin. Tom. F. *num.* 149.

N O T A.

PArum notum fuiſſe videtur hoc Decretum modernis Scriptoribus; plures enim eorum, de tertio S. P. Franciſci Ordine tractantes, ex anteriore quodam Sacræ Congregationis Concilii Decreto, XX. Dec. 1616. emanato, Nobis, jus ad dictum Ordinem recipiendi, competere, cordatè denegant: alii verò, quos Decretum ſuprapoſitum latere non poterat, variè tortis ambagibus illius vigorem enervare affectant. Videantur autem infrà Conſtitutiones Clementis XI. Benedicti XIII. cum prolixiore ſua Nota, & Clementis XII. & quid juris nobis competat, ex iis liquebit.

Indulgentiam plenariam pro Oratione quadraginta Horarum, in Eccleſiis Provinciarum Ultramontanarum inſtituta, confirmat, eamque ad Eccleſias Cathedrales, in quibus per Adventum, vel Quadrageſimam Fratres concionantur, & per eos Oratio memorata inſtituitur, extendit.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs per nos accepto, quod dilecti filii Fratres Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Orationem quadraginta Horarum ad Animarum ſalutem augendam, in Ultramontanis partibus, in Eccleſiis Civitatum, & Locorum, ubi ipſi Conventus habent, inſtituere ſoleant. Nos pium, & ſanctum hujuſmodi, necnon Deo maximè acceptabile opus promovere cupientes, inter alias per noſtras, in ſimili forma Brevis, ſub die XII. Junii M.DC.VIII. expeditas Literas, omnibus utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus, verè pœnitentibus, & Confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta Horarum hujuſmodi in Ecleſiis prædictis ſemel in Anno inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium interfuiſſent, & ibi pro Chriſtianorum Princi-

Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino, ad decennium tunc proximum conceſſimus; prout in dictis Literis, quarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur: Nos dictorum Chriſtifidelium Animarum ſaluti per amplius conſulere volentes, ſupplicationibus, dictorum Capucinorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, omnibus, & ſingulis utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus, qui eidem orationi tam in prædictis, quàm etiam in Eccleſiis Cathedralibus, in quibus iidem Fratres, verbum Dei in Quadrageſimæ, vel Adventûs temporibus prędicabunt, per Eos ſemel in anno, de Ordinariorum Locorum licentia inſtituendæ, ſimiliter per aliquod temporis ſpatium devotè interfuerint, & ibi, ùt prædicitur, oraverint, plenariam & omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in eiſdem Literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque, præſentibus ad quinquennium proximum tantùm valituris. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xxv. Januarii M. DC. XX. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

S. Card. S. Suſannæ.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto Menſis Jan. Anni 1620. *fol.* 230. *de quo Breve formatum in Arch. gener. Ord. Armario* Sacra Congreg. Indulg.

NOTA.

Vide Scholium ad Conſtitutionem primam, hâc de re editam, & ſupra fol. 54. poſitam. Item, & aliàs Conſtitutiones in illo Scholio, ſeu Nota allegatas.

GREGORIUS XV.

Italus, ex Civitate Bononiæ, Alexander Cardinalis de Ludoviſiis antea dictus. Romæ IX. *Feb.* M. DC. XXI. *Summus Pontifex creatus. Obiit* VIII. *Julii* M. DC. XXIII. *poſtquam ſediſſet Annos duos, menſes* IV. *dies* XXIX.

Vivæ Vocis Oraculo.

Auctoritatem P. Miniſtri Generalis ubique Locorum, & in utroque foro integram, & inviolatam permanere debere, derogando Pauli V. ſanctioni declarat.

Nos Franciſcus, Miſeratione Divina, S. R. E. Tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Card. de Sourdis nuncupatus, & S. Sedis Apoſt. Gratia Aquitaniæ Primas, Archiep. Burdigalenſis.

Univerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, lecturis, & audituris fidem facimus indubiam, & in Verbo Veritatis atteſtamur, qualiter Sanctus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Dominus Gregorius Divina Providentia Papa XV. Vivæ Vocis Oraculo. Nobis facto, die XXIX. Menſis Octob. MDCXXI. in Monte Quirinali, apud Sanctam Mariam Majorem, motu proprio, & ex certa ſcientia declaravit, & voluit, ut authoritas Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum integra, inviolata, & æqualis ubique locorum deinceps, in utroque foro remaneat, & conſervetur in omnibus, ſicut hactenus ab initio extitit, non obſtantibus in contrarium illis verbis Decreti Papæ Pauli V. facti in forma Brevis, ſub die XXIX. Menſis Octobris M.DC.XVIII. Videlicet, *Ipſe verò Miniſter Generalis, ſeu Commiſſarius durante viſitatione hujuſmodi graviora non decidat, aut reſolvat, abſque Capitulo Provinciali, ac, niſi ſervata forma præſcripta per librum dicti Ordinis,* Modum procedendi *nuncupatum*: quibus voluit eſſe derogatum, neque obſtantibus in contrarium quibuſcumque aliis. In cujus rei fidem, authoritate ejuſdem Sanctiſſimi Domini nobis oretenus facta, præſentes Literas manu propria ſubſcriptas, noſtroque Sigillo, quo in talibus utimur, communitas dari juſſimus. Datum Romæ die XXIX. Menſis Octobris in Palatio Noſtro S. Petri ad Vincula ſolitæ reſidentiæ, ſub Anno à Nativitate Domini M. DC. XXI. Pontificatus præfati Sanctiſſimi D. N. Gregorii PP. XV. Anno Primo.

Orig. in perg. in Arch. gen. Ord. Tom. H. *num.* 16.

Innovat Conſtitutiones Apoſtolicas fel. rec. Gregorii XIII., & Gregorii XIV., mandatque Ordinariis locorum in Regnis Hiſpaniæ, Franciæ, aliiſque Regnis & Provinciis Italiæ, ne aliis quibuſvis

vis Religioſis cujuſcunque Ordinis, Societatis, & Inſtituti Regularibus, ſub quovis prætextu in poſterum, nomen vel Habitum FF. Capucinorum ſibi uſurpare permittant, ſed ipſas editas Conſtitutiones per Eccleſiaſticas cenſuras, & poenas obſervari faciant.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio, ad ea, per quæ Chriſtifidelium quorumlibet, præſertim ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium quieti, & paci opportunè conſulitur, libenter intendimus, ac in his officii noſtri partes interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Gregorio XIII., & Gregorio XIV. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris emanârunt Literæ tenoris ſubſequentis, videlicet:

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Regularium perſonarum, præſertim exemplarem vitam in humilitatis, & paupertatis ſpiritu ducentium quieti, ac indemnitati, pro commiſſo Nobis paſtoralis officii debito conſulere cupientes, ad ea removenda, quæ ipſis præjudicium adferre, & ſcandali materiam præſtare dignoſcuntur, curam noſtram libenter intendimus. Accepimus ſiquidem, quòd, licèt aliàs fel. rec. Paulus Papa III. Prædeceſſor noſter, per ſuas Literas inter alia diſtrictiùs inhibuerit quibuſvis perſonis, cujuſcunque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ poena, eo ipſo incurrenda, ne Habitum, per Fratres Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum geſtari ſolitum, niſi ſub pro tempore exiſtentis Vicarii Generalis ejuſdem Ordinis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent, & piæ mem. Pius Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter, Literas Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi, ita, quòd nullus, cujuſcunque conditionis exiſteret, non ſolùm Habitum præfatum juxta Literarum Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi tenorem, verùm etiam, nec ita conſimilem, quod propter eum poſſit credi Frater eorum Congregationis, niſi ſub præfati Vicarii Generalis, pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneret, ſub ſimili poena excommunicationis latæ ſententiæ, quoquo modo geſtare præſumeret, per alias ſuas literas confirmaverit, & approbaverit, ac etiam ad id extenderit, nihilominus multi Fratres, Tertiarii nuncupati, Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci nuncupatorum, in Regno Siciliæ degentes, Habitum ejuſdem panni & coloris, quo ipſi Fratres Capucini utuntur, geſtare, & ſalvo quòd Capucium rotundum more Fratrum Conventualium hujuſmodi deferunt, in reliquis ita conſimiles eiſdem Fratribus Capucinis incedere præſumunt, ut paſſim à populo pro Capucinis habeantur, & reputentur, ac illis, tanquam talibus eleemoſynæ, & oblationes elargiantur, non ſine eorundem Capucinorum, qui ea ratione eleemoſynis hujuſmodi ab aliis, ſuo nomine interceptis fruſtrati remanent, præjudicio, & incommodo, ſed etiam gravi dictæ plebis offenſione, & ſcandalo, dum, quos diſciplinæ regulari ipſorum Fratrum Capucinorum mancipatos credit, eis pecuniarum uſum, ac rerum commercium permitti intuetur. Quocirca Nos rationi conſonum eſſe rati, ut, qui in obſervantia vitæ regularis uniformes non ſunt, ab iiſdem etiam Habitûs delatione diſtinguantur, in præmiſſis ad evitandas confuſiones, & contentiones, quæ, niſi Habitus utrinque diſtinguantur, oriri poſſent, providere volentes, ac ſingulas literas Prædeceſſorum hujuſmodi, & in eis contenta quæcunque pro expreſſis habentes, & harum ſerie approbantes, & confirmantes, atque etiam innovantes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus, quòd ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus hujuſmodi Fratres Tertiarii nuncupati, dicti Ord. FF. Min. Conventualium in Regno Siciliæ exiſtentes, & ſub obedientia, & cura dicti Vicarii generalis Capucinorum pro tempore exiſtentis, non permanentes, ad inſtar aliorum Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum Conventualium ibidem degentium, non ſolùm Capucium rotundum, ùt præfertur, ſed etiam Habitum ejuſdem coloris, cujus eſt Habitus dictorum Fratrum Conventualium, videlicet Berrettini nuncupati, ùt propterea à Capucinis Fratribus facilè diſcernantur, deferre debeant, & teneantur, alioquin, ſi ſecus fecerint, poſt ſex menſes, ab intimatione præſentium, pœnas Conſtitutionum Pauli, & Pii prædictorum incurrant eo ipſo. Decernentes præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu, etiam ex eo, quòd intereſſe habentes vocati non fuerint, ſeu quocunque alio prætextu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in jus, vel controverſiam revocari, ſeu adverſus eas, quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, nullo unquam tempore poſſe; Sicque per quoſcunque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus univerſis, & ſingulis dicti Regni locorum Ordina-

 riis,

tiis, in quorum Dioeceſibus Fratres Tertiarii Ordinis Minorum Conventualium hujuſmodi pro tempore degent, per præſentes committimus, & mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Capucinorum prædictorum, vel aliorum, quorum intererit, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, faciant auctoritate noſtra literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, ſublato quocunque exemptionis privilegio, inviolabiliter obſervari: Contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas, aliaſque ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſionibus, ipſas ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quæ omnia adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragarii volumus, contrariis quibuſcunque; etiamſi Fratribus Tertiariis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides ubique in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris, die IV. Octobris M. D. LXXXI. Pontificatus Noſtri Anno decimo.

Gregorius Papa XIV. Ad perpetuam rei memoriam. Beati Franciſci Confeſſoris Sodalitas ab uno fundatore inſtituta, & ad eundem Dei finem ordinata, utriuſque Seraphicæ religionis nomine nuncupata, in plures Sodalitates & membra, Apoſtolica permiſſione dividitur, & quaſi circumamicta varietate, prout pietas diverſimodè ſuadet, corde uno, & anima una Deum colit, & inſtar agri Dominici varios, atque uberes fructus quotidie profert, & diſtinctiores, & abundantiores, ut confidimus, in dies proferre non ceſſat. Sanè, cum ad aures noſtras pervenerit, aliàs fel. rec. Paulum Papam III. Prædeceſſorem noſtrum, inter alia, per ſuas in forma Brevis Literas, quibuſvis perſonis, cujuſcunque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo incurrenda, ne Habitum per Fratres Ord. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum geſtari ſolitum, niſi in eadem Congregatione eſſent, & ſub moderni, & pro tempore exiſtentis Generalis ejuſdem Ordinis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent, diſtrictius inhibuiſſe, & piæ Mem. Pium Papam IV. etiam Prędeceſſorem noſtrum, Literas ejuſdem Pauli Prędeceſſoris confirmando, inſuper non ſolùm, ne Habitum prædictum juxta Literarum ipſius Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi tenorem, verùm etiam, nec ita conſimilem, quod propter eum poſſent credi Fratres Congregationis Capucinorum, geſtare deberent, ſub eadem excommunicationis pœna, eo ipſo incurrenda, prohibuiſſe. Et ſimiliter fel. rec. Gregorium Papam XIII. etiam prædeceſſorem noſtrum, Literas prædeceſſorum hujuſmodi, & in eis contenta quæcunque pro expreſſis habendo, & innovando; Motu proprio, & ex certa ejus ſcientia, eoſdem Fratres, qui Tertiarii ex Ordine Conventualium dicuntur, non ſolùm Capucium rotundum, ſed etiam Habitum coloris berrettini, ſeu ſubcinericii, ad inſtar Fratrum eorumdem Conventualium deferre deberent; ita, ut à Fratribus Capucinis facilè diſcernerentur, ſub eiſdem Pauli III. & Pii IV. pœnis, poſt ſex menſes ipſo facto incurrendis ſtatuiſſe, & ordinaſſe. Verùm, quia iidem Fratres, qui reformati Conventualium dicuntur, ita conſimiles eiſdem Fratribus Capucinis incedere præſumunt, ut paſſim à populo pro Capucinis habeantur, ac illis tamquam Capucinis, eleemoſynæ, & oblationes conferantur, non ſine gravi plebis offenſione, & ſcandalo, dum reputantur Capucini eſſe. Idcircò rationabile exiſtimantes, ut, qui ex inſtituto Regulæ, atque in vitæ regularis obſervantia uniformes non ſunt, etiam Habitûs diſtinctione dignoſcantur; utque Prædeceſſorum hujuſmodi literarum contemptus, & contumacia, ſeverioris diſciplinæ cenſuram inveniat, ad evitandas etiam confuſiones, & contentiones, quæ ex inde oriri poſſent; hac noſtra perpetua valitura Conſtitutione, ſingulas Prædeceſſorum hujuſmodi literas, & in eis contenta quęcunque pro expreſſis habentes, & harum ſerie approbantes, & confirmantes, atque etiam innovantes; Motu etiam ſimili, & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus, hujuſmodi Fratres Reformati

non ſolùm in Urbe, ſed etiam ubique locorum per univerſum Orbem exiſtentes, ut verè, & realiter à Capucinis diſtinguantur, & dignoſcantur, præter Capucium penitùs rotundum, & colorem berettinum, vel ſubcinericium, ùt præmiſſum eſt, etiam Mantellum longius ad Conventualium longitudinem deferre, & Mozzettam latam, & longam, non ſub mantello, ſed ſuprà geſtare teneantur. Inſuper ſtrictiori Capucinorum prædictorum vitæ conſulentes, ne ab eiſdem Reformatis ipſi Capucini admitti, vel recipi poſſint, ſub eadem excommunicationis ſententia, ipſo facto, tam ab ipſis Capucinis receptis, quàm Reformatis recipientibus incurrenda, interdicimus, & prohibemus; Et nihilominus actum ipſum receptionis, & tranſitûs tanquam indebitè factum, ex nunc, prout ex tunc irritum, & penitus nullum eſſe decernimus, & declaramus. Et quoniam ſimiliter accepimus, nonnullos alios, qui ſub Eremitarum vocabulo nominantur, vagos, aut profugos, ac Acephalos ſub nullius obedientia degentes, nec Epiſcoporum juriſdictioni ſe ſubjicientes, ſine aliqua licentia, vel loci aſſignatione, non ſine gravi fidelium ſcandalo huc illuc vagari, eorundem Fratrum Capucinorum Habitum, vel adeo conſimilem geſtantes, ut facilè pro Capucinis reputentur; Motu pari, eoſdem Eremitas, ſine literis dimiſſoriis alicujus ſuperioris Ordinis approbati, de cujus gremio ſint, vel Epiſcopi loci illius, ubi degunt, vagari, aut propriis locis diſcedere non poſſe, & imprimis ab Habitù Capucinorum, eiſdem ſaltem, vel aliis notioribus differentiis diſtingui, & dignoſci debere, omnino præcipimus, & jubemus. Mandantes propterea univerſis, & ſingulis Fratribus Reformatis prædictis, eorumque ſuperioribus, ac ipſis Eremitis Acephalis, & ſine obedientia itinerantibus, præter pœnas, per Prædeceſſores prędictos inflictas, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliiſque gravioribus pœnis, arbitrio noſtro imponendis, ut præmiſſa omnia, & ſingula omni excuſatione, & tergiverſatione poſtpoſita, infra ſex menſium ſpatium, à data præſentium computandum, ſtatim adimpleant, & exequantur. Quod ſi facere diſtulerint, vel neglexerint, eos per Almæ Urbis Vicarium noſtrum hìc in Urbe, ejuſque diſtrictu, ac per locorum Ordinarios, ubi Fratres prædicti reperientur, per carcerationem, aliaque opportuna juris, & facti remedia, prout contumacia cujuſque exegerit, cogi, & compelli poſſe, ac debere volumus, & jubemus. Et nihilominus irritum, & inane decernimus, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, ve ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, regula noſtra, de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & utrarumque Regularum, ſive Ordinum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, regulis, inſtitutis, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolis Fratribus, & Eremitis prædictis, eorumque Superioribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides ubique in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ in Monte Quirinali ſub Annulo Piſcatoris Die VI. Julii MDXCI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Cum itaque, ſicut dilectus filius Procurator Generalis eorundem Fratrum Capucinorum totius Ordinis hujuſmodi nomine, Nobis nuper exponi fecit, nonnulli in Hiſpaniarum, Galliæ, & aliorum fortaſſe Regnorum, & Provinciarum, necnon in aliquibus Italiæ partibus nomen, & Habitum eorundem Fratrum Capucinorum ſibi vendicent. Nos pręmiſſis, quantùm cum Domino poſſumus, obviare volentes, ſupplicationibus ejuſdem Procuratoris nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; De venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpoſitorum conſilio, locorum Ordinariis in eiſdem Regnis, & Provinciis exiſtentibus, per præſentes committimus, & mandamus, ne Nomen, vel Habitum præfatorum Fratrum Capucinorum ab aliis quibuſvis Religioſis, ſeu cujuſcunque Ordinis, Societatis, vel Inſtituti Regularibus, ſub quovis prætextu in poſterum ſibi vendicare, aut uſurpare permittant, ſed Conſtitutiones Apoſtolicas dictorum Gregorii XIII. & Gregorii XIV. Prædeceſſorum hujuſmodi per Eccleſiaſticas cenſuras, & pœnas obſervari faciant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides ubique in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IX. Decembris. MDCXXI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

S. Card. S. Suſannæ.

Breve formatum in Arch. gen. Ord. To. C. n. 125.

N O T A.

(a) *Cit. in Bull. P. P. Prædic. To. 1. fol. mihi 138.*

ZElum, quo ſervandam Habitûs diſtinctionem Patres noſtri ſemper urgebant, nemo miretur; cum enim juxta PP. Innocentium IV. (*a*) *Confuſio Habitûs ſæpe inducat confuſionem Ordinum, & etiam animorum*, ii, ut inter Ordines ſtabiliretur Ordo charitatis, abuſum noſtri Habitûs tolli curârunt. Huic cum Reverendiſſimi DD. Ordinarii aliquoties conniverent, noſter P. Hieronymus à Caſtro Feretrorum, tunc Procurator Generalis (de quo ſuprà fol. 60.) remedium ſuprapoſiti Brevis imploravit, & obtinuit, cujus ſidimatum tranſumptum cuilibet Ordinis Miniſtro Provinciali tranſmiſit, cum Epiſtola tenoris ſequentis.

Reverende Pater.

CApucium, Habitus, Mantellus, Chorda & Soleæ, ſeu Sandalia, quæ nos Capucini portamus, gemmæ ſunt, & reliquiæ Paupertatis S. P. N. FRANCISCI, quarum ſemper, ab initio Reformationis, uſque in hunc diem fuimus poſſeſſores. Verumenim verò, cum harum gemmarum, & Reliquiarum poſſeſſio (uti diximus.) ſemper noſtra fuerit, nulla ratio vult, nec ORDINARIUS QUISPIAM permittere debet, ut alii Religioſi qualeſcunque harum invaſores & poſſeſſores exiſtant. Et quia in diverſis partibus Italiæ, Portugalliæ, Hiſpaniæ, Galliæ & Germaniæ plures Regulares variorum Ordinum has reliquias invaſerunt, & defacto poſſeſſionem acceperunt, in grave noſtrum damnum, & præjudicium. Et quod amplius eſt, non deſunt, qui & ipſum nomen Capucinorum eripiunt; imò (quod pejus eſt) nomen Capucinorum Reformatorum ſibi adſcribunt. Hinc eſt, quod pro remedio opportuno ſæpius recurſum ſumpſi ad Sanctitatem D. N. Papæ & ad Sanctam Congregationem Cardinalium ſupra Regulares; & tandem obtinui Breve, cujus tranſumptum mitto non ſolùm ad P. Veſtram, ſed ad omnes & ſingulas Provincias Ordinis noſtri. Supereſt, ut R. V. ſervet hæc. Tranſumpta, &, ubi neceſſe fuerit, iis utatur, & DD. Ordinariis exhibeat, ad quos deſtinantur, ut videre eſt in ipſo Brevis Apoſtolici titulo, Româ 22. Februarii 1622.

R. P. V.

Servus in Chriſto Fr. Hieronymus à Caſtello Ferettorum Procurator Curiæ.

Aſſervantur Originalia in variis Provinciarum Archivis & eorum Exempl. in Arch. gen. Ord. Tom. C. num. 125.

POſt aliquot annorum lapſum, cum nova contra Pontificias Conſtitutiones prætactas gliſcerent tentamina, fuit illarum memoria, & plenior obſervantia refricata Monitoriò, expedito coram tunc Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo DD. Chriſtophoro Vidman Cameræ Apoſtol. Auditore Generali &c. per Acta Cæſaris Columna Curſ. & Cauſ. Cameræ Apoſtolicæ Notarii, ſub die XXX. Menſis Mart. MDCXLIV. ſedente Sanctiſſimo D. N. P. Urbano VIII. Anno illius XXI. prout ſequitur:

CHriſtophorus Vidman Prothonotarius Apoſtolicus, Utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Referendarius, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, Sententiarum quoque & Cenſurarum, tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, & literarum Apoſtolicarum quarumcunque, univerſalis, & merus Executor, ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter electus, & deputatus, univerſis, & ſingulis, Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis, Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Vicariis, & præſertim Reverendiſſimo Domino Vicario Generali Sipontino, necnon Reverendiſſimis Dominis Dominis Abbatibus, Prioribus, Decanis, & Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, aliiſque; Sacriſtis, necnon Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus, & aliis Miniſtris, & Officialibus quibuſcunque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu præſentabuntur, Salutem in Domino, & noſtris hujuſmodi imò veriùs Apoſtolicis, firmiter obedire mandatis.

Noveritis, qualiter die infraſcripta, coram Nobis, & per acta infrà ſcripti noſtri Notarii Comparitum pro parte & ad inſtantiam Reverendiſſimi Domini Simpliciani de Mediolano, Procuratoris & Commiſſarii Capucinorum, & inſtatum pro inviolabili obſervatione, paritione, & executionis demandatione Brevis Gregorii XV., omniumque contentorum, & expreſſorum in eo, tenoris ſequentis, videlicet:

Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto Nobis Apoſtolicæ Servitutis Officio, *reliqua, uti ſupra....*

Inſtanter, & debitè requiſiti, vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis ac Veſtrûm cuilibet in ſolidum committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis & receptis præſentibus ſub eiſdem ſententiis, &, poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrûm fuerit requiſitus, ex parte Noſtra, imò veriùs, auctoritate Apoſtolica moneatis, & requiratis, prout Nos monemus, & requirimus omnes, & ſingulos in executione præſentium nominandos, & cognominandos, quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, & ultimo peremptorio termino, & monitione canonicâ aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem, eiſque ſub quingentorum ducatorum auri in auro R. Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & pro illius Mandati executione, in juris ſubſidium excommunicationis, quatenus opus ſit, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & Pœnis debeant, & quilibet ipſorum debeat, & ad quos intereſſe concernit, præinſertum Breve, omniaque, & ſingula in eo contenta, & expreſſa, ad unguem obſervâſſe, paruiſſe, & debitæ executioni demandaſſe, & ab omnibus obſervari, & executioni demandari feciſſe, & juxta illius tenorem, ſeriem, & formam proceſſiſſe, & ad alia remedia deveniri vidiſſe, & audiviſſe, & pro præmiſſis quaſcunque ſententias, decreta, & mandata neceſſaria, & opportuna promulgari, ferri, fieri, decerni, & relaxari vidiſſe, alioquin prænominati, ſic moniti, ſi ex

præmiſſis

præmiſſis ſe forè gravatos ſenſerint, modo & formâ præmiſſis, peremptoriè citetis, prout citamus eoſdem, quatenus trigeſimâ die, ab executione præſentium computanda, compareant Romæ judicialiter, coram Nobis, vel noſtro in Civilibus Locumtenente per ſeſe, vel per Procuratorem, ſeu Procuratores ſuos idoneos, cauſam eorum gravaminis allegaturi, aliaque dicturi, facturi, & oſtenſuri, juſtitiamque, prout ordo dictaverit rationis, aſſecuturi, certificantes eoſdem nihilominus ſic citatos, quod ſive in dicto Citationis termino, ut præmiſſum eſt, comparuerint, ſive non, Nos nihilominus, vel Locumtenens noſter prædictus ad hujuſmodi cauſæ expeditionem, & deciſionem, necnon ad omnes, & ſingulos actus, & terminos ſubſtantiales, uſque ad ſententiam diffinitivam incluſivè, etiam lite non conteſtata, procedemus, ſive procedet juſtitiâ mediante: abſolutionem verò omnium, & ſingulorum Nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus noſtris, Anno à Nativitate Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo quarto indictione duodecimâ, Die verò Trigeſimâ Menſis Martii, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Urbani Divina Providentia Papæ Octavi Anno Vigeſimo Primo.

C. Vidman Auditor.

Loco ✠ Sigilli.

Cæſar Columna Cur. Cauſ. Cameræ &c.

Exemplar Authent. in Arch. generali ord. Tom. C. *num.* 140.

Ulteriora de hac re videnda ſunt inter Conſtit. Papæ Urbani VIII. & in Indice generali Verbis *Habitus, Capucium, Calopodia.*

Indulgentiam plenariam, die ſecunda Auguſti pro noſtris Eccleſiis ad perpetua futura tempora concedit.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SPlendor paternæ gloriæ, qui ſua Mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium, de clementiſſima ejus Majeſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes, & ſingulas Eccleſias Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ubique exiſtentium, aliquo ſpirituali munere illuſtrare; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex dictis Eccleſiis in ſecunda die menſis Auguſti, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Octobris M. DC. XXII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

S. Card. S. Suſannæ.

Breve formatum, & ejuſd. exempl. Authent. in Arch. generali Ord. Armar. Sac. Congreg. Indulgentiarum.

N O T A.

VIdeantur & Conſtitutio Innocentii XI. quâ Indulgentiam hanc Defunctis per modum ſuffragii applicari poſſe, in perpetuum pariter conceditur, & Decretum Benedicti XIII. quo tempore Jubilæi univerſalis Indulgentiam hanc in Eccleſiis noſtris non ſuſpenſam eſſe, tunc declaravit.

Vivæ Vocis Oraculo

Declarat, quod ſua Conſtitutio, *Romanus Pontifex*, Papalium Oraculorum revocatoria, res Ordinis Noſtri non afficiat.

CUM propter Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Gregorii XV. Conſtitutionem, quæ incipit *Romanus Pontifex in Specula &c.* & revocat Vivæ Vocis Oracula, varia in multis Provinciis naſcerentur dubia, ex præſuppoſito, & reflexione, quod multa â nobis ſub-et ex ratione Pontificii Oraculi praticarentur, hinc, tam ex præſuppoſito in ſe, quàm ex motivo Provinciarum dubitantium, factus eſt recurſus ſexto menſis Februarii 1623. ad Sanctiſſimum. Et re-

Et reſolutio reſponſionis fuit, quod ob rationes expoſitas, tenor prædictæ ſuæ Conſtitutionis in Ordinis Noſtri rebus nullum deberet habere locum. Quapropter, ut reſolutionis hujus memoria perpetuetur, Nos Fr. Hieronymus â Caſtello Feretti Procurator Generalis hanc Scripturam in Archivo noſtro aſſervandam confecimus, quam & propriæ manûs charactere ſubſcripſimus, & Officii noſtri Sigillo munivimus hodie x. menſis, & anni ſuprà dictorum.

L. ✠ S.

Fr. Hieronymus præfatus.

Orig. in Arch. gen. Ord. Tom. E. *num.* 34.

Ludovicum Cardinalem Ludoviſium, ſuum ex Germano Fratre Nepotem, & S. R. E. Vice-Cancellarium, Ordinis Protectorem conſtituit.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Ludovico Tituli S. Laurentii in Damaſo Presbytero Card. Ludoviſio nuncupato, S.R.E. Vice-Cancellario, Noſtro ſecundum Carnem ex Fr. Germano Nepoti.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte &c. Cum per obitum B. M. Alexandri Epiſcopi Albanen. Card. Montalti nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, dum vixit, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectoris nuper apud Sedem eandem defuncti, Ordo prædictus Protectore deſtitutus remanſerit; Nos eidem Ordini de idoneo Protectore providere volentes, ac de Tuæ circumſpectionis ſingulari prudentia, integritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, motu proprio, non ad tuam, vel alterius, pro te Nobis ſuper hoc oblatæ, petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Te, ex cujus protectione, ob tuas eximias virtutes, Ordinem præfatum plurimùm commodi, & ornamenti ſuſcepturum eſſe confidimus, prædicti Ordinis univerſi, illiuſque Domorum, & Locorum Regularium, ac Religioſorum quorumcumque apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem, cum omnibus facultatibus, juriſdictionibus, honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, ac quibus alii ante Te dicti Ordinis Protectores uſi ſunt, ac uti quomodolibet potuerunt, ſeu etiam debuerunt, ad Tui vitam, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium facimus, & deputamus. Volumus autem, & tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut Superiorum dicti Ordinis authoritatem, quantum fieri poterit, conſervare cures, & propterea, ſi ipſi Superiores eorum officio debitè ſatisfecerint, ac gubernio, & regimini ſubditorum ſufficienter incubuerint, tunc in negociis eorundem Religioſorum Te non immiſceas. Quando autem vel ab ipſis Superioribus requiſitus fueris, ut in eiſdem negotiis authoritatem tuam interponas, vel neceſſe fore cognoveris, ut eandem authoritatem tuam in eiſdem negotiis exerceas, tunc id liberè facere poſſis, ſed, quoad potueris, per Te ipſum hoc facere cures, adhibito ad ſcribendum, quando opus fuerit, in eiſdem negotiis, ſeu cauſis, loco Notarii, aliquo ex Regularibus ejuſdem Ordinis. Mandantes propterea præfatis ſuperioribus, & aliis Religioſis quibuſcunque ejuſdem Ordinis in Virtute Sanctæ Obedientiæ, ut Te in eorum Protectorem juxta tenorem præſentiũ recipiant, ea, qua debent, reverentia, &c. contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Cæterùm Te in Domino hortamur, ut hujuſmodi Protectoris munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum bonorum operum Retributorem, æternum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. Die XIII. Junii MDCXXIII. Pont. Anno decimoquinto.

Exemplar in Archivo gen. Ord. Tom. H. *num.* 26.

NOTA.

Fuit hujus Eminentiſſimi Cardinalis *Protectio fortis*, cum characteri Protectoris univerit titulum *Amici*, augendis noſtræ Religionis commodis ſpecialiſſimè addicti, & cum Fratribus familiariùs converſari dignantis.

URBANUS VIII.

Italus ex Urbe Florentiæ, *Maphæus Cardinalis de Barberinis antea dictus*, *Romæ* VI. *Auguſti* M. DC. XXIII. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XXIX. *Julii* M.DC.XLIV. *poſtquam ſediſſet Annos* XX. *menſes* XI. *dies* XXIV.

Fr. Antonium, Provinciæ Tuſciæ Guardianum, & ſuum ſecundum carnem Fratrem Germanum, ſibi de exaltatione ad Pontificatum gratulantem, Romam aſciſcit.

A tergo. *Dilecto Filio Antonio Barberino Sacerdoti Capucino*, *noſtro ſecundùm carnem Germano Fratri.*

URBA-

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AGnoſcimus in gratulatione tua Germani Fratris amorem, & Religioſi Sacerdotis obſequium: ſed, quò magis multi noſtrâ dignitate lætantur, eò Nos gravioribus curis conficimur. Exterret nos, qui alios oblectare ſolet, applaudentium favor; videmus enim, quàm difficile ſit tantam Chriſtiani Orbis machinam ſuſtinere, vires noſtras propriæ imbecillitatis conſcientiâ, non Populorum gratulantium ſtudiis perpendentes, freti tamen ejus Potentia, qui ad oſtendendas miſericordiæ ſuę divitias nobis Pontificium onus (Angelicis humeris formidandum) impoſuit, de Chriſtiana Republica non deſperamus. Quamvis enim Principatum hunc, Trinitatis Vicarium, & Regum obſequiis venerabilem, ab ægrotantis corporis doloribus auſpicati ſimus, non tamen obliviſcimur, quæ ſit Omnipotentis Clementiæ vis, infirma non raro eligentis, ut fortia confundat. Eam ergo aſſiduis precibus, ac ſupplicationibus pro Nobis deprecare, ut brachium ſuum ſupponat, ne cum Eccleſiæ dedecore, & gentium ruina collidamur. Sanè vix dici poteſt, quantùm Nobis ſolatii afferant piæ preces Religioſorum Fratrum tuorum, qui ſeveriori Divi Franciſci diſciplina imbuti, & in Sacris Chriſtianæ pœnitentiæ Caſtris militantes, membra ſua exhibent, non arma iniquitatis peccato, ſed arma Juſtitiæ Deo, ut & viventia Spiritûs Sancti Templa ſint.

Cæterùm huc venientem paternæ charitatis brachiis complectemur, contemptorem opum, & gloriantem in Cruce Domini Noſtri Jeſu Chriſti: Speramus enim Te privatæ utilitatis oblitum, Nobis eorum conſiliorum copiam ſuppediturum, quæ nullis mortiferæ adulationis venenis infecta ſint. Apoſtolicam Benedictionem tibi, atque iſti Cœnobio intimo cordis affectu impertimur; Orantes Patrem miſericordiarum, ut ſacros veſtros labores publicæ pietatis incremento conſoletur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die ſecunda Septembris M.DC.XXIII. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Exempl. Tom.2. Capit. generalium fol. 122.

Ut Fratres Strictioris Obſervantiæ per Italiam, depoſitis Soleis, ad diſtinctionem Capucinorum, Calopodia reaſſumant, præcipit: utque Fratres Recollecti Galliæ, depoſito Capucio acuminato, Capucium rotundum, & largiorem Mozzettam portent, Apoſtolicis memorati Regni Nuntiis exiſtentibus, & exituris, curandum committit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

IN ſupremo Apoſtolatûs ſolio, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione conſtituti, circa ſtatum religioſorum Ordinum quorumcumque, in Eccleſia Dei militantium proſperè dirigendum, mentis noſtræ aciem aſſiduè intendimus, eaque ſtatuimus, & ordinamus, per quæ proſpero, felicique eorum ſtatui, atque directioni conſulitur, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque cauſa inter dilectos filios Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinos nuncupatos ex una, ac Fratres ejuſdem Ordinis Strictioris Obſervantiæ ex altera, partibus, de, & ſuper reaſſumptione Calopodiorum, & diſtinctione Habitûs ad præſcriptum Bullarum, per diverſos Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros emanatarum, diu agitata, ac de mandato noſtro in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum iterum propoſita, per eoſdem Cardinales auditis partibus, viſiſque ſcripturis maturè, & diligentiſſimè perpenſa, & examinata fuerit, Nos eorumdem Religioſorum paci & quieti, felicique, ac proſperæ directioni, quantùm in Nobis eſt, providere volentes, de eorundem Cardinalium conſilio, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eiſdem Fratribus Strictioris Obſervantiæ, quatenus Calopodia reaſſumere, ſoleaſque ubique, per totam Italiam deponere, nec eas in poſterum recipere debeant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon quoad Superiores, etiam ſuſpenſionis ab officiis ipſo facto incurrendis pœnis, tenore præſentium injungimus, ac inſuper locorum Ordinariis, ut in caſu tranſgreſſionis, Regulares Strictioris Obſervantiæ prædictos ad id cogant, & compellant. Quò verò ad ejuſdem Ordinis Fratres Recollectos nuncupatos Galliæ, qui non deferunt ſoleas, ſed Calopodia, cum conſtet eos Capucium aliquantiſper acuminatum deferre, Venerabili Fratri Bernardino Archiepiſcopo Damiaten. moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regno Franciæ Nuncio per præſentes ſimiliter mandamus, ut opportunè curet, quod omnino rotundum capucium, mozzettamque largiorem aſſumant. Præterea ad pleniorem, certioremque

que proviſionem, inhærendo præſertim Literis fel. rec. Clementis VII. & Gregorii XIII. Romanorum Pontificum, etiam Prædeceſſorum noſtrorum, per eaſdem præſentes pariter mandamus, prædictos Fratres Strictioris Obſervantiæ non moleſtari, quin vilioribus, & repetiatis pannis, & deſpecto colore utantur, ſed volumus ſub eiſdem pœnis, quod eorum forma Habitûs, quoad Caputium rotundum, Mozzettam latam, & Mantellum perpetuò protenſum, ſit & eſſe debeat obſervantiæ Fratribus omnino conformis, illumque intra duos menſes aptare, ac geſtare debeant, atque ita per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem Fratribus Strictioris Obſervantiæ, illorumque Superioribus, & quibuſvis aliis ſub quibuſcunque tenore, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die x. Januarii M. DC. XXIV. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

V. Theatin.

Breve formatum, & plura ejuſdem Exemplaria Auth. *in Archivo gen. Ord. Tom.* C. *num.* 134.

N O T A.

Conſtitutioni huic quoad PP. Strictioris Obſervantiæ variè derogatum eſt: ea autem, quæ circa PP. Recollectos Galliæ ulteriùs acta fuêre, videbuntur in Bullarii Tomo, Bullas, & Brevia Provinciarum Gallicarum continente.

Confirmat Decretum S. Cong. Concilii, editum contra nonnullos Epiſcopos, à Miniſtris Provincialibus prætendentes, ut in literis, quibus ſuos Clericos ad S. Ord. recipiendos mittunt, non ſolùm ipſis (Epiſcopis) obedientiam ſpondeant, ſed etiam juridicam fidejuſſionem præſtent de ſubminiſtrando talibus Fratribus Ordinatis victu, & veſtitu, in hypoteſi, quod vel Religionem deſererent, vel ab ea deſererentur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nomine dilecti filii Miniſtri Provincialis Provinciæ Flandriæ Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper expoſitum fuit, quod aliàs à Ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini Interpretibus emanavit Decretum tenoris ſubſequentis, videlicet:

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

Libellus Supplex S. Congreg. porrectus.

Provincialis Capucinorum Flandriæ refert aliquos Epiſcopos prætendere, ut in literis, quibus ipſe ſuos Fratres ordinandos tranſmittit, exhibeat reverentiam, & obedientiam Epiſcopis, & ampliùs præſtet juridicam fideijuſſionem ſubminiſtrandi Victum, & Veſtitum iis, quos apoſtatare, aut aliàs à Religione dimitti continget. Quæ cum nova ſint, & inaudita, ne quod Religioni præjudicium inferatur, ſupplicat, ut declaretur, An ipſe poſſit ad hoc compelli, nec ne?

Sacra Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Provincialem Capucinorum in literis dimiſſoriis, quas ſuis Fratribus concedit ad Ordines ſuſcipiendos, nequaquam cogi poſſe ab Epiſcopis ad reverentiam, & obedientiam illis exhibendam, aut ad hujuſmodi fidejuſſionem præſtandam, nec ullum pium Antiſtitem debere, aut tuta conſcientia poſſe ab eorundem Fratrum ordinationibus hoc ſolo prætextu abſtinere, quod ea formula exhibendi Epiſcopo reverentiam, & obedientiam, ſervata, vel fidejuſſio præſtata non fuerit. Coſmus Cardinalis de Torres.

Loco ✠ Sigilli

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Miniſter Provincialis prædictus plurimùm cupiat Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſervantia, Apoſtolicæ confirmationis patrocinio communiri; ideò Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ejus votis hujuſmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Miniſtrum Provincialem prædictum

dictum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Decretum præinſertum hujuſmodi, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos, tam Juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus; ipſumque Decretum, ac omnia, & ſingula in eo contenta ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari: ſicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere volumus, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, â quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis, gratiis, & Indultis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Maii M. DC. XXV. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſt. menſis Junii Anni 1635 fol. 185. de quo exemplar in Arch. gen. Ord. Tom. S. num. 11.

A' Sancto Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Tribunali PP. Miniſtris Provincialibus Provinciarum Ultramotanarum facultas conceditur, in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, contra ſuos Subditos procedendi.

Feriâ quintâ Die tertia Julii MDCXXV.

IN generali Congregatione Sacræ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Urbano, Divina Providentia Papa Octavo, ac Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra Hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa prædictus inhærendo decreto fel. rec. Pauli Papæ V. ſub die 11. Ianuarii anni M. DC. VII. conceſſit facultatem RR. PP. Provincialibus ultra Montes, Ordinis Capucinorum, procedendi contra ſuos ſubditos in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus in locis, ubi hæreſes impunè graſſantur, & Sanctum Officium Inquiſitionis, nec per Inquiſitores, nec per locorum Ordinarios exercetur.

Joan. Antonius Thomaſius S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Exempl. Authent. in Arch. gener. Ord. Tom. A. *num. 6.*

N O T A.

POnitur hoc Decretum, quantumvis illud ad Provincias Ultramontanas privativè pertineat, in ſerie rerum, S. Ordinem generaliter concernentium, ob varios fines, & ſpecialiter ob ipſam ſui relevantiam. Eſt illud confirmatorium Decreti, â glor. mem. Paulo V. emanati poſt publicatam ſuam Conſtitutionem *Romanus Pontifex*, quâ indefinitè Superioribus Regularium, omnis facultas, cauſas ſuorum ſubditorum ad S. Inquiſitionis Officium ſpectantes, cognoſcendi fuit ablata. Informatus autem poſtea Sapientiſſimus Pontifex, quod hæc ſua Conſtitutio non poſſet ſortiri effectum, ab ipſo intentum, tam, quod in pluribus Chriſtiani Orbis partibus hæreſes graſſarentur impunè, tàm, quod in aliquibus earum, S. Inquiſitionis Officium non exerceretur, ſpeciale condidit Decretum ſub die 11. Januarii anni 1607., quo Superioribus noſtri Ordinis in Provinciis Ultramontanis, ubi memoratum S. Officium non vigeret, cauſas ſuorum ſubditorum &c. cognoſcendi, facultatem tribuebat, prout noſter P. Hieronymus à Caſtro Ferettorum, tunc Ordinis Procurator Generalis per Literâs circulares, quarum Originalia paſſim in Provinciarum Ultramont. Archivis adhuc inveniuntur, hiſce intimavit ſub ſequente tenore.

Sciendum inſuper eſt R. P. V., quòd ab ipſa Sacra Congregatione S. Officii Inquiſitionis expreſſus mihi datus ſit ordo notificandi R. P. V. prout cum præſentibus eidem notifico, Mentem Sanctitatis Suæ eſſe, ut prædicta ſua Conſtitutio locum duntaxat habeat in partibus, in quibus hæreſes ab Inquiſitoribus puniuntur, & non in iis, in quibus ex eò, quod Inquiſitores ibi non ſint, manent ſine punitione. Inculcatum mihi inſuper eſt Eidem intimare, ſicut intimo, ut caſu, quo cauſa talis ab Ea fuiſſet cognita, me deſuper, quamprimum fieri poterit, certiorem reddat, & pariter ejuſdem Succeſſores, certiores reddant Procuratores pro tempore exiſtentes.

Sicut autem talis facultas æquè neceſſaria, ac utilis ſemper magis fuit judicata, non tam, ut Fratres non contaminarentur, quàm, ut contaminati, ab errore citiùs purgarentur, ita Decretum Pauli V. ad inſtantias Patris Franciſci Januenſis, pariter Procuratoris Generalis fuit roboratum Decreto, ante Notam poſito, & Provinciis communicato, cum literis ſensûs ſequentis:

Tranſmitto R. P. V. tranſumptum authenticum alterius Decreti S. Officii Inquiſitionis, à me, ad inſtantias variorum Patrum Provincialium Ultramontanorum procurati, vigore cujus Patres Provinciales cognoſce-

re poſſunt cauſas ſuorum ſubditorum ad Sanctum Officium ſpectantes, non obſtante Conſtitutione fel. rec. Pauli Papæ V. incipiente Romanus Pontifex. *Decretis hiſce ſe conformabit in occurrentiis, modo conveniente: notumque ſit Eidem pariter, eſſe pro ſimilibus caſibus declaratum, quod, etiamſi auctoritas hæc nominatim ſit conceſſa Provincialibus, intelligatur etiam conceſſa iis, qui loco Provincialium, curam Provinciarum habent, vel ſunt Provincialium Superiores. Romæ VI. Auguſti M. DC. XXV.*

Cumque paucos poſt annos emergeret caſus practicus, & Superiores Provinciæ N. Cauſam Clerici N. ſui Subditi, in materia, de qua agitur, viâ facti cognoſcerent, Smus Pontifex ſuo Brevi deſuper edito, & in Archivo generali *Armario*, *S. Inquiſitionis Officium* copialiter aſſervato, inſerens hæc verba: *Et cauſa hujuſmodi cognitio apud Superiores Ordinis prædicti, ad quos de jure ſpectat, examinabatur,* Decretum ſuum ſolidiſſimè confirmavit.

Putabatur quidem à nonnullis, quod Privilegium, nobis ab utroque Summo Pontifice conceſſum, poſſet eſſe infirmatum Decreto felicis rec. Alexandri VII. incip. *licèt aliàs* edito XVI. Julii M. DC. LX., Conſtitutionem Pauli V. *Romanus Pontifex* confirmante, & conſequenter noſtris Superioribus, S. Officii cauſis ſe immiſcere inhibente. Verùm, cum in talibus non ſolùm ſit attendenda lex, ſed & finis à Legiſlatore intentus, & hic in Legiſlatore Papa Alexandro (prout in toto Decreti decurſu patet) alius non fuerit, quàm, ut quædam exoticæ interpretationes, aut opiniones circa obligationem denuntiandi coram S. Officio, à Paulo V. injunctam exortæ, quibus nonnulli aliis denuntiare diſſuasêre, alios impedivêre &c. tollerentur, Decretum Alexandri facultati noſtræ non præjudicat; hoc enim Conſtitutionem Paulinam hac in parte duntaxat confirmat, & explicat, non autem abrogat privilegium, gratioſè conceſſum, præſertim, cum talis confirmatio non extendatur ad ea, quæ extra Bullam ſunt, & diſparata, quantumvis aliquo modo connexa, uti ſunt duo Decreta allegata, niſi expreſsè, & ſpecificè extendatur, derogando privilegio dato explicitè; Quod cum ab Alexandro factum non ſit, etiam liberè ſemper Religio hoc exercuit.

Imò noviter fuit confirmatum tempore S. Mem. Clementis XI. quo Provincialis N., ab Epiſcopo N., quod ſubditum in materia ad S. Officium ſpectante puniviſſet, hîc Romæ denuntiatus, causâ maturè examinatâ, innocens fuit declaratus, Decreto ſequenti:

Feria Tertia Die Decima ſexta Decembris M. DCC. VI.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino Clemente Divina Providentia Papa XI., ac Emis, & Rmis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Lecto ſupradicto Memoriali, Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa prædictus, auditis Votis Emorum mandavit, Oratorem non eſſe moleſtandum.

Joſephus Bartolus S. Rom., & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Multum quidem contra eum urgebatur, quod inhæſerit Decreto Urbani, privilegium ſuum limitantis ad loca duntaxat: *ubi hæreſes impunè graſſantur, & S. Officium Inquiſitionis, nec per Inquiſitores, nec per locorum Ordinarios exercetur*. Et prætendebatur, quòd hæc Verba copulativè, & non disjunctivè, deberent ſumi, ita, ut ſenſus eſſet, facultatem hanc in locis duntaxat vigere, ubi S. Inquiſitionis Officium non exerceretur, & *ſimul*, ubi hæreſes impunè graſſarentur. Ex quo inferebatur, quod, cum in aliquibus partibus Ultramontanis, vel in Provincia N., etiamſi ibi non eſſet Officium Inquiſitionis, hæreſes tamen impunè non graſſarentur, cum ſimpliciter ibi non eſſent, P. Provinciali, Decretum Urbani VIII. non poſſet favere. At, cum fuiſſet repoſitum; *Primo* quòd interpretatio Decreti reſtrictiva, in illis partibus nunquam fuiſſet audita, & quod literæ noſtri Patris Hieronymi ſimpliciter ponerent (*ubi non viget Inquiſitionis Officium*) nullâ factâ mentione de copulatione hæreſeos, impunè graſſantis; *Secundo*, quòd, etiamſi in aliquibus Germaniæ locis, hæreſes impunè non graſſarentur, cum ſimpliciter ibi non ſint, Hæretici tamen paſſim, & conſtanter Catholicis eſſent permixti, ac liberè, & impunè cum hiſce conviverent &c. Eminentiſſimi Inquiſitores acta Patris Provincialis, & ita Decreta Pauli V., & Urbani VIII. adducto Decreto confirmârunt.

Ut autem, ubi Ordo tam inſigniter à S. Sede privilegiatur, obediens ad hujus monita habeatur attentio, ſuperiores ex literis P. Hieronymi Procuratoris Generalis meminiſſe oportet, quod, ubi ab iis cauſam talem cognitam eſſe contigit, P. Procuratori Curiæ, pro tempore exiſtenti, acceleratam dare notitiam non negligant. Cumque in Decreto Urbani VIII. auctoritas hæc judicativa nominatim detur duntaxat PP. Provincialibus, notandum eſt, quòd hoc debeat intelligi juxta circulares R. P. Franciſci Procuratoris Generalis in ſenſu amplo, id eſt, de Provincialibus, vel de iis, qui horum loco curam Provinciarum habent, vel qui Provincialium ſuperiores ſunt, uti Commiſſarii, vel Viſitatores Generales.

Documenta, quæ in hac Nota adducuntur, vel Originaliter, vel aliàs authenticè inveniuntur in Archivo Ordinis, *Armario Offic. S. Inquiſitionis*.

Ad inſtantias P. Miniſtri Generalis concedit, ut Officium S. Conradi, Tertii Ordinis S. P. FRANCISCI, ab omnibus, & ſingulis Ordinis Minorum S. FRANCISCI Religioſis, ſub ritu Semiduplici in ejus die Feſto recitari poſſit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui ſervos ſuos æternæ gloriæ præmio donat in Cælis,

lis, vices, quamquam immeriti, gerentes ex injuncto Nobis paſtoralis officii debito procurare tenemur, ut eorundem ſervorum Chriſti debita veneratio in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis ſuis: quamobrem fidelium quorumlibet, præſertim verò ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium votis, quæ peculiarem Sanctorum hujuſmodi cultum reſpiciunt, libenter annuimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè nomine dilectorum Filiorum Miniſtri Generalis, ac Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper fuit expoſitum, quod ipſi ex peculiari, quem erga Sanctum Conradum Tertii Ordinis ejuſdem Sancti Franciſci, dum vixit, profeſſorem, gerunt devotionis affectum, &, ut alios Chriſtifideles ad ejuſdem devotionis ſtudium accendant, Officium de eodem Sancto Conrado, die ejus Feſto ſub ritu Semiduplici recitare poſſe ſummoperè deſiderant; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut de opportuna in præmiſſis licentia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Miniſtri Generalis, & Fratrum prædictorum laudabile ejuſmodi deſiderium plurimùm in Domino commendantes, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum conſilio, ut de eodem Sancto Conrado, die ejus Feſto, ab omnibus, & ſingulis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Religioſis ubique exiſtentibus Officium ſub ritu Semiduplici, de Communi unius Confeſſoris, non Pontificis, juxta Rubricas Breviarii Romani recitari liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Septembris MDCXXV. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

V. Theatin.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Reg. Menſ. Jun. Anni 1625. *fol.* 508. *de quo Breve formatum in Arch. gener. Ord. Tom.* H. *n.* 33.

Ut Venerabilis Dei Servus, Felix à Cantalicio, Beatus, nuncupetur, Ejuſdem Beatificationis Solemnia publicè peragantur, ac Officium, & Miſſa de Eo variis in locis, & Eccleſiis dicantur, decernit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

In ſpecula militantis Eccleſiæ, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, nullis licèt noſtris ſuffragantibus meritis, divina Providentia conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sanè pro parte dilectorum Filiorum, Nobilium Virorum, Maximiliani Bavariæ, Sac. Rom. Imperii Principis Electoris, ac Caroli Lotharingiæ Ducum reſpectivè, necnon Franciſci à Lotharingia Comitis Vademontani, dilectarumque in Chriſto Filiarum Nobilis mulieris Eliſabethæ Bavariæ Duciſſæ, & Catharinæ etiam à Lotharingia, Monaſterii Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti Sancti Petri de Romaricomonte Ordinis Sancti Benedicti Nullius, ſeu Tullen. Diœceſ. Abbatiſſæ, necnon etiam Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper expoſitum fuit, quòd bo. mem. Felix de Cantalicio ejuſdem Ordinis, dum vixit, profeſſor, multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illuſtratus fuit. Quapropter Maximilianus, & Carolus Duces, ac Franciſcus Comes, necnon Eliſabetha Duciſſa, & Catharina Abbatiſſa, ac Miniſter, & Fratres prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut, donec Canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ob ejus eximiam charitatem, & excellentia merita, divina adſpirante gratia, ab Apoſtolica Sede decernatur, idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, atque Officium, & Miſſa de eo, ut infra, recitari, & celebrari poſſit. Quare Nos, re prius per Vener. Fratres noſtros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam de-

mandavimus, maturè diſcuſſa, de eorundem Cardinalium conſilio, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; Ut ipſe bo. mem. Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque & Miſſa de eo, tamquam de Communi Confeſſoris, non Pontificis, juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, hoc anno, videlicet poſt præſentes literas emanatas, ab omnibus dicti Ordinis Fratribus ubique exiſtentibus; hîc autem Romæ, etiam à confluentibus ad Eccleſias eorundem Fratrum, die eorum Superioribus bene viſa; in poſterum verò, die duntaxat ſui obitûs in Eccleſiis Fratrum prædictorum, videlicet in Nanceii, ac prędicto Romaricomontis, necnon Cantalicii Oppidis ab eiſdem Fratribus tantùm: Romæ verò, ubi Corpus ejuſdem requieſcit, etiam ad Eccleſiam dictorum Fratrum confluentibus recitari, & celebrari reſpectivè, liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 1. Octobris, MDCXXV. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

V. Theatin.

Breve formatum & duplicatum in Arch. gener. Ord. Tom. II. *num.* 34.

Facultatem dicendi Officium, & Miſſam de B. Felice à Cantalicio, ad pauca loca, & Eccleſias ſuprà reſtrictam, ad omnes Ordinis Eccleſias, & Fratres extendit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper nomine dilectorum Filiorum, Nobilium virorum Maximiliani Bavariæ, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, ac Caroli Lotharingiæ Ducum reſpectivè, necnon Franciſci à Lotharingia Comitis Vademontani, dilectarumque in Chriſto Filiarum, Nobilis mulieris Eliſabethæ Bavariæ Duciſſe, & Catharinæ, etiam à Lotharingia, Monaſterii Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti Sancti Petri de Romaricomonte, Ordinis Sancti Benedicti Nullius ſeu Tullen. Dioeceſ. Abbatiſſæ, necnon etiam Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis expoſito, quod bo. memor. Felix de Cantalicio ejuſdem Ordinis, dum vixit, profeſſor, multis & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illuſtratus fuerat, eaquepropter Maximilianus, & Carolus Duces, ac Franciſcus Comes, necnon Eliſabetha Duciſſa, & Catharina Abbatiſſa, ac Miniſter, & Fratres prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerant, ut, donec Canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ob ejus eximiam charitatem, & excellentia merita, divina aſpirante gratia, ab Apoſtolica Sede decerneretur; Idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque & Miſſa de eo recitari, & celebrari, poſſet. Nos hujuſmodi ſupplicationibus tunc inclinati, de Vener. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum conſilio; Ut ipſe bon. memor. Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque & Miſſa de eo tamquam de Communi Confeſſoris, non Pontificis juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, eo anno ab omnibus dicti Ordinis Fratribus, ubique exiſtentibus, hîc autem Romæ etiam à Sacerdotibus, ad Eccleſias eorumdem Fratrum confluentibus, die eorum Superioribus bene viſa; in poſterum verò die duntaxat ſui obitûs in Eccleſiis Fratrum prædictorum videlicet in Nanceii, ac prædicto Romaricomontis, necnon Cantalicii Oppidis ab eiſdem Fratribus tantùm; Romæ verò, ubi Corpus ejuſdem requieſcit, etiam à Sacerdotibus, ad Eccleſiam dictorum Fratrum confluentibus recitari, & celebrari reſpectivè liberè, & licitè poſſet, & valeret, licentiam, & facultatem Apoſtolica auctoritare conceſſimus, & impartiti ſumus, prout in Noſtris, deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Nunc autem dilecti Filii Procuratoris Generalis dicti Ordinis, ac Miniſtri Generalis, & Fratrum prædictorum nomine, Nobis humiliter porrectis Supplicationibus inclinati; De eorundem Cardinalium conſilio, ut à Fratribus ejuſdem Ordinis univerſis, & ſingulis ubique exiſtentibus, Romæ autem duntaxat, & à Sacerdotibus ad Eccleſiam, ubi ejuſdem Beati Felicis Corpus quieſcit, confluentibus, ut præfertur, in die obdormitionis ipſius Beati Felicis Officium, & Miſſa, de Eo tamquam de Communi Confeſſoris non Pontificis, juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani recitari, & celebrari reſpectivè liberè ſimiliter & licitè poſſit, & valeat, licentiam, & facultatem dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus, pariter & impartimur. Non obſtantibus omnibus illis

illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notari publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IX. Aprilis MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

V. Theatin.

Autograp. in Arch. Secret. Brevium Apoſtol. Regeſto Menſ. April. Anni 1622. fol. 57. de quo Breve formatum in Arch. general. Ord. Tom. H. num. 35.

Conſtitutionem, quâ PP. Paulus V. Capucinos, veros S. P. FRANCISCI Filios eſſe declaravit, confirmat; Eos inſuper ex vera, & nunquam interrupta ejuſdem S. Patris linea, originem trahere decernit; & Contradictores cenſuris, ac aliis pœnis &c. compeſci debere ſtatuit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvatoris, & Domini noſtri, qui charitas eſt, & Deus pacis, vices (licèt immeriti) gerentes in terris, inter graviſſimas, multipliceſque Apoſtolicæ ſervitutis curas, in eam peculiari ſolicitudine jugiter incumbimus, ut Chriſtifideles, qui in ſortem Domini vocati, ejus obſequiis diu, noctuque mancipati ſunt, ſublatis quibuslibet dubiis, & controverſiis, Altiſſimo reddant abundanter fructus ſuos; nec ab iis, quorum eſt evangelizare pacem, & bona, veritatem verò temerè impugnando, pacem cum ſcandalo puſillorum ſcindere non verentur, à ſua ſancta vocatione diſtrahantur. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Paulo Papa V. Prædeceſſore noſtro accepto, à nonnullis in dubium revocari, an Fratres Ord. ejuſdem S. Franciſci Capucini nuncupati, eſſent verè Fratres Minores? & etiam, quoniam Regulam Sancti Franciſci profitentur, Filii Sancti Franciſci, cum tempore Sancti Franciſci inſtituti non fuerint? pariterque, an eorum Conſtitutiones aliquid haberent, quod Regulæ Sancti Franciſci repugnaret? Idem Paulus Prædeceſſor, ſua perpetuò valitura Conſtitutione declaravit; Fratres Capucinos eſſe verè Fratres Minores, ac etiam, quamvis tempore S. Franciſci minimè inſtituti fuerint, cum tamen ejus regulam profiteantur, atque eorum inſtituta congruant tam regulæ ſtatutis, quàm ejuſdem regulæ declarationibus, quæ habentur in Conſtitutione felic. record. Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, in Generali Concilio Viennenſi edita, quæ incipit: *Exivi de Paradiſo*, Filios Sancti Franciſci: eorum præterea Conſtitutiones nihil continere, quod non ſit regulæ S. Franciſci præfatæ conſentaneum, irritanti etiam decreto deſuper appoſito, & aliàs, prout in dicti Pauli Prædeceſſoris, deſuper in ſimili forma Brevis ſub die XV. Octobris MDCVIII. expeditis Literis, quarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem, ſicut dilectus Filius Franciſcus Genuenſis, eorundem Fratrum Capucinorum Procurator Generalis, nobis nuper exponi fecit, prætextu illorum verborum, videlicet: *Quamquam tempore Beati Franciſci inſtituti non fuerint*, à nonnullis in dubium revocetur, an iidem Fratres Capucini ex vera, & nunquam intermiſſa linea Sancti Franciſci originem trahant? Nos æquum, & rationi conſonum fore cenſentes, ut, qui verbo, & exemplo, veros ſeſe Beati Franciſci imitatores oſtendunt, tales ab omnibus, abſque ulla controverſia habeantur, attentiùſque conſiderantes eorundem Fratrum Capucinorum originem, ſeu principium illorum eſſe realiter, & cum effectu computandum à tempore primævæ, & originalis inſtitutionis regulæ Seraphicæ, cujus obſervantiam ipſi Fratres Capucini ſemper ſine aliqua interruptione continuârunt; eorundem Fratrum Capucinorum quieti, quantùm Nobis ex Alto conceditur, conſulere, eoſdemque Fratres Capucinos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Franciſci Procuratoris Generalis totius Ordinis eorundem Fratrum Capucinorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; Re prius per venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, negotiis regularium præpoſitos, maturè diſcuſſa, de eorundem Cardinalium conſilio, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, Fratres Capucinos præfatos, fuiſſe, & eſſe ex vera, & nunquam interrupta linea, ac veros, & indubitatos Fratres Ordinis S. Franciſci, & illius regulæ obſervatores, ſubque ipſius Beati Franciſci regula militaſſe, & ad præſens quoque militare, ſicque ab omnibus, & ſingulis

cenſeri,

cenſeri, ac reputari, & judicari debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium decernimus, & declaramus. Quocircà omnibus, & ſingulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis Filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes Literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Capucinorum præfatorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra per eos præmiſſis omnibus, & ſingulis, juxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper à quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſciendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVIII. Junii MDCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

V. Theatin.

Autograp. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ. Junii Anni 1627. de quo duo Brevia formata in Arch. gen. Ord. Tom. C. n. 123.

Indultum recitandi Officium, & celebrandi Miſſam de B. Felice à Cantalicio, in ejus Feſto, ad omnes Sacerdotes, ad Eccleſias noſtras confluentes ampliat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs nomine dilectorum Filiorum, Nobilium Virorum Maximiliani Bavariæ, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, & Caroli Lotharingiæ Ducum reſpectivè, necnon Franciſci à Lotharingia Comitis Vademontani, dilectarumque in Chriſto Filiarum, nobilis mulieris Eliſabethæ Bavariæ Duciſſæ, & Catharinæ, etiam á Lotharingia, Monaſterii Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti Sancti Petri Romaricomonte Ordinis Sancti Benedicti Nullius, ſeu Tullen. Diœceſis Abbatiſſæ, necnon etiam Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis expoſito, quòd bon. mem. Felix de Cantalicio ejuſdem Ordinis, dum vixit, Profeſſor, multis, & eximiis virtutum, gratiarum & miraculorum donis à Domino illuſtratus fuerat, eaquepropter exponentes prædicti, Nobis humiliter ſupplicari fecerant, ut, donec Canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ab Apoſtolica Sede decerneretur, idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque, & Miſſa de eo recitari, & celebrari poſſet. Nos hujuſmodi ſupplicationibus tunc inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum conſilio, ut ipſe bon. mem. Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque, & Miſſa, de eo tanquam de communi Confeſſoris non Pontificis juxta rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, eo anno ab omnibus dicti Ordinis Fratribus ubique exiſtentibus, hîc autem Romæ etiam à Sacerdotibus, ad Eccleſias eorundem Fratrum confluentibus, die eorum Superioribus beneviſa, in poſterum verò die duntaxat ſui obitûs in Eccleſiis Fratrum præfatorum, videlicet in Nanceii, ac præfato Romaricomontis, necnon Cantalicii Oppidis ab eiſdem Fratribus tantùm, Romæ verò, ubi corpus ejuſdem requieſcit, etiam à Sacerdotibus ad Eccleſiam ipſorum Fratrum confluentibus recitari, & celebrari: Et ſubinde, ut à Fratribus ejuſdem Ordinis univerſis, & ſingulis, ubique exiſtentibus, Romæ autem duntaxat etiam à Sacerdotibus ad Eccleſiam, ubi ejuſdem Beati Felicis Corpus quieſcit, confluen. in die obdormitionis ipſius Beati Felicis Officium, & Miſſa de eo, ùt præfertur, ſimiliter recitari, & celebrari reſpectivè poſſet, & valeret, licentiam, & facultatem conceſſimus, & impartiti ſumus, prout in diverſis noſtris in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus pleniùs continetur. Nunc autem dilecti Filii Franciſci Genuenſis, Procuratoris Generalis dicti Ordinis, ac Miniſtri Generalis, & Fratrum præfatorum nomine, Nobis humiliter porrectis ſupplicationibus inclinati; De eorundem Cardinalium conſilio, ut in die tantùm Feſti ejuſdem Beati Felicis Officium, & Miſſa de Eo tanquam de communi Confeſſoris non Pontificis, ùt præfertur, juxta rubricas prædictas, etiam à

Sacer-

Sacerdotibus, ad Eccleſias eorundem Fratrum confluentibus recitari, & celebrari reſpectivè, liberè ſimiliter, & licitè valeat, licentiam, & facultatem, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, pariter & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV. Martii MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

M. A. Maraldus.

Autographum in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Regeſto Menſis Martii 1628. fol. 87. de quo Breve formatum in Archivo generali Ord. Tom. H. *num. 36.*

N O T A.

FUit hoc idem Officium ab Alexandro VII. ad univerſam Civitatis Ducalis Diœceſin, & poſtea ſub Clemente XII. ad totam Italiam, ejuſque Inſulas adjacentes extenſum. Vide Breve, & Decretum deſuper emanata ſuo loco.

Ne Fratres abſque ſpeciali Sanctæ Sedis licentia, ad laxiorem, & ſine licentia Miniſtri Generalis ſcripta, ad Carthuſienſium, vel alium quemcunque Ordinem tranſeant, prohibet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjuncti Nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, ut Religioſorum virorum, qui, ſpretis hujus ſæculi vanitatibus, divini Numinis obſequiis, ſub ſuavi religionis jugo & ſtrictioris obſervantiæ regulis ſeſe mancipârunt, paternam curam gerentes, in his ejuſdem muneris partes ſedulò intendamus, per quæ proſpero, felicique eorum ſtatui, & directioni opportunè conſulatur, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, quod nonnulli dicti Ord. Religioſi, nulla deſuper ab Apoſtolica Sede, vel Superioribus ſuis obtenta licentia, ad alios Ordines, ſeu Congregationes ſe transferre poſſe prætenderint, & prætendant, non ſine gravi regularis diſciplinæ obſervantiæ detrimento, dictique Ordinis inquietudine. Nos, pro noſtri Paſtoralis officii debito, præmiſſis, quantùm Nobis ex alto conceditur, obviam ire, proſperoque ipſius Ordinis ſtatui, & quieti conſulere volentes, ſupplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cœtero perpetuis futuris temporibus ullus dicti Ordinis Religioſus ad laxiorem, abſque ſpeciali noſtra, & Sedis Apoſtolicæ, ad Carthuſienſes verò, ſeu quemcunque alium Ordinem, vel Congregationem, niſi de Miniſtri Generalis pro tempore exiſtentis dicti Ordinis licentia, in ſcriptis obtinenda, quovis prætextu, aut ex quavis, quantumvis juſta, legitima, & privilegiata cauſa, ſub apoſtaſiæ, & infamiæ perpetuæ nota, necnon excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis, ipſo facto, abſque ulla declaratione incurrendis, tranſire quoquo modo audeat, ſeu præſumat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, interdicimus, & prohibemus. Decernentes præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon præfatorum, ac quorumvis aliorum Ordinum, & Congregationum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, & Congregationibus, illorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis, in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX. Aug. MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

Autographum in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Regeſto Menſ. Auguſti Anni 1628. *fol.* 17. *de quo Breve formatum in Archivo generali Ordinis Tom.* H. *num.* 67.

NOTA.

ALia, quæ circa tranſitum Fratrum noſtrorum ad aliam Religionem ulterius acta, vel de eo ſancita fuêre, vide infrà inter Conſtitut. Innocentii X. Alexandri VII. Innocentii XII &c. Item Indicem generalem Verb. *tranſitus ad aliam Religionem*.

Infirmat Decretum ultimi Capituli Generalis, circa Electionem P. Procuratoris Generalis editum, ſtatuitque, ut hæc, quæ à ſolis PP. Definitoribus Generalibus hactenus facta fuit, in poſterum pariter ab his, & non â toto Capituli Corpore, fiat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolatûs Officium humilitati noſtræ, meritis licet imparibus, per abundantiam Divinæ Gratiæ commiſſum poſtulat, ut inter cęteras Apoſtolicæ ſervitutis curas, Religioſorum, qui charitatem ſectantes, & Spiritualia æmulantes ſemetipſos abnegârunt, & in lege Dei meditantur die, ac nocte, felici proſperoque ſtatui, & directioni, præcipuo paternæ charitatis affectu jugiter invigilemus.

Cum itaque, ſicut accepimus, Electio Procuratoris Generalis iſtius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, à Definitoribus generalibus ejuſdem Ordinis, à multis annis circa, rectè, feliciterque celebrari, ſeu fieri conſueverit, in Capitulo autem generali ejuſdem Ordinis noviſſimè celebrato decretum fuerit, ut Electio Procuratoris Generalis hujuſmodi in poſterum à toto Corpore Capituli Generalis fiat, quod Decretum hactenùs effectum ſortitum non fuit; Nos dicti Ordinis felici directioni, & proſpero regimini peculiari ſtudio incumbentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Decretum prædictum, in dicto Capitulo generali, ùt præfertur, emanatum, tenore præſentium revocamus, caſſamus, & annullamus, viribuſque, & effectu evacuamus, ac revocatum, caſſatum, & annullatum, viribuſque, & effectu vacuum, electionemque Procuratoris Generalis hujuſmodi à Definitoribus Generalibus prædictis, ùt prius, fieri debere; præſentes quoque literas de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, redargui, vel in Jus, aut controverſiam revocari, nullatenus poſſe, ſed eas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus dicti Ordinis Fratribus, aliiſque, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in futurum inviolabiliter obſervari; ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, volumus. Non obſtant. Decreto hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis, etiam irritantibus, & aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de Verbo ad Verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenoribus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac ad Verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunquè. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX. Aprilis MDCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Autogr. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. April. Anni 1629. *fol.* 70. *de quo exempl. in Archivo generali Ord. Tom.* S. *num.* 12.

NOTA.

APprobando poſtea Sanctiſſimus noſtras Conſtitutiones, quæ P. Procuratorem â toto Capituli generalis Corpore eligi, ob varios Officii hujus reſpectus cap. 8. præſcribunt, hanc ſuprapoſitam ſuam conſtitutionem revocavit.

Vivæ

Vivæ Vocis Oraculo.

Quod tam Novitii, quàm Juvenes Profeſſi per primum Religionis quadriennium Guardianis, eorum Magiſtris confiteantur, confirmat, ita tamen, ut iis quinque vel ſex vicibus in anno, Confeſſarius extraordinarius offeratur.

Beatiſſime Pater.

Libellus Supplex. PRocurator Generalis Capucinorum Sanctitati Veſtræ humillimè ſupplicat, quatenus vivæ vocis oraculo concedere dignetur, quod jam â fel. mem. Clemente VIII., & Gregorio XV. fuit conceſſum, videlicet, ut Novitii ſui Ordinis, tam, qui in Novitiatu formali adhuc exiſtunt, quàm, qui per tres annos continuos obſervant, quæ Novitii in tyrocinio ſervant, aliis non poſſint confiteri, quàm Locorum Guardianis, ſi tamen ſint eorum Magiſtri, non obſtante quocunque alio Decreto, vel quâcunque aliâ re in contrarium. Quam &c.

Sanctiſſimus D. N. Oratoris poſtulato benignè annuit, ita tamen, ut quinque, aut ſex vicibus in anno offeratur Confeſſarius extraordinarius, cui ſupradicti Novitii omnes indiſtinctè confiteri teneantur.

Romæ v. *Januarii* M. DC. XXX.

A. Card. S. Onuphrii.

Locus ✠ Sigilli.

P. Fagnanus.

Exemp. Typis imp. in Arcb. gen. Ord. Tom. F. num. 22.

N O T A.

HOC idem vivæ vocis oraculum fuit poſtea confirmatum ab Innocentio X. cui â P. Procuratore Generali fuerat porrectus Libellus ſupplex, ſub hoc tenore:

Procurator Generalis Capucinorum humiliter exponit, quod plures Summi Pontifices, Sanctitatis Veſtræ Prædeceſſores, vivæ vocis oraculo conceſſerint, quatenus ſuæ Religionis Novitii, tam ii, qui in Novitiatu formali adhuc extant, quàm illi, qui à Novitiis obſervari ſolita, poſt Profeſſionem adhuc per tres annos ſucceſſivos obſervant, aliis ſacramentaliter non poſſint confiteri, quàm eorum Guardianis, vel Magiſtris, quocunque alio Decreto in contrarium non obſtante, ita tamen, ut quinquies vel ſexies in anno ipſis dentur Confeſſarii extraordinarii. Inde ſupplicat, quatenus idipſum â Sanctitate Veſtra confirmetur. Quam Deus. &c.

Ad quod fuit repoſitum.

Die Lunæ 21. *Auguſti* 1645. *occaſione Conſiſtorii ſecreti Sanctiſſimus Dominus Noſter, relato per me infraſcriptum præſenti Memoriali, annuit.*

B. Cardinalis Spada.

Locus ✠ Sigilli.

Originale in Archivo generali Ord. Tom. G. *num.* 106.

Quod Laici Profeſſi, Clericos Novitios præcedere debeant, decernit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Narnienſis, Vicarii Generalis, ac Franciſci Genuenſis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum expoſitum fuit, quòd à Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, negotiis Regularium præpoſitis, emanavit Decretum tenoris ſubſequentis, videlicet: Pater Frater Hieronymus Narnienſis Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum, ac Pater Frater Franciſcus Genuenſis ejuſdem Ordinis Procurator Generalis ſupplicant ſacræ Congregationi pro opportuna declaratione infraſcripti Dubii, nuper ab aliquibus excitati, videlicet: An Laici profeſſi ejuſdem Religionis poſſint, ac debeant inter ſedendum, eundum, atque in omnibus locis, & in publicis, ac privatis actionibus ſemper, & ubique præcedere Clericis nondum profeſſis? Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præpoſita cenſuit, Laicos profeſſos utique poſſe, ac debere Novitiis, etiam Clericis, nondum profeſſis, in omnibus aut locis, & actionibus, tam publicis, quàm privatis, ut ſuprà, in dicta Religione præcedere. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, exponentes prædicti plurimùm cupiant, Decretum præinſertum pro illius validitate, & ſubſiſtentia firmioribus Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis robore communiri; Nos illos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpen-

ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes illud, necnon præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die VII. Maii MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

M. A. Maraldus.

Authograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. Maii, Anni 1631. fol. 76. de quo Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom. H. *num.* 41.

N O T A.

Vide fol. 56. Notam, & ex ea Breve ſuprapoſitum reſpectivè annullatum eſſe, adverte.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii.

In Eccleſiis Ordinis, cadavera ſæcularium ſepeliri poſſe, declaratur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

PRO parte Religionis Fratrum Capucinorum humillimè Sacræ Congregationi ſupplicatur, quatenus declarare dignetur, quod Fratribus dictis, ceu veris Fratribus Minoribus S. Franciſci, jus competat, juxta ſuorum Superiorum beneplacitum ſepeliendi in eorum Eccleſiis Perſonas Sæculares, quæ ſepulturam in iis elegerunt.

Die X. *Maii* M. DC. XXXI. *Sacra Congregatio Eminentiſs. Patrum Concilii Tridentini interpretum cenſuit Oratores de jure communi poſſe.*

R. Card. Ubaldinus.

Locus ✠ Sigilli.

Franc. Paulutius S. Congr. C. Secretarius.

Exempl. Auth. in Archivo generali Ord. Tom. L. *num.* 158.

N O T A.

VArio quidem Sanctæ Sedis Oraculo Decretum hoc fuit approbatum, in cauſa tamen, inter R. D. Parochum S. Suſannæ, & noſtrum Conventum in hac Alma Urbe agitata, fortiùs confirmatum per Sententiam S. Rotæ Romanæ, quam integram hìc appono, tam quod ea, quæ juri noſtro obſtare aliis videbantur, quàm, quæ id manifeſtè ſolidant, ſuccinctè complectatur.

R. P. D. ROVAULT DE GAMACHES

Romana Juris Sepeliendi.

Veneris 2. Maii 1732.

CUM circa finem Anni 1728. obiiſſet Eques Camillus Ruſconus celebris Sculptor, electâ ſibi ſepulturâ in Venerabili Eccleſia Sanctiſſimæ Conceptionis PP. Capucinorum Urbis, tentavit Parochus Venerabilis Eccleſiæ Sanctæ Suſannæ ad ſuam Parochialem Eccleſiam deferri Cadaver, unà cum omnibus emolumentis Funeralibus, ſed incaſſum; nam poſt factam à P. Guardiano, in vim proviſionalis Decreti, editi à R. P. D. Viceſgerente de habendis in forma depoſiti Cadavere, & medietate emolumentorum ſub lite cadentium, iidem PP. Capucini Cauſâ plenè

ſâ plenè diſcuſsâ obtinuerunt à præfato R. P. D. Viceſgèrente ſententiam favorabilem, in qua pronunciatum fuit, non ſolùm conſtare de electione ſepulturæ in dicta Venerabili Eccleſia Capucinorum, ſed etiam ipſis Patribus Capucinis competere, unacum Funeralibus emolumentis, ſolutâ quartâ pro Parocho, Jus tumulandi in propria Eccleſia Cadavera illorum, qui in illa ſepulturam eligebant.

Quia verò Parocho non arriſit judicatum ſupradictum, curavit illud in gradu appellationis, novo examini ſubjicere coram R. P. D. Cavalchino, qui pariter autumans bonum Jus aſſiſtere Patribus Capucinis, ſententiam protulit, alterius confirmatoriam. Sed, dum adversùs iſtam quærens adhuc Parochus à Signatura Juſtitiæ ulteriorem appellationem, nil amplius conſequi potuit, quàm, quod ei licitum eſſet, negotium in devolutivo tantum revidere, prout denotabat reſcriptum Signaturæ conceptum cum Clauſula S.P.duarum (*), *& amplius &c. Cauſa mihi fuit in his terminis commiſſa, & ad formam commiſſionis propoſui hodie dubium.* An Venerabili Eccleſiæ Capucinorum Urbis competat Jus tumulandi Cadavera, & percipiendi emolumenta Funeralia in caſu &c. *quod reſolutum fuit favore Patrum Capucinorum, reſpondentibus Dominis meis Affirmativè in omnibus.*

(*) *Id eſt*, ſine prejudicio duarum Sententiarũ, jam latarũ, & cauſa amplius nó proponatur.

Advertebant namque DD., quòd, licèt Regulares ob carentiam Populi, prout obſervat Gloſ. in Clement. dudum §. Hujuſmodi verbo ſepulturam de ſepultur. in 6., prohibebantur olim in propriis Eccleſiis defunctos Sæculares abſque Parochi licentia ſepelire, juxta notàta per Gonzal. tom. 3. Suor. Commentar. in lib. 3. decretalium tit. 28. cap. 3. de ſepultur. num. 7. & Official. Cur. Eccleſiaſt. cap. 48. quoad ſepulturas num. 1., tamen ſubinde ipſimet Regulares vigore Privilegiorum, quæ ſibi à Sancta Sede Apoſtolica, non amplius conſideratâ deficientiâ Populi, ſed unicè attentis libertate Morientium in eligendo ſepulturam, atque indemnitate Parochorum quoad quartam Funeralem, fuerant conceſſa, poterant recipere in eorum Eccleſiis Cadavera Mortuorum, qui ſepulturam ibidem eligebant ad Textum apertum in dicta Clementina dudum §. Hujuſmodi, ubi Barboſ. num. 9. & tradunt Gonzalez, & Official. loc. ſupracit. ac latè Eminentiſſimus Petra in ejus Commentar. ad Conſtit. 3. Cæleſtin. 3. Sect. 1. à num. 18. cum pluribus leg. tom. 2.

Hoc autem præmiſſo, dum Patribus ſuffragantibus videbatur dubitari non poſſe de ſimili Privilegio Apoſtolico conceſſo à ſan. mem. Clemente IV. & Sixto IV., necnon ab aliis Summis Pontificibus Religioni Sancti Franciſci, ut firmavit Rot. coram Cocin. Deciſ. 1083. num. 1. & coram Royas dec. 178. num. 2. quod ſanè privilegium debebat eſſe favorabile ipſimet Religioni Capucinorum, non tantùm ex æquè principali indulta illi participatione dicti Privilegii, ſed etiam ex preciſa Apoſtolica determinatione, qua Patres Capucini ad tollendas omnes odioſas quæſtiones declarabantur veri Fratres Minores, ac Filii Sancti Franciſci, ſicuti deprehendebantur ex Pontificiis Conſtitutionibus ſan. mem. Clementis VII. Pauli V. & Urbani VIII.

Ita eorumdem Judicantium vota conveniebant in eo, quod Jus ſepeliendi in Eccleſiis Capucinorum, concurrente electione Defuncti, dicendum erat incontrovertibile, attento potiſſimum, quod hujuſmodi facultatem reſidere apud Patres Capucinos, frequenter admiſerat Sac. Congregatio Concilii, ſicuti deſumebatur tam in antiquioribus reſolutionibus, impreſſis in Summario Capucinorum num. 10. exhibito coram Signatura Juſtitię, quàm ex illis recentioribus, promulgatis in Tolentina prima Maii 1692. in Senogallien. prætenſæ quartæ Funeralis 20. Junii 1705. in Fanen. ſepulturæ, & quartæ funeralis ſexto Martii 1719. & noviſſimè poſt editum Concilium Romanum à ſan. mem. Benedicto XIII. in Oritana Funerum 19. Februarii 1729. cum ſemper noſtrum Sac. Auditorium Sacrarum Congregationum Decreta promptè ſuſcipiat, atque veneretur.

Et quamvis hæc omnia, cum quibus cæteroquin ſe uniformabat diſpoſitio Statuti Cleri in cap. 3. num. 1. tit. de Jure eligendi Sepulturam &c. Parochus Eccleſiæ Sanctæ Suſannæ controvertere ſatageret, innixus poſtremæ additioni factæ dicto cap. 3. num. 1., ubi inter cætera ſancitum legebatur, tunc integra emolumenta ad Parochum ſpectare, ubi Cadavera de licentia Eminentiſſimi Vicarii, & Superioris Religionis tumulabantur in Eccleſiis illorum Regularium, qui ex peculiari Inſtituto non habebant ſepulchra pro Extraneis, hinc prætendente Parocho, quod Patres Capucini, quibus juxta literam propriarum Conſtitutionum interdictum erat recipere mortuorum Cadavera in eorum Eccleſiis, reputari debeant, ac ſi revera ex ſuo peculiari inſtituto ipſi carerent Jure retinendi Sepulchra pro Extraneis, ad ſenſum, Card. de Luc. de Regul. diſc. 1. num. 49. & deciſ. 29. num. 15. Eminentiſſimi Petræ in ejus Commentar. ad conſtitut. 3. Celeſtin. 3. ſect. 1. num. 19. tom. 2. Monacell. in ſuo formular. for. Eccleſ. tom. 2. tit. 13., num. 90. fol. 22. atque aliorum idem aſſerentium.

Nihilominus DD. mei, iſtâ Parochi exceptione ad rigoroſam ſtateram appenſâ, putabant illam in ſe minùs habere, & non poſſe propterea retrahere Patres ſuffragantes à capta reſolutione. Siquidem ultraquam, quod urgebat in contrarium, quod additio facta dicto Statuto obſtare nequibat in præſenti caſu, quia non docebatur Cadaver Equitis Ruſconi receptum fuiſſe in Eccleſia Capucinorum, prævia duplici licentia, nempe illa Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii, & altera Superioris Religionis, prout Statutum ipſum, ſeu additio præfata copulativè requirebat, dicebatur ſæpedictam ſtatuti additionem reddi inapplicabilem, ex quo Patribus Capucinis proprium eorum, & peculiare Inſtitutum non vetabat, ipſos ſepulchra habere pro Extraneis.

Maximum namque intercedebat diſcrimen inter Religionis Inſtitutum, & ejus Conſtitutiones: Quoniam Inſtitutum prædicabatur de illa prima lege, ſeu Regula, quam Summi Pontifices, de manibus Fundatoris Religionis acceptam in eodemet limine fundationis obſervandam, tamquam directè à Sede Apoſtolica derivatam, primis Religioſis tradebant, quamque nec Superiores, nec Univerſus Religioſorum Cœtus, vel ſolemniter congregatus valebat tollere, vel mutare, vel variare. Conſtitutiones verò reſpiciebant ea, quæ à Capitulis Generalibus, intacto Inſtituto, juxta neceſſitates temporum, & circumſtantiarum pro meliori gubernio Religionis quaſi quædam proviſiones condebantur, ac poterant penitus deſtrui, reſecari, aut immutari ex plenè traditis à Fuſ. Capon. diſcept. foren. tom. 1. diſcept. 53. à num. 10. cum pluribus ſeqq., prout contigerat anno 1643. de Conſtitutionibus factis à Capucinis, non attenta ſpecifica Pontificis Maximi Urbani VIII. præcedenti confirmatione, ex quo confirmatio relinquebat conſtitutiones in ſua qualitate, & natura, ut monet Capon. ubi ſupra num. 14.

Quamobrem dum à diverſis, ac diſparatis non fiebat illatio, & præſertim in materia ſtatutaria, quæ regulariter ſtrictè veniebat interpretanda, licèt vigore ſuarum Conſtitutionum Patres Capucini, ad parandam ſibi quietem, nolebant habere ſepulchra pro Extraneis, tamen ex hoc non inferebatur, eoſdem eſſe etiam inhabiles pro retinendis hujuſmodi ſepulchris ex vi nativę incapacitatis ob peculiare inſtitutum ſuæ Religionis, quod totum fundabatur ſuper obſervantia Regulæ Sancti Franciſci, quæ Regula, talem prohibitionem retinendi Sepulchra pro Extraneis nequaquam continebat, ut non erat in controverſia.

Et revera, quod retentio Sepulturarum pro Extraneis non lędebat inſtitutum Patrum Capucinorum, magis, magiſque comprobari Domini mei ſentiebant, ex ſepulturis in Eccleſia exteriori exiſtentibus, junctâ longęvo obſervantiâ unius integri ſęculi, intra quod tempus plura, ac plura fuerant corpora Defunctorum ſepulta in Eccleſia

 dicto-

dictorum Patrum, prout conſtabat ex allegato Summario num. 3. ad 9., atque inſuper ex facto, & atteſtatione aliorum Parochorum Urbis, coęquale Jus cum illo Sanctæ Suſannæ habentium, qui abſque ulla reclamatione, etiam in conſpicuis funeribus, admiſſo jure ſepeliendi favore Capucinorum, & ſervato ſolito, ſuam portionem funeralium ad formam ſtatuti receperant.

E conſpectu igitur harum rationum PP. Suffragantes exiſtimabant, non poſſe attendi authoritates pro Parocho adductas, quoniam omnes illæ loquebantur obiter, & incidenter, ſupponendo id, quod hodie diſputabatur, & nulla ex iis, ad articuli examen deſcendebat, ac eæ multò minùs applicabiles dignoſcebantur præſenti Theſi, in qua ob conſtructionem ſepulturæ, factam pro Extraneis, uſque ab initio ędificatę Eccleſiæ curante ſan. mem. Urbano VIII. cenſeri debebat in omnibus, & per omnia Conſtitutionibus, vel Inſtituto fuiſſe derogatum.

Firmato ex ſupra adductis jure tumulandi, favore Eccleſiæ Sanctiſſimæ Conceptionis Patrum Capucinorum veniebat in conſequentiam, illis etiam deberi ſolita emolumenta Funeralia, juxta quod practicatum fuerat cum aliis Parochis, & cum ipſomet Parocho Sanctæ Suſannæ.

Et ità utraque &c. (*)

(*) *Id eſt*: & ita utraque parte informante fuit deciſum.

Quotieſcunque autem jus noſtrum, in cauſa hac particulari tam ſolidè & univerſaliter vindicatum, deinceps ſervatis ſervandis exercere ratio ſuadebit, memores eſſe oportet Superiores Locales duorum aliorum Decretorum, authenticè *in Arch. Generali Ord.* Tom. L. num. 177. aſſervatorum, quorum primo S. Rit. Congregatio 19. Januarii 1692. ſancivit, *ut hujuſmodi cadavera ſepeliantur in loco ſeparato ab illo, quo tumulantur Religioſi*: altero verò inhibuit, ne ſepulchris vagus, & modeſto Eccleſiarum noſtrarum cultui difformis ornatus ſeu Stemmatum inſignia &c. apponantur.

Plura alia, materiæ huic annexa, & connexa videre licet in noſtro *Jure deciſo* à fol. 223. uſque ad 281. Conſulatur deſuper & Index generalis Verb. *ſepultura ſęcularium*, *quarta funeralis &c.*

Quòd dein cadvera ſæcularium, Habitu noſtri Ordinis veſtiri queant, ex Decreto inter Conſtitutiones Papæ Innocentii X. liquebit.

Ut, contagione celebrationem Capitulorum Provincialium in aliquibus Provinciis impediente, PP. Provincialis, & Diffinitores neceſſarias proviſiones faciant, & Guardianos eligant, concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quòd, cum ob contagii impedimentum in aliquibus ejuſdem Ordinis Provinciis Capitula Provincialia celebrari nequeant, idcirco tum, ne Provinciæ ipſæ aliqua propterea circa neceſſarias proviſiones patiantur incommoda, tum etiam, quia nonnulli Guardiani Domorum regularium ejuſdem Ordinis eligendi ſunt, dictus Procurator Generalis juxta deliberationem in Congregatione, hîc Romæ à dilectis Filiis Vicario Generali, ac Diffinitoribus ejuſdem Ordinis habita factam, per Nos de infraſcripta facultate, ac aliàs deſuper opportunè provideri ſummopere deſideret; Nos felici dictarum Provinciarum ſtatui, proſperæque directioni, quantùm cum Domino poſſumus, conſultum eſſe cupientes, ipſum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, attentis narratis, dilectis etiam filiis Miniſtris Provincialibus, ac Diffinitoribus Provinciarum Ordinis hujuſmodi, quod ſimul congregati, & proviſiones, quæ neceſſariæ erunt, facere, nec non etiam novos Domorum regularium hujuſmodi Guardianos eligere liberè, & licitè valeant, Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur; Decernentes novas Guardianorum hujuſmodi electiones, aliaque præmiſſa, vigore præſentium, ùt præfertur, facienda, poſtquam facta fuerint, valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, nec non iis, in quorum favorem fient, pleniſſimè ſuffragari in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi in Capitulis Provincialibus juxta dicti Ordinis conſtitutiones, Apoſtolica Authoritate confirmatas facta fuiſſent, ſicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, quavis authoritate fungentes judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, illiuſque Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac

vice

vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVI. Auguſti MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis Auguſti, Anni 1631. *fol.* 62. *de quo Breve formatum in Archivo gen. Ord. Tom.* H. *num.* 83.

Fratribus, cujuſcunque ſint Provinciæ (Romanâ exceptâ) acceſſum ad almam Urbem, abſque licentia, vel ab Eminent. Protectore, vel à PP. Miniſtro, Vicario, ſeu Procuratore Generalibus in ſcriptis habita, prohibet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

IN ſpecula Militantis Eccleſiæ, nullis licèt Noſtris ſuffragantibus meritis, divinâ providentiâ conſtituti, ad ea potiſſimum vigilantiæ Noſtræ ſtudium intendimus, per quæ Religioſi Viri, qui ſpretis hujus ſæculi vanitatibus divini Numinis obſequiis ſeſe mancipârunt, in via Domini proſperè diriguntur, & gubernantur. Hinc eſt, quod Nos felici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum ſtatui, & gubernio, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, Omnibus, & ſingulis ejuſdem Ordinis Provinciis (exceptâ Romanâ) illarumque Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, ne deinceps aliquem, vel aliquos dicti Ordinis Religioſos tam propriæ eorum, quàm quarumvis aliarum Provinciarum hujuſmodi, quovis prætextu, occaſione, vel cauſa, etiam quantumvis legitima, & à quocunque Capitulo Provinciali, vel quovis alio Superiore, approbata, ad Almam Urbem Noſtram, niſi obtentâ prius in ſcriptis à pro tempore exiſtentibus ejuſdem Ordinis Cardinale Protectore, ſeu Miniſtro, aut Vicario, ſeu Procuratore Generalibus, ad id auctoritatem habentibus, licentiâ, mittere quoquomodo audeant, ſeu præſumant, ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ, tam quoad ipſas Provincias, earumque Superiores mittentes, quàm quoad Religioſos, abſque hujuſmodi licentia accedentes, ac etiam, quoad ipſos Religioſos privationis vocis activæ, & paſſivæ per triennium, & mancipationis carceribus per annum per contrafacientes incurrendis pœnis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus quibuſvis Decretis per fel. rec. Clementem VIII. factis, & per Paulum V. & Gregorium XV. Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac per Nos approbatis, & confirmatis, necnon aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Provinciis, illarumque Superioribus, ſub quibuſcunque tenore, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecificâ, & expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem, per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Miniſtri, ſeu Vicarii, aut Procuratoris Generalis prædicti ſubſcriptis, & Sigillo dicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Sept. M. DC. XXXI. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſ. Septem. 1631. *fol.* 457. *de quo Breve format. in Arch. Gen. Ord. Tom.* H. *num.* 85.

N O T A.

Decretum ſub Clemente VIII. emanatum, & in hac Conſtitutione memoratum fuit tenoris, ùt ſequitur.

N*Ullos Fratres Romam venire Superiores permittant; niſi prius à Generali duntaxat, licentiam in Scriptis impetraverint. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activâ, & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus alias arbitratu Superiorum pœnas infligendas; quę item omnia adverſùs eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.*

Cum

Cum autem exinde omni diſordini cautum necdum eſſet, PP. Procuratores Generales Ordinum Regularium, Sacræ Congregationi, Regularium negotiis præpoſitæ, Libello ſupplici ſupplicârunt, non ſolùm, ut dictum Decretum confirmaretur, ſed etiam, ut ad Fratres, de Conventibus, ſeu Provinciis ex fine eundi Romam diſcedentes, aut ad portas Romanas uſque venientes, aut in locis 40. Milliaribus duntaxat diſſitis cunctantes extenderetur. Item, ut Superiores, etiam Generales, pœnas in Decreto expreſſas, non poſſent remittere, & inſuper Superioribus Provinciarum ſeu Conventuum, qui tales Fratres, ceu Hoſpites reciperent, pœna privationis ab officio, ipſo facto incurrenda imponeretur. Ad quod à S. Congregatione ſequens latum eſt Decretum.

Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium prępoſita, Decretum hujuſmodi fel. rec. Clementis Papę VIII. in omnibus ſervandum eſſe cenſuit. Et inſuper Regulares quovis modo ad Urbem accedentes, ſi ad eorum Conventum non vadant, carceribus eſſe mancipandos, Romę 6. Junii 1615.

A. Mar. Card. Gallus.

Locus ✠ Sigilli.

V. Theatin. Secret.

Hæc Decreta, quorum exemplaria Authentica in Archivo generali Ordinis Tom. E. num. 69. aſſervantur, à Papa Gregorio XV. indiſcriminatim pro omnibus Regularibus confirmata, ſpecificè pro Fratribus noſtris ampliata eſſe, ex ſuprapoſitæ conſtitutionis ſyllaba liquet.

Quæ autem circa noſtros Religioſos, ſub prætextu &c. in Sacræ Inquiſitionis Tribunali deponendi, Romam venientes, ulteriùs ſancita fuêre, dabuntur infrà inter Papæ Innocentii XII. Conſtitutiones. Videatur & Index generalis Verb. *Romam accedere.*

Ob contagionem, in diverſis Italiæ partibus graſſantem, Capitula Provincialia omitti indulget, &, ut Provinciales, Diffinitores, & Guardiani per Schedas, Romam PP. Vicario, & Procuratori Generalibus mittendas eligantur, ſancit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilecti Filii Vicarius, & Procurator Generalis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis exponi fecerunt, quòd ob contagionem in diverſis Italiæ partibus graſſantem, diverſis ejuſdem Ordinis neceſſitatibus provideri, & ſolita Capitula Provincialia in nonnullis ipſius Ordinis Provinciis celebrari non poſſint, propterea que Vicarius, & Procurator Generales præfati, Nobis humiliter ſupplicari fecerint, ut ſuper præmiſſis, modo, & forma infraſcriptis providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos felici Provinciarum dicti Ordinis regimini, & quieti, ipſiuſque Ordinis neceſſitatibus, quantùm cum Domino poſſumus, providere, ac Vicarium, & Procuratorem Generales præfatos, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: Quod factâ in Provinciis præfatis, in qualibet illarum regulari Domo Diſcretorum ſolitâ electione, ipſimet Diſcreti, & præfatarum Domorum regularium Guardiani, ac earumdem Provinciarum Provinciales, ſeparatim, & in ſcripto nominare teneantur illos, quos in Diffinitores in Domino magis judicaverint aſſumendos; ipſi verò Diſcreti, & Guardiani eos, quos in Provinciales earumdem Provinciarum nominandos etiam judicaverint, ſeparatim, & in ſcripto nominare etiam teneantur, & tam quoad numerum Diffinitorum nominandorum, quàm eorum, qui ipſos Diffinitores nominabunt, & formam deſuper ſervandam, omnia, & ſingula, quæ ſibi ab eiſdem Vicario, & Procuratore Generalibus in præmiſſis præſcribentur, in omnibus, & per omnia ad amuſſim, obſervare, & folia, in quibus dicti Ordinis Fratres ſcribentur, qui ad hujuſmodi Officia idonei fuerint, ſigillo munita, ad Vicarium, & Procuratorem Generales præfatos tranſmittere debeant, qui factis hîc in Urbe, juxta ſolitum ipſius Ordinis morem tribus Scrutatoribus, & viſis ſecretò foliis præfatis nominent in Diffinitores, & Provinciales eos, in quorum favorem plura Suffragia lata fuerint, etiamſi infra medietatem fuerint. Succedente Suffragiorum paritate Vicarius, & Procurator Generales præfati nominare valeant eos, qui ſibi ad hujuſmodi munia magis habiles, & idonei videbuntur. Quòd, ſi aliquod foliorum hujuſmodi perdi contigerit, nominationi hujuſmodi, quò minus ad illam deveniatur, nullo propterea impedimento ſit, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes præſentes

ſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, quos illæ concernent, inviolabiliter obſervari debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die VIII. Octobris MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

Autographum in Archiv. Secret. Brevium Apoſt. Reg. Menſ. Oct. 1631. *fol.* 36. *de quo Breve formatum in Arch. gener. Ord. Tom.* H. *num.* 84.

Defuncto P. Hieronymo (*) à Narnia, P. Franciſcum (**) à Janua, Proc. Generalem Ordinis, ſimul in Vicariatûs Generalis Officio ſubſtituit.

A tergo. *Dilecto Filio Franciſco à Genua Ordinis Fratrum Capucinorum.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut accepimus, quoniam Hieronymus à Narnia Vicarius Generalis, dum vixit, Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, nuper apud Sedem Apoſtolicam diem vitæ extremum obierit, Nos pro noſtri Paſtoralis Officii debito, Fratrum præfatorum, ne aliqua propterea in Spiritualibus, & temporalibus detrimenta patiantur, proſpero ſtatui, felicique regimini providere volentes, ac de tua fide, prudentia, integritate, & religionis zelo plurimùm in Domino confiſi, Te, qui Fratrum præfatorum Procurator Generalis exiſtis, Vicarium Apoſtolicum Generalem Fratrum eorundem uſque ad novam electionem Miniſtri Generalis in Capitulo Generali, juxta ipſorum Fratrum ſtatuta, & Ordinationes, Apoſtolica auctoritate confirmatas faciendam, cum poteſtate, univerſos Fratres hujuſmodi regendi, & moderandi, & gubernandi, aliiſque facultatibus, necnon omnibus, & ſingulis privilegiis, honoribus, oneribus, præeminentiis, & prærogativis, quibus alii, qui pro tempore fuerunt dictorum Fratrum Vicarii Apoſtolici Generales, uti, frui, & gaudere conſueverunt, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium creamus, conſtituimus, & deputamus. Injungentes Tibi, ac mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, & aliis, arbitrio noſtro imponendis pœnis, ut onus hujuſmodi acceptes, aliis verò omnibus, & ſingulis Provincialibus, & aliis, quocumque nomine nuncupatis Superioribus, necnon Fratribus, & perſonis quibuſcunque dicti Ordinis, ut Tibi in omnibus, quæ eis ordinanda, mandanda, & per eos exequenda duxeris, humiliter pareant, & obediant, tuaque monita, & juſſa reverenter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXVIII. Septembris MDCXXXII. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

M. A. Maraldus.

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſis Septemb. 1632. *fol.* 37. *de quo Breve formatum in Archiv. generali Ord. Tom.* H. *num.* 90.

NOTA.

Concurrit in hoc Apoſtolico Brevi P. Hieronymi Mutini à Narnia (*), & P. Franciſci de Nigro à Janua (**) memoria appoſitè, cum in Utroque una quaſi virtutis, & honoris ratio olim reſplenduerit. Fuit Uterque in Sæculo, generis nobilitate clarus, Uterque in Ordine Vicarius Generalis, Uterque in Aula Pontificia Concionator: P. Hiero-

P. Hieronymus quidem per 18. Annorum ſpatium, ita Zelanter, ut, teſte noſtro P. Marcellino de Piſe, Emin. Card. Bellarminus apertè diceret : *Si S. Paulus Apoſtolus redivivus prædicaret eodem Quadrageſimæ tempore, quo & Hieronymus Narnienſis, Capucinus, ego utrumque alternis vicibus audirem, videlicet unâ die Apoſtolum, alterâ Capucinum* (*a*) P. Franciſcus verò per 16. Annorum intervallum, ita ſuaviter, ut omnes Eloquii nitorem, & geſtûs gravitatem mirarentur. Utrique Pontificia voluntate, Cardinalitia Purpura deſtinata : De utroque plures meminêre Scriptores, de Hieronymo (præter P. Marcellinum memoratum) Wadingus (*b*), Caramuel, (*c*) Hyppolitus Maraccius &c. (*d*) De Franciſco verò, præter Raphaelem Sopranis, Juſtinianus (*e*) Raphael de Turri &c. (*f*) Reliquit & Uterque poſteritati laboris Apoſtolici opera, in quibus Spiritus utriuſque vivit. Poſuit mors inter Utrumque differentiam diſcretionis, dum enim P. Hieronymus, poſtquam â PP. Urbano VIII. cum Cardinalium, & Antiſtitum corona perſonaliter, & inaudito fere exemplo fuiſſet viſitatus, & Illius benedictione ad extremam luctam confortatus, Romæ Anno 1632. eam oppetebat, Franciſcus econtra Januæ Anno 1650. illi tributum ſolvit. Dumque P. Hieronymi merita, & dotes Reverendiſſimus P. Nicolaus Riccardus ex celeberrimo PP. Prædic. Ordine, S. Pal. Apoſt. Magiſter funebri oratione commendavit, eas P. Franciſci Urbs Januenſis lugubri ſilentio, tumulo reconditas eſſe, deflevit.

(a) *In vita P. Hier. fol. mihi* 177. *& P. Dion. à Ian. in Bibl. Script.*
(b) *de Script. Franc. fol. mihi* 172.
(c) *in ſua Metrametica fol. mihi* 54.
(d) *Lib. de Mar. Script. p.* 2. *fol. mihi* 6.
[e] *Lib. de Script. Liguribus &c.*
[f] *Lib. de camb. &c.*

Fratrem Antonium, ſuum ſecundùm carnem Fratrem Germanum, Cardinalem S. Onuphrii nuncupatum, Ordinis Protectorem deputat.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Antonio Tit. S. Onuphrii Presbytero Cardinali, noſtro ſecundùm Carnem Fratri Germano.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilecte &c. Cum per obitum bo: mem. Ludovici, S. R. E. Cardinalis Ludoviſii nuncupati, Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, dum vixit, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectoris, Fratres præfati Protectore deſtituti remanſerint; Nos eiſdem Fratribus de idoneo Protectore providere volentes, ac de ſingulari circumſpectionis tuæ prudentia, integritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, Te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Fratres præfatos plurimùm commodi, & ornamenti ſuſcepturos eſſe confidimus, eorumdem Fratrum, illorumque Domorum, & Locorum Regularium quorumcumque apud Nos, & dictam Sedem Protectorem, cum omnibus facultatibus, jurisdictionibus, honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, ac quibus alii ante Te, eorumdem Fratrum Protectores uſi ſunt, ac uti quomodolibet potuerunt, ſive etiam debuerunt, ad Tui Vitam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium facimus, & deputamus. Volumus autem, ac Tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut Superiorum ipſorum Fratrum auctoritatem, quantùm fieri poterit, conſervari cures; & propterea, cum ipſi Superiores eorum Officii debito ſatisfecerint, ac gubernio, & regimini Subditorum ſufficienter incubuerint, tunc in negotiis eorumdem Religioſorum Te non immiſceas; quando autem, vel ab ipſis Superioribus requiſitus fueris, ut in eiſdem negotiis auctoritatem tuam interponas, vel neceſſe fore cognoveris, ut eandem auctoritatem in eis negotiis exerceas, tunc id liberè facere poſſis, ſed, quoad potueris, per Te ipſum hoc facere cures, adhibito ad ſcribendum, quando opus fuerit, in eiſdem negotiis, ſeu cauſis, loco Notarii, aliquo ex Regularibus præfatis. Mandantes propterea præfatis Superioribus, & aliis Religioſis præfatis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut Te in eorum Protectorem juxta tenorem præſentium recipientes, ea, qua debent, reverentia proſequantur, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Cæterùm Te in Domino, hortamur, ut hujuſmodi Protectoris munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum, bonorum operum retributorem, æternum præmium, & â Nobis condignam laudem valeas promereri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. Die 1. Decembris MDCXXXII. Anno Decimo.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Reg. diverſ. Tom. 12. *fol.* 17. *de quo exempl. in Arch. gener. Ord. Tom. S. num.* 14.

N O T A.

Fuit Pater Antonius Frater ſummi Pontificis, (uti jam jam obſervatum arbitror) & Frater Fratrum Minorum: Summi Pontificis Urbani VIII. Frater, ſecundùm carnem: Frater Fratrum Minorum Capucinorum ſecundùm ſpiritum. Hic, ut in eo evaderet verè ſeraphicus, â principio ſuſcepti in Provincia Tuſciæ S. Habitûs, illum radicavit in fundamento virtutum, in Humilitate. Inde, dum Cardinalium Collegio fuerat adſcriptus, Purpura quidem ſplendebat in veſte illius externa, lana autem humilitatis, ſeu tunica Ordinis, cooperiebat corpus illius interiùs. In Alma Urbe, dum Majoris Pœnitentiarii, Bibliothecarii Vaticani, Urbis Pro-Vicarii &c. Officiis fungebatur, vanitatem famulatûs abhorruit, iiſque, qui aliquando in miniſterium accurrebant,

digitos

digitos monſtravit, dicens: *Ecce decem ſervi, quorum obſequium mihi nunquam deeſt, hi mihi ad omnia ſufficiunt.* Voluit, ut & poſt mortem hujus humilitatis clarerent monumenta, dum cadaver ſuum, ſine pompa ſepeliri, & ſimplici lapidi (uti adhuc in noſtra Eccleſia Romæ videtur) ſequens Epitaphium: *Hic jacet pulvis, cinis, & nihil*, incidi ordinavit.

Quantò humilis in vitæ ratione, tantò fuit fidelis in Eccleſiaſticorum proventuum diſpenſatione: hos non retinuit, niſi, ut in uſus pios eos converteret. Inde ab Epiſcopatu Senogallienſi Romam revocatus, redditus illius, vel partem illorum, etiamſi Pontificia acceſſiſſet diſpenſatio, acceptare noluit, æquum non eſſe aſſerens, ut Paſtor, qui oves ſuas perſonali curâ non paſceret, illarum lacte cibaretur. Reddituum aliorum ad pios uſus converſorum veſtigia patent in Muris intra, & extra Urbem. Intra Urbem in ſpatioſo noſtro Immaculatæ Conceptionis Conventu: in collegio Beatæ Mariæ Virginis in Montibus pro Neophitis, & Domo connexâ pro Catechumenis: in Monaſterio Sanctæ Catharinæ de Roſa, ſeu de Funariis: in ædibus Mulierum Pœnitentium: in Eccleſia, & Collegio conjuncto SS. Sergii, & Bacchi pro Monachis S. Baſilii Ruthenis: in Cœnobio ab incarnatione nuncupato &c. Extra Urbem, in Palatio Epiſcopali Senogallienſi reſtaurato: in noſtro Conventu Laureti ædificato &c. Nunquam intermoritura inſuper laude celebrabit fidelem hanc diſpenſationem Sacra Congregatio de Propaganda Fide, quam hæredem univerſalem inſtituit, & cui tam in vitæ curſu, quàm poſt mortem ducenta quadraginta millia aureorum vel dedit, vel legavit, teſtamento Pontificia authoritate deſuper erecto.

Amor, quo Matrem ſuam Religionem coluit, in Filio verè fuit paternus; inde, ut Ordinis Protector præeligeretur, amicâ lite contra Eminentiſſimum Dominum Franciſcum Cardinalem Barberini quæſivit. Duos Ordinis Fratres ſemper ſecum tenuit, quorum unus Cappellani, alter ejus Confeſſarii officium obibat. Pro ampliando Ordinis decore, varias leges ſancivit, & multiplices literas Apoſtolicas procuravit. Reliquit poſteris Conſtitutiones Synodales pro Diœceſi Senogallienſi, anno 1737. ordinante Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Rizzardo Iſolano ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo & Comite, in alma Urbe re-impreſſas: Conſtitutiones & Decreta pro ſuæ Diœceſeos Monialibus: Tractatum de antiquo modo eligendi in noſtra Religione: Ordinationes pro bono hujus regimine &c. Meminerunt de eo Philippus Maria Boninus (*a*) noſter Marcellinus de Piſe (*b*) Ciaconius (*c*) ubi & teſtamentum ab ipſo conditum adducit, Ughellus &c. (*d*).

(a) *Lib. de viro Evang. p. 1. fol.* 78.
(b) *Tom.* 3. *Annal. fol.* 496.
(c) *Tom.* 4.
(d) *In Ital. Sacra Tom.* 2. *de Epiſc. Senogal.*

P. Miniſtro Generali, facultatem Guardianos in actu celebrationis Capitulorum Provincialium eligendi, tribuit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUpientes proſpero, felicique Domorum Regularium Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum regimini, & gubernio, quantùm cum Domino poſſumus, opportunè conſulere, dictos Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Dilecto filio Antonio à Mutina moderno dictorum Fratrum Miniſtro Generali: quod in actu celebrationis Capitulorum Provincialium dicti Ordinis pro tempore faciendorum aliquibus ex eiſdem Domibus Guardianis deſtitutis, ipſis Guardianis, idoneis tamen, & prout meliùs in Domino expedire arbitrabitur, providere liberè, & licitè valeat, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur. Mandantes in virtute S. Obedientiæ omnibus, & ſingulis dictarum Domorum Fratribus, & perſonis, cæteriſque, ad quos ſpectat, ut Guardianos ipſarum Domorum, vigore præſentium pro tempore deputatos recipiant, & admittant, eiſque pareant, & obediant, illorumque monita, & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel aliâ quâvis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Julii M. DC. XXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis Julii 1623. *fol.* 103. *de quo exempl. in Arch. general. Ordinis Tom.* H. *num.* 97.

N O T A.

QUÆ ab hocce tempore circa hanc facultatem fieri conſueverunt, vide infra fol. 92.

Statutum Capitulare, quod eveniente morte Patris Miniſtri Generalis, primus Diffinitor, & caſu, quod vel hic ê vivis jam diſceſſiſſet, vel diſcederet, ſecundus in gubernio Ordinis ſuccedere, idemque reſpectivè in morte Patris Miniſtri Provincialis obſervari debeat, confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRæcipuus paternæ Charitatis affectus, quo Ordinem Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum proſequimur, poſtulat, ut illius felici, & proſpero regimini conſulentes iis, quæ propterea facta, & ordinata fuiſſe dicuntur, Apoſtolici roboris firmitatem libenter adjiciamus. Nuper ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Miniſtri & Procuratoris Generalium dicti Ord. Nobis expoſitum fuit, quod in quadam Conſtitutione à fel. rec. Paulo PP. III. Prædeceſſore Noſtro, ſub die XXV. Aug. MDXXXVI. edita, quæ incipit, *Exponi Nobis &c.* inter alia diſponitur, *quod eveniente caſu obitûs Miniſtri Generalis dicti Ordinis, primus Diffinitor, vel ipſo deficiente, ſecundus ſuccedere debeat, & ſic de aliis ſucceſſivè*; idemque diſponitur de Provincialibus. In Conſtitutionibus autem Regularibus dicti Ordinis cavetur, ſeu ordinatur, quòd, ſi Miniſtrum Generalem ante expletum Officium ab humanis decedere contingat, tunc primus Diffinitor Capituli præteriti ſit Commiſſarius Generalis: & caſu, quo ille obierit, ſit ſecundus, & ſic de aliis: ſimiliterque ordinatur de Provincialibus. Nuper verò ſecuto Miniſtri Generalis obitu, ejus loco primus Diffinitor Ordinem prædictum gubernavit, dicto verò Diffinitore defuncto, antequam Capitulum convocâſſet, ortum eſt dubium, an ſecundus Diffinitor ſuccedere deberet, quandoquidem verba Conſtitutionis Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi ambigua ſunt, & Conſtitutiones Regulares præfatæ in caſu, quo primus Diffinitor ab humanis deceſſiſſet, tantùm, non autem in caſu, quo decederet, diſponunt; unde habito ad Nos recurſu unam Congregationem deſuper deputavimus, quæ caſum omiſſum fuiſſe, & ideo in hoc â Nobis proviſionem faciendam eſſe reſolvit, prout facta fuit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ad tollendum omne dubium, quod in caſu ſimili evenire poſſet, in Capitulo Generali dicti Ordinis noviſſimè celebrato ordinatum fuerit, quod eveniente obitu Miniſtri Generalis hujuſmodi primus Diffinitor, & caſu, quo ipſe primus Diffinitor ab humanis deceſſerit, ſeu poſtea decedat, tunc ſecundus Diffinitor ſuccedere debeat, & ſic de aliis ſucceſſivè. Nos Ordinationis hujuſmodi validitati, ac inviolabili obſervantiæ, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, dictoſque exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Ordinationem præfatam in Capitulo Generali noviſſimè celebrato, ùt præfertur, factam, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes illam, necnon præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis Authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præfata Pauli Prædeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædictis, & quibuſvis aliis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Auguſti M. DC. XXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

M. A. Maraldus.

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto Aug. 1633. *fol.* 14. *de quo Breve formatum in Arch. gen. Ordinis Tom.* H. *num.* 95.

Ut

Ut Miniſter Provincialis Provinciæ, in qua P. Miniſtrum Generalem mori contigerit, hujus mortem P. Procuratori Generali intimet, & Sigilla ac ſcripturas Patri Diffinitori, qui Vicarius Generalis eſſe debet, tranſmittat; Pater Procurator Generalis verò Capitulum generale convocet, approbat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei Memoriam.

INter cæteras Apoſtolicæ ſollicitudinis curas, quibus premimur, eam, qua iſtius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum felici regimini conſulitur, libenter amplectimur, & quæ propterea providè ordinata fuiſſe dicuntur, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Miniſtri, & Procuratoris Generalium dicti Ordinis Nobis expoſitum fuit, quod in quadam conſtitutione fel. rec. Pauli III. prædeceſſoris noſtri ſub Die 25. Auguſti 1536. edita, quæ incipit: *Exponi Nobis*: inter alia reperitur particula tenoris ſubſequentis, videlicet. *Si verò Generalis Vicarius intra officii ſui tempus ex hac luce migraverit, ſeu aliàs ab officio amotus fuerit, Vicarius, in cujus Provincia mori, vel amoveri eum contigerit, nunciet, quàm citius poterit, omnibus Diffinitoribus Capituli Generalis immediatè præcedentis, & omnibus Vicariis Provincialibus, ac de conſilio, atque conſenſu duorum Vicariorum proximorum determinet locum, & tempus, niſi fuiſſent per generale Capitulum, vel per prædictum Vicarium ante obitum ipſius, aut amotionem deputata, & convocet, qui fuerint convocandi, pro ſucceſſoris Vicarii electione celebranda &c.* In Capitulo autem generali dicti Ordinis noviſſimè celebrato ordinatum fuit, quod in caſu obitûs Miniſtri Generalis dicti Ordinis, Provincialis Provinciæ, in qua obitus hujuſmodi eveniet, obitum hujuſmodi ſignificare debeat Procuratori Generali dicti Ordinis in Urbe, qui Capitulum Generale pro electione futuri Miniſtri Generalis convocare teneatur, & interim dictus Miniſter Provincialis ſigilla cum ſcripturis Miniſtri Generalis defuncti ad eum Diffinitorem, qui Vicarius Generalis extiterit, mittat. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Miniſter, & Procurator Generales præfati, ordinationem prædictam in Capitulo generali hujuſmodi, ùt præfertur, factam, Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis robore communiri ſummopere deſiderent, Nos ordinationis hujuſmodi inviolabili obſervantiæ, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ac Miniſtrum, & Procuratorem Generales præfatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Ordinationem præfatam in Capitulo generali, ùt præfertur, factam, Apoſtolica authoritate, tenóre præſentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eam, nec non præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prædicta Pauli prædeceſſoris, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ in Arce Gandulfi Albanenſis Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris Die VII. Octobris MDCXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

M. A. Maraldus.

Autographum in Secret. Brevium Apoſtolic. Regeſto Menſis Oct. Anni 1633. *fol.* 14. *de quo Breve formatum in Arch. gener. Ord. Tom.* H. *num.* 96.

NOTA.

NOTA.

Vide & infra intra Conſtit. PP. Clem. IX. quæ de caſu mortis P. Miniſtri Generalis ultimatò fuere ordinata.

Patri Miniſtro Generali, ut in ſuæ Viſitarionis curſu, Commiſſarios, & Miniſtros Provinciales ſine concurſu Capituli conſtituere poſſit, neceſſitate id exigente, facultatem tribuit, ita tamen, ut de hac conſtitutione, ſeu deputatione Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem reddat certiorem.

A tergo. *Dilecto Filio Antonio Mutinenſi* (*) *Fratrum Ordinis Min. Sancti Francifci Capucinorum nuncupatorum Miniſtro Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Zelus Domûs Dei, & conſervandæ in Ordine tuo Regularis diſciplinæ, aliaque egregia virtutum dona, quibus Te à Domino multipliciter inſignitum eſſe accepimus, promerentur, ut Te præcipuo paternæ charitatis affectu libenter complectamur. Cum itaque, ſicut Apoſtolatui noſtro nuper exponi fecisti, Tu pro incumbentis Tibi Officii debito, viſitationem Domorum, & Locorum, ac perſonarum regularium quarumcunque tui Ordinis prædicti inchoaveris, & illam, Deo dante perficere intendas, Nos, ut viſitationem eandem felicibus eventibus proſequi, tuique muneris hujuſmodi partes in benedictione eò meliùs, & faciliùs implere valeas, quò opportunioribus fueris ab hac Sancta Sede facultatibus ſuffultus, providere, Teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut in Viſitatione hujuſmodi in iis Ordinis præfati Provinciis, in quibus magnas diſſenſiones, & factiones eſſe repereris, Commiſſarios, ſive Miniſtros Provinciales, etiam ad triennium duraturos, auctoritate noſtra, cum participatione tamen dilecti Filii noſtri Antonii Tit. S. Onuphrii Presbyteri Cardinalis, noſtri ſecundùm carnem Fratris Germani, dicti Ordinis apud Nos & Apoſtolicam Sedem Protectoris facere, conſtituere, & deputare liberè, & licitè poſſis, & valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem concedimus, & impertimur. Decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die xxv. Februarii MDCXXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. Febr. 1634. *fol.* 19. *de quo Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom.* H. *n.* 99.

NOTA.

Claritatem, quam P. Antonius (*) ex antiquo Marchionum Montecuculi ſtemmate habuit nativam, reddidit in ſe glorioſam ex fœdere virtutis. Hujus talia ſemper dedit ſpecimina, ut, poſtquam Provinciæ Bononienſis clavum bina vice tenuiſſet, Miniſter Generalis fuerit renuntiatus. Electionem hanc Papa Sanctiſſimus proprio oraculo, & Ferdinandus II. Auguſtiſſimus gratulatoriis literis ſibi gratam faſſi ſunt. Sibi & fauſtam Religio ipſa agnovit, dum tantùm ex viſo in P. Antonio humilitatis exemplo fuit ædificata, quantùm ex indefeſſo ipſius Zelo, in decore diſciplinæ regularis firmata. Pondere Miniſterii ſepoſito, rediit ad ſuam Provinciam, ubi inter vitæ ſolitariæ charismata viam æternitatis Saxoli ſibi paravit, ad quam & 1648. Kalen. Maji, quibus phaſe Domini concluditur, placidâ morte tranſiit, relinquens communem & talem Virtutis Famam, ut, antequam cadaver ſepulturæ traderetur, juxta Chronicas Provinciæ tabulas tres Habitus in fruſta fuerint ſciſſi & diviſi. Quæ omnia fusè patent ex legenda P. Antonii, à P. Zaccharia Bononienſi typis impreſſa.

Facultas eligendi Guardianos & Provinciales, tam in anteriore, quàm in ſuprapoſita Conſtitutione P. Antonio prima vice data, evaſit poſtea omnibus Miniſtris Generalibus communis, inde uſque ad finem hujus Tomi non niſi unum aut alterum adhuc inſeretur hujuſmodi facultatis Diploma Apoſtolicum.

P. Jo-

P. Joannis à Moncalerio (*) Electionem in Miniſtrum Generalem ratihabet, & defectum PP. Vocalium Regni Franciæ ſupplet.

Dilecto Filio Joanni à Moncalerio Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Miniſtro Generali.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, in Alma Urbe noſtra noviſſimè celebrato, in Miniſtrum Generalem ejuſdem Ordinis canonicè electus fueris; electionem verò hujuſmodi, licèt in dicto Capitulo Vocales Regni Franciæ, ex cauſis Nobis notis minimè intervenerint, Apoſtolicæ confirmationis robore communiri plurimùm deſideres, Nos ſperantes dictam electionem, ob tuum Religionis Zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam eidem Ordini plurimùm profuturam, Teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſeriè abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Electionem de perſona tua in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis, licèt &c. ùt præfertur, factam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die v. Julii MDCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquarto.

M. A. Maraldus.

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto Menſ. Julii Anni 1637. fol. 25. de quo Breve formatum in Archivo generali Ordinis Tom. G. *num.* 78.

NOTA.

Officia Lectoris, Definitoris, Provincialis, Conſultoris, Definitoris Generalis, quæ P. Joannes numeris adimplevit omnibus, coronavit tandem in Eo Miniſterium Generale, communis emolumenti omine Ipſi collatum. Exercuit illud in Spiritu Zeli, quo poſitas obſervantiæ leges ſartas tectas conſervari curavit, & jura Religionis indefeſsè propugnavit. Chronologicam Provinciarum tabulam, qualis in Comitiis Generalibus renovari & typis imprimi ſolet, ipſe primus ordinavit, & varia de regulari vita & noſtræ paupertatis excellentia Manuſcripta, quæ in Archivo ſuæ Provinciæ Pedemontanæ attentè reſervantur, reliquit.

Vivæ vocis oraculum, quo fel. record. Gregorius XV. auctoritatem P. Miniſtri Generalis ubique locorum, integrè conſervari debere ſtatuit, Apoſtolici Brevis robore communit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs poſtquam felic. rec. Paulus Papa V. Prædeceſſor Noſter per ſuas, in ſimili forma Brevis ſub die XXIX. Octobris MDCXVIII. emanatas literas motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione ſuis decreverat, quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus Miniſtri Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Officium, quod eatenus ad quinquennium duntaxat durare conſueverat, ad ſexenium durare, Miniſter autem Generalis hujuſmodi, ſeu alius ſufficienti ad id facultate ſuffultus Domos, & Loca Regularia ejuſdem Ordinis in Regno Franciæ viſitaturus unum Ordinis hujuſmodi, & Nationis Franciæ Fratrem, qui ei in ſcribendo, ac interpretando in-

do inſerviret, & à quo de ſtatu Domorum, & Regularium Locorum hujuſmodi informari poſſet, ſecum ducere, quodque apud ejuſdem Ordinis Procuratorem Generalem in Romana Curia reſidentem alius, qui ſcriberet, dicti Ordinis Frater, & linguas calleret, manere reſpectivè deberet, ipſe verò Miniſter Generalis, ſeu Commiſſarius, durante viſitatione hujuſmodi, graviora non decideret, aut reſolveret abſque Capitulo Provinciali, & niſi ſervata forma præſcripta per librum dicti Ordinis *Modum procedendi* nuncupatum, prout in dictis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Subinde ſimilis mem. Gregorius PP. XV. etiam Prædeceſſor noſter vivæ vocis oraculo bon. mem. Franciſco, tunc S. R. E. Presbytero Cardinali de Sourdis nuncupato facto die XXIX. Octobris MDCXXI. Motu proprio, & de certa ſcientia ſuis declaravit, voluitque, ut auctoritas Miniſtri Generalis hujuſmodi integra, inviolata, & æqualis ubique locorum deinceps in utroque foro remaneret, & conſervaretur in omnibus, ſicut eatenus ab initio extiterat, & aliàs, prout in dicto oraculo, tenoris ſubſequentis, videlicet: Nos Franciſcus Miſeratione Divina S. R. E. Tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Sourdis nuncupatus, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Gratia Aquitaniæ Primas, Archiepiſcopus Burdigalenſis &c. Univerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, lecturis, & audituris fidem facimus indubiam, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Dominus Gregorius Divina Providentia Papa XV. vivæ vocis oraculo Nobis facto die XXIX. Menſis Octobris MDCXXI. in Monte Quirinali apud Sanctam Mariam Majorem Motu proprio, & ex certa ſcientia declaravit, & voluit, ut auctoritas Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum integra, inviolata, & æqualis ubique locorum deinceps in utroque foro remaneat, & conſervetur in omnibus, ſicut hactenus ab initio extitit: Non obſtantibus in contrarium illis verbis Decreti Papæ Pauli Quinti facti in forma Brevis ſub die XXIX. Menſis Octobris MDCXVIII. Videlicet: Ipſe verò Miniſter Generalis ſeu Commiſſarius durante viſitatione hujuſmodi graviora non decidat, aut reſolvat abſque Capitulo Provinciali, ac niſi ſervatâ formâ præſcriptâ per librum dicti Ordinis *Modum procedendi* nuncupatum, quibus voluit eſſe derogatum, neque obſtantibus in contrarium quibuſcunque aliis. In cujus rei fidem, auctoritate ejuſdem Sanctiſſimi Domini Nobis oretenus facta, præſentes literas manu propria ſubſcriptas, noſtroque ſigillo, quo in talibus utimur, munitas dari juſſimus. Datum Romæ in Palatio noſtræ ſolitæ Reſidentiæ Sancti Petri ad Vincula die XXIX. Menſis Octobris Anno à Nativitate Domini MDCXXI. Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Gregorii Papæ XV. Anno Primo. Cum autem, ſicut Nobis exponi fecit inſuper Dilectus Filius Joannes à Moncalerio, eorundem Fratrum Miniſter Generalis, pro firmiori auctoritatis Miniſtri Grneralis hujuſmodi ſubſiſtentia, inviolabilique obſervantia, declarationem per dictum Gregorium Prædeceſſorem vivæ vocis oraculo, ùt præfertur, factam, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſideret, Nos propterea, felicique eorundem Fratrum regimini, atque directioni, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, ipſumque Joannem Miniſtrum Generalem hujuſmodi ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine, Nobis nuper ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertam declarationem, & Decretum dicti Gregorii Prædeceſſoris, Vivæ vocis oraculo, dicto Franciſco Cardinali, ùt præfertur, facto, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, & expreſſis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes illa, necnon præſentes literas valida, firma, & efficacia fore, & exiſtere, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, ac diffiniri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in gene-

re,

re, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita exprimerentur, & inſererentur; præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Die VIII. Julii MDCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Quartodecimo.

M. A. Maraldus.

Autograp. in Arch. Secret. Brevium Apoſtol. Regeſto Menſ. Jul. Anni 1637. *fol.* 18. *de quo exemp.* Auth. *in Arch. general. Ord. Tom.* H. *num.* 64.

Ut Laici jam profeſſi, finito quadriennio, & deinceps profeſſuri non niſi expleto Septennio, ad Electiones concurrant, decernit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis expoſitum fuit, quòd aliàs fel. record. Pius Papa V. Prædeceſſor noſter, dictis Fratribus Vivæ vocis oraculo conceſſit, ut Fratres Laici dicti Ordinis vocem in electionibus habere poſſent, non obſtante Concilio Tridentino Seſſione 22. de Reformatione cap. 4., quæ conceſſio fuit à Capitulis Generalibus dicti Ordinis limitata, videlicet, ut Fratres Laici hujuſmodi à voce activa, & paſſiva in electionibus prædictis tamdiu excluſi eſſent, quamdiu integrum quadriennium in eodem Ordine non compleviſſent. Quiaverò Nos ex certis cauſis, animum noſtrum moventibus, vivæ vocis oracula hujuſmodi revocavimus, Nobis propterea Fratres prædicti humiliter ſupplicari fecerunt; ut ſibi in præmiſſis, ùt infra, indulgere, & aliàs opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; quod Fratres Laici, dictum Ordinem ad præſens profeſſi, juxta prædictam dictorum Capitulorum Generalium limitationem: illi verò, qui in poſterum, per Fratres, Laicos Habitum geſtari ſolitum ſuſceperint, & profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam emiſerint Regulares, poſtquam integro ſeptennio à die ſuſcepti per eos Habitûs hujuſmodi in dicto Ordine degerint, vocem activam, & paſſivam in electionibus pręfatis habere liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtante revocatione noſtra prædicta, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus ad triginta annos duntaxat valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXX. Sept. MDCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Quintodecimo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſt. Menſis Sept. Anni 1637. *fol.* 102. *de quo exemplar in Arch. gen. Ord. Tom.* H. *num.* 112.

N O T A.

COnſtitutioni huic derogavit PP. Innocentius X. & concurſum Laicis illimitatè poſt Religionis quadriennium conceſſit, uti infra videbitur.

Conſtitutiones pro bono Ordinis gubernio in Capitulo Generali 1536. factas, inſertis poſtea variis Concilii Tridentini & Summorum Pontificum ſanctionibus, typis re-impreſſas, & denuo Decretis fel. record. Clem. VIII., Regularium reformationem concernentibus adauctas, confirmat.

URBA-

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis Apoſtolici muneris debito, Sacrarum Religionum, & Congregationum in Eccleſia Dei piè, ſanctèque inſtitutarum proſperum ſtatum, felicemque directionem ſinceris deſiderantes affectibus, his, quæ providè facta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuò, & illibata perſiſtant, libenter, dum à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, aliaſque deſuper ejuſdem muneris partes interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut pro parte dilectorum Filiorum Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Congregationis Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi Conſtitutiones pro bono dictæ Congregationis regimine, in generali eorum Capitulo, de Anno MDXXXVI. celebrato factas, ac poſtmodum inſertis nonnullis Concilii Tridentini, Summorumque Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum decretis, quæ neceſſariò erant inſerenda, iterum typis editas, nunc denuo cum inſertione Decretorum à fel.rec. Clemente Papa VIII. etiam Prædeceſſore noſtro, pro Reformatione Regularium de Anno MDXCIX. emanatorum, ac à Vener. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Concilii præfati Interpretibus, ex peculiari facultate, illis deſuper à Nobis conceſſa innovatorum, propriiſque, & perpetuis Ordinum, & Congregationum Regularium quarumdem ſtatutis, & conſtitutionibus, juxta eorumdem Decretorum diſpoſitionem inſerendorum inſertione, latino, & Italico idiomate typis mandare intendant; quò verò Conſtitutiones hujuſmodi firmiùs ſubſiſtant, exactiuſque obſerventur, illas Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis robore communiri deſiderent. Nos Miniſtri Generalis, & Fratrum præfatorum deſiderio hujuſmodi favorabiliter annuere, ipſoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes ſupplicationibus, eorumdem Miniſtri Generalis, & Fratrum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum etiam S. R. E. Cardinalium negotiis regularium præpoſitorum concilio, Conſtitutiones præfatas, prout conſcriptæ jacent, cum omnibus, & ſingulis in illis contentis Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, in eiſdem ſupplemus. Decernentes illas, necnon præſentes literas perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus dictæ Congregationis Fratribus nunc, & pro tempore exiſtentibus inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & aliis quibuſvis Congregationis, & Ordinis præfatorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Congreg. & Ordini, illorumque Superioribus, & perſonis, ac aliis quibuſvis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis &, innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de Verbo ad Verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad Verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXIV. Mart. MDCXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

M. A. Maraldus.

Autographum in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Regeſto Menſis Martii 1638. fol. 55. de quo Breve formatum in Archivo generali Ord. Tom. H. *num.* 116.

Prohibet, ne quis, quacumque auctoritate polleat, Libros, quinterna, aut folia, ſive impreſſa, ſive manuſcripta ex

noſtris

noſtris Bibliothecis extrahat, & P. Miniſtro Provinciali, & Diffinitoribus unitim facultatem tribuit, Libros inutiles cum licentia dantium, vel hæredum per Syndicos in utiles permutandi.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Conſervationi, & manutentioni Bibliothecarum ſingularum Domorum ubique exiſtentium Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, earumdemque Domorum Guardianos, & Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus dilecti Filii moderni dicti Ordinis Procuratoris Generalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam, quavis auctoritate fungens, libros, quinterna, folia, ſive impreſſa, ſive manuſcripta, dictis Bibliothecis per quoſcunque Chriſtifideles hactenus quomodolibet donata, & aſſignata, ſeu in poſterum forſan donanda, & aſſignanda, ex eis extrahere, ſive, ut extrahantur, permittere ſub quovis quæſito colore, cauſâ, prætextu, vel occaſione audeat, ſeu permittat ſub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis, per contrafacientes incurrendis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus: permittimus tamen Provincialibus, & Diffinitoribus dicti Ordinis conjunctim procedentibus, ut per eorum Syndicos, earumdem Bibliothecarum Libros, dicto Ordini inutiles, cum aliis utilibus, de licentia tamen illorum, qui eoſdem libros, ùt præfertur, donaverint, aut eorum hæredum, ſi exſtiterint, permutare: Superioribus autem ſingularum hujuſmodi domorum, ut libros, quinterna, & folia hujuſmodi etiam è dictis Bibliothecis pro uſu Verbi Dei Prædicatorum dicti Ordinis, qui in Civitatibus, oppidis, Terris, Caſtris, & Locis, in quibus dictæ Domus exiſtant, vel exiſtunt, aut aliis Locis ejuſdem Diœceſis, vel non multùm diſtantibus prædicabunt, extrahere, ac Fratribus Domorum Regularium hujuſmodi, ut illa ſtudendi cauſa ad ſuas cellas deferre valeant, dummodo in libro, ad id in Bibliothecis hujuſmodi parato nomina ſua, & librorum, ſeu quinternorum, ac foliorum hujuſmodi, quæ ſumpſerint, annotentur: ac poſtquam dicti Prædicatores, & Fratres illis uſi fuerint, illa tunc ad dictas Bibliothecas ſub iiſdem pœnis reportentur, concedere poſſint. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copiæ in valvis ſingularum dictarum Bibliothecarum, aut aliis præcipuis locis, unde ab omnibus commodè cerni poſſint, continuò affixæ remaneant; & quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXIX. Julii MDCXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. Menſ. Julii 1638. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. H. *n.* 119.

N O T A.

Videndæ quoque ſunt de hac re Conſtitutiones Innocentii X., & Alexandri VII. Benedicti XIII. &c. Item & Index Generalis Verbo. *Bibliotheca*.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum

Proceſſum de non cultu Ven. Dei Servi Fr. Raynerii Tudertini formandi facultas datur.

Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. Domini *Libellus Supplex.*

Procurator Cauſæ Ven. Dei Servi Fr. Raynerii Tudertini Eminentiis veſtris exponit, quod vigore literarum remiſſorialium fuerit auctoritate Apoſtolica proceſſus formatus, apertus, & huic S. Congregationi præſentatus; dumque debebat illius validitas examinari, Promotor fidei oppoſuit, hoc fieri non poſſe, ſi prius non formaretur proceſſus ſingularis de executione Decreti, â S. Officio anno 1625. circa votorum, luminum &c. amotionem

tionem de Sepulchris in fama Sanctitatis Defunctorum, emanati. Quapropter EE. VV. humillimè ſupplicat, quatenus per literas ſpeciales Vicario Generali Tiburtino facultatem, quantocyus talem proceſſum formandi concedere dignentur.

Quam gratiam &c.

TUDERTINA.

Sacra Rituum Congregatio, attentis narratis, & audito R. Promotore Fidei, conceſſit remiſſoriales directas Ordinario loci, qui authoritate ejuſdem S. Congregationis procedat, ùt petitur, citato ſemper in quolibet actu ſub-Promotore Fidei, per eundem Ordinarium delegatum deputando, qui interrogatoria opportuna præbeat pro fabricando proceſſu ſuper non cultu, & obſervatione Decreti S. Inquiſitionis, & omnia fiant ſervatis ſervandis. Die XXVI. *Septembris* M. DC. XXXVIII.

C. Epiſc. Portuenſis Card. Pius.

Julius Concius Secretarius.

Exemplar auth. in Archivo generali Ordinis Tom. G. num. 81.

Indulgentiis Orationis quadraginta Horarum per noſtros Concionatores inſtitutæ jam plenariè conceſſis, alias partiales ſuperaddit.

URBANUS PAPA VIII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis.

Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum, ſemel quolibet anno, de licentia Ordinariorum locorum, in Eccleſiis, in quibus per dilectos filios Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinos nuncupatos, tempore Quadrageſimali verbum Dei prædicari, vel ſermones fieri contigerit, in Palmarum, vel alia Dominica ad hoc magis opportuna inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium devotè interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Iis verò, qui ſacra Communione refecti non fuerint, ſed verè pænitentes, & firmum confitendi propoſitum habentes Orationi Quadraginta horarum hujuſmodi, ùt ſupra, interfuerint, &, ùt præfertur, oraverint, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus; Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Volumus autem, quod, ſi aliàs Chriſtifidelibus in dictis Eccleſiis præmiſſa peragentibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, quodque, ſi pro præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, ipſæ præſentes nullæ ſint eo ipſo. Utque etiam præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 30. Novembris M. DC. XLI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo octavo.

M. A. Maraldus.

Exemplar authen. in Arch. generali Ordinis tom. H. num. 129.

NOTA.

AD præſens uſque tempus Indulgentiæ hæ fuère ſemper conceſſæ; Aliæ, quæ Orationem quadraginta horarum concernunt, fusè videre eſt ſuprà fol. 54.

Ex qualibet Provincia Patrem Miniſtrum Provincialem cum duobus PP. Cuſtodibus ad Capitulum Generale deinceps ablegari poſſe, decernit, ita tamen, ut pro ratione Provinciarum in partibus Ultramontanis multiplicatarum decem Italiæ Provinciis privilegiatis, vota ſupernumeraria reſtituantur. Et, ne deinceps fundatio, vel diviſio Provinciæ, abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu, in Religione fiat, mandat.

URBA-

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvatoris, & Domini Noſtri JESU Chriſti, qui Charitas eſt, & Deus pacis, vices, licet immeriti gerentes in terris, ad ea ex paſtoralis officii noſtri debito libenter intendimus, per quæ inter quoſcumque Chriſtifideles, præſertim Altiſſimo ſub ſuavi Religionis jugo famulantes pax, & concordia ſtabilitur, & quæ propterea proinde facta fuerunt, Apoſtolico munimine roboramus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem à Venerabili Fratre noſtro Guidone Epiſcopo Præneſtinen. Bentivolio, ac à dilectis Filiis noſtris Antonio Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Sancti Honuphrii Fratre Noſtro Germano, Majori Pœnitentiario, & Bernardino Sancti Petri ad Vincula Spada, necnon Julio Sanctæ Suſannæ Sacchetto, & Joanne Baptiſta Sancti Euſebii Pamphilio, ac Hieronymo Titulorum S. Agnetis in Agone Presbyteris Veroſpio, necnon Martio Sancti Angeli in Foro Piſcium Diacono Cardinalibus Ginetto reſpectivè nuncupatis, quibus negotium paritatis votorum inter dilectos Filios Fratres Minores Ordinis S. Franciſci Capucinos nuncupatos ultra, & Eis montes concedendæ, vel negandæ Fratribus Ultramontanis, illam petentibus, commiſeramus, emanavit Decretum tenoris ſequentis, videlicet: Quod pro pace, & concordia in univerſa Capucinorum Religione ſtabilienda opporteat omnes ejuſdem Religionis Provincias ad abſolutam Votorum paritatem reducere, ita, ut illarum quælibet præter Patrem, ut vocant, Miniſtrum Provinciæ, eligat duos Cuſtodes nuncupatos ad futura Capitula generalia mittendos. Quoniam verò, ut hæc Votorum paritas in Religionem inducatur, neceſſe eſt, decem ejuſdem Religionis Provincias, quæ ſunt Romana, Umbriæ, ſive Sancti Franciſci, Picæna, Bononienſis, Neapolitana, Veneta, Hetruſca, Lucana, ſive Baſilicatæ, Samnitum, ſeu Aprutii, & demum Apuliæ, Dauniæ, Garganique Montis, ſive Sancti Angeli, cedere quibuſdam votis, eaque, quibus nunc fruuntur, & aliis Provinciis præſtant (cum quatuor primò relatæ tribus votis, tres ſecundo loco deſcriptæ duobus, tres verò poſtremò recenſitæ uno cæteris omnibus Superiores exiſtant) Idcircò iidem Eminentiſſimi ſtatuendum cenſuerunt, quod, ſi in poſterum fundari, ſeu de novo erigi Provinciam, vel ex jam fundatis aliquam dividi contingat, tot ſuperiùs decem enarratis Provinciis tunc vota reſtituantur, quot ex hujuſmodi fundatione, vel diviſione in Religione augebuntur. Et ita aliquâ Provinciâ plura, & nova vota per fundationem, vel per diviſionem acquirente, tria hujuſcemodi vota primò acquiſita, tribus primis ex decem præfatis Provinciis unum pro ipſarum qualibet accreſcant, atque inſuper Cuſtodem eligant, & aliis Provinciis numerum votorum ſimiliter augentibus, reliquis ex decem Provinciis pari pacto ſecundùm ipſarum ordinem vota illuc uſque creſcant, quoad omnibus decem Provinciis vota, & Cuſtodes, quibus antea gaudebant, reſtituantur. Quod ſi accidat aliquam ex decem Provinciis dividi, tunc neque ipſa, neque aliæ novem aliquod ex hujuſcemodi diviſione Votorum augumentum adipiſcatur, neque Provincia diviſa poſſit ultra vota, quibus nunc cedit, ullo unquam tempore per quamlibet, vel diviſionem, vel fundationem cujuslibet Provinciæ, in Patrum Capucinorum Religione faciendam, aliquod inſuper Votum poſtulare. Cum autem eadem Religio in tantam hucuſque molem per tot Provincias dilatata excreverit, ut vix R. P. Miniſter Generalis integro Miniſterii ſexennio in iiſdem Viſitationis munus poſſit implere, idcirco nullam impoſterum *vel fundationem vel diviſionem* Provinciarum in Religione abſque conſenſu S. Sedis Apoſtolicæ poſſe fieri, Emi Patres decreverunt. Et inſuper, quod in futuris Capitulis circa electiones nihil innovetur, ſed Religio votorum antiquâ, & perpetuâ fruatur libertate, quam hucuſque ingenti Divini cultûs augmento poſſedit. Quod ſi vel omnes, vel major Provinciarum pars, quæ ultra montes degunt, Votorumque paritatem efflagitant, nolint huic Eminentiſſimorum Patrum Decreto acquieſcere, tunc ſtatim intelligantur præfatis decem Provinciis eadem Vota reſtituta, quibus cæteris Provinciis præſtant. Et ita iidem Eminentiſſimi cenſuerunt, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, hac Die XI. Junii M.DC.XLIII. Ut autem præmiſſa firmiùs ſubſiſtant, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſerventur, Motu proprio, ac ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præinſertum Decretum eorumdem Cardinalium, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos tam Juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, quos illæ concernunt, & quomodolibet concernent, in futurum inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari, ſicque per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, quavis authoritate fungentes judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus

Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVIII. Junii M.DC.XLIII. Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Jun. 1643. *fol.* 29. *de quo Breve formatum in Archivo gen. Ord. Tom.* H. *num.* 131.

NOTA.

Concurſus Patrum Cuſtodum Supernumerariorum ad electiones Capituli Generalis ob graves cauſas nunquam fuit in uſu. Quænam autem circa eundem, Reverendiſſimum Diffinitorium Generale noviſſimè ſtatuerit, in alio patebit loco.

Conſtitutiones Ordinis in Capitulo generali 1643. ampliatas, & à S. Congreg. Epiſc. & Regul. approbatas confirmat, iiſque perpetuæ inviolabilis, & Apoſtolicæ firmitatis robur adiicit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacroſanctum Apoſtolatûs Officium humilitati noſtræ per ineffabilem Divinæ Sapientiæ providentiam commiſſum, jugiter Nos admonet, ut inter graviſſimas, multipliceſque Apoſtolicæ ſervitutis curas illā peculiari ſtudio complectamur, per quā Chriſtifideles ſub ſuavi Religionis jugo, virtutum Domino famulantes ſub certis, & providè ordinatis Conſtitutionibus in Sanctitate & Juſtitia felicioribus in dies proficiant incrementis, ac proinde iis, quæ propterea facta ſunt, ut ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſerventur, Apoſtolicæ Confirmationis robur adiicimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè pro parte Dilectorum filiorum Innocentii de Calatagirone Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper expoſitum fuit, quod in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis noviſſimè de præſenti anno hac in Alma Urbe noſtra celebrato, expediens judicatum fuit cum conſenſu dilecti filii noſtri Antonii Tituli Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Presbyteri Cardinalis Sancti Onuphrii nuncupati, Majoris Pœnitentiarii, noſtri ſecundum Carnem Fratri Germani, ac dicti Ordinis apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectoris novas ejuſdem Ordinis Conſtitutiones immutare, & antiquis uſque de Anno M. DC. IX. Romæ impreſſis, ſed nondum Apoſtolica authoritate confirmatis, in poſterum, uti unà cum additionibus factis à dilectis filiis Diffinitoribus in dicto Capitulo Generali, & ab iiſdem Diffinitoribus lectis, & publicatis, nec non ab omnibus Patribus ejuſdem Capituli approbatis, Tenoris ſequētis, videlicet.

Conſtitutiones factæ in Capitulis Romæ An. 1625. 1633. 1637. *&* 1643. *celebratis &c.*

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Conſtitutiones antiquæ præfatæ, & additiones præinſertæ per Venerab. Fratres Noſtros S.R.E. Card. negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitos viſæ, & diligenter examinatæ fuerint, & propterea Innocentius Miniſter Gener. & Fratres præfati illas Apoſtolici roboris præſidio communiri deſiderent: Nos inviolabili earumdem Conſtitutionum obſervationi, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, ac Innocentium Miniſtrum Generalem, & Fratres præfatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de præfatorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum conſilio, Conſtitutiones Ordinis præfati de dicto Anno M. DC. IX. ùt præfertur, Romæ impreſſas, nec non additiones præinſertas Apoſtolica authoritate, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ inviolabilis Apoſtolicæ robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, nec non tam præfatas antiquas, ùt præfertur, impreſſas Ordinis præfati Conſtitutiones, quàm additiones præinſertas ab omnibus, & ſingulis ejuſdem Ordinis Fratribus, & perſonis ſub pœnis, in eis contentis in poſterum omnino obſervari, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices

dices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Conciliis Univerſalibus, & Provincialibus editis, ac quibuſvis aliis dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Junii M. DC. XLIII. Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Reg. Junii 1643. fol. 33. de quo Breve formatum in Archivo gen. Ord. Tom. H. *num.* 116.

Per Eminentiſſimum Antonium Cardinalem S. Onuphrii, Ordinis Protectorem, Miniſtris Provincialibus facultatem tribuit de conſenſu Patrum Seniorum ejiciendi ab Ordine incorrigibiles: declaratque, quod non obſtante Decreto Sacræ Congreg. Concilii, ſufficiat ad hoc aſſenſus Patris Miniſtri Generalis, etiam per literas miſſivas habitus.

A tergo. *Dilecto Filio noſtro Antonio Tit. S. Honuphrii Presb. Card. noſtro &c.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM inter Decreta, per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales Concilii Tridentini interpretes edita de Regularibus Apoſtatis, & ejectis extet ſequens, videlicet: *Ut in poſterum è Religionibus nullus legitimè profeſſus eiici poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, & conſuetudinibus cujuſcunque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis, verùm etiam unius anni ſpatio, in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proinde unaquæque Religio privatos habeat carceres in qualibet ſaltem Provincia; elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pertinacia perſeveraverit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tanquam Pecus morbida, ac membrum putre, ejici tandem poſſit*, ſed ab ipſomet Generali tantùm *de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus, tumque nonniſi inſtructo ſecundùm eorum ſtilum, & Conſtitutiones Proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis, ad Sacrorum Canonum præſcriptum.* Sicut autem pro parte dilecti filii Miniſtri Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper expoſitum fuit, in Ordine hujuſmodi præinſertum Decretum difficulter, ùt experientiâ hactenus compertum eſt, executioni demandari poſſit, eò quod Generalis Miniſter hujuſmodi in ſingulis ejuſdem Ordinis Provinciis eſſe, ſecumque illos ſex Patres graviores, juxta idem Decretum ducere nequeat. Nobis propterea dictus Miniſter Generalis humiliter ſuplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur proſpero ejuſdem Ordinis ſtatui hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere volentes, dictumque Miniſtrum Generalem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de nonnullorum Rom. Curiæ Prælatorum, deſuper à nobis deputatorum conſilio, circumſpectioni tuæ, qui Ordinis præfati apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protector exiſtis, Decretum præfatum hac in parte declarando, Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium tribuimus facultatem: *concedendi licentiam Miniſtris Provincialibus Provinciarum dicti Ordinis, ut poſſint de conſenſu Patrum Seniorum ſuarum reſpectivè Provinciarum, eiicere incorrigibiles à dicto Ordine, facta prius relatione Miniſtro Generali, & habito ejus conſenſu, etiam per Literas miſſivas, ſervata tamen in cæteris forma dicti Decreti de Regularibus Apoſtatis, & ejectis.* Non obſtantibus eodem Decreto, ac Apoſtolicis etiam in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordina-

Ordinationibus, nec non Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX. Sept. M. DC. XLIII. Pontificatus noſtri Anno Vigeſimoprimo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſis Sept. 1643. *fol.* 8. *de quo exempl. Auth. in Archivo gen. Ord. Tom.* H. *num.* 130.

N O T A.

(a) *Cap. cum Monaſteriũ de Statu Monach. Cap. ea, quæ tit. eod. Cap. Relatum, ne Clerici, vel Monachi &c.*

PEr Canonicas ſanctiones (*a*) ſalubriter conſulitur, ut Oves morbidæ (Fratres incorrigibiles) è Regularium Ordinum Ovilibus eiiciantur, ne putri illarum ſcabie ſanæ inficiantur. Exigit tamen rei hujus gravitas, ut cautè, & ſecundùm leges, ab Apoſtolica Sede poſitas, in caſu procedatur.

Noſtræ quidem Religioni à Papa Gregorio XIII. vivæ vocis Oraculo, de quo Authenticum *in Archivo generali Ordinis Tomo* D. *num.* 10. aſſervatur documentum, fuit conceſſum, ut *bis admoniti, & non emendati* poſſent expelli, fuit autem hoc Oraculum poſtea per Decreta Sacræ Congregationis Concilii *de ejectis, & Apoſtatis* à Papa Urbano VIII. confirmata, infirmatum, & plures articuli, in tali expulſione deinceps obſervandi, per eandem Sac. Congregat. præſcripti, qui cum ejectionem, in noſtro Ordine ex parte conſensûs, à Patre Miniſtro Generali habendi, redderent difficilem, ab eodem Summo Pontifice per ſuprapoſitam Conſtitutionem aliter tunc fuit proviſum. Dumque dein ſub Innocentio X. Ordines Regulares pro novo dictorum Articulorum moderamine communi recurſu inſtabant, fuit punctum ad aliud ſyſtema, ſuo loco videndum, reductum. Quantumcunque autem hoc expulſionem ex parte Religionum multùm facilitet, Ordo tamen noſter, ne faſtidioſo Diſcolorum contubernio, diutius in caſu deberet moleſtari, Sacræ Sedi pro Decretorum, ab Urbano VIII. & Innocentio X. confirmatorum abrogatione ſupplicavit, quæ & per Reſcriptum, infrà inter Conſtitutiones glor. Regnantis Summi Pontificis cum alia Nota ponendum, fuit ſubſecuta.

INNOCENTIUS X.

Romanus, Joannes Baptiſta Cardinalis Pamphilius antea dictus. Romæ XIV. *Septem.* MDCXLIV. *Summus Pontifex creatus. Obiit* VII. *Januarii* M.DC.LV. *poſtquam ſediſſet Annos* X., *menſes* III., *dies* XXV.

Bernardinum Epiſcopum Albanenſem S. R. E. Cardinalem Spada nuncupatum, Ordinis Protectorem renuntiat.

A tergo. *Venerabili Fratri Noſtro Bernardino Epiſcopo Albanenſi S. R. E. Cardinali Spadæ nuncupato.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM per obitum bo. mem. Antonii S.R.E. Cardinalis Sancti Onuphrii nuncupati FF. Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, dum viveret, apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, Fratres prædicti Protectore deſtituti remanſerint, Nos eiſdem Fratribus &c.... *Reſiduum Apoſtolici Brevis vide verbatim ſupra fol.* 88.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XVIII. Septembr. M. DC. XLVI. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Diverſorum primo fol. 343. *de quo in Archivo gener. Ordin. Exempl. Tom.* H. *num.* 162.

N O T A.

FUerat Eminentiſſimus hic, ſenio æquè, ac Apoſtolico labore conſumpto Cardinali Antonio, à Sanctiſſimo jam pridem datus in adjutorium oneris, quod Protectorium vaſtæ noſtræ Religionis munus in ſe habet annexum: quo dein defuncto, hoc in ſe ſuſcepit integrum, & ſtudioſiſſimo Zelo, ac charitate tenuit uſque ad mortem, quamvis negotiorum mole ſuadente, Protectoratum RR. PP. Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſium prius renuntiâſſet.

Derogat Conſtitutioni Urbani VIII. & Laicis vocem activam, & paſſivam terminato Religionis quadriennio reſtituit.

INNO-

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Miniſter Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Quod aliàs, poſtquam fel. record. Pius Papa V. Prædeceſſor noſter, dictis Fratribus vivæ vocis oraculo conceſſerat, ſeu declaraverat, ut Fratres Laici dicti Ordinis vocem in electionibus habere poſſent, non obſtante Concil. Trident. ſeſſ. XXVI. de reform. cap. IV. conceſſioque, ſeu declaratio hujuſmodi fuerat à Capitulis generalibus dicti Ordinis limitata, videlicet: Ut Fratres Laici hujuſmodi à voce activa, & paſſiva in electionibus prædictis excluſi forent tamdiu, quamdiù integrum quadriennium in eodem Ordine non compleviſſent: poſtmodum etiam rec. mem. Urbano Papa pariter Prædeceſſore noſtro, quia ex certis cauſis animum ſuum moventibus vivæ vocis oracula hujuſmodi revocaverat, ſupplicato, ut deſuper opportunè provideret, idem Urbanus Prædeceſſor hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, quod Laici dictum Ordinem eatenus profeſſi, juxta prædictam dictorum Capitulorum generalium limitationem; ii verò, qui ex tunc de cœtero Habitum per Fratres Laicos hujuſmodi geſtari ſolitum ſuſcepiſſent, & profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam emiſiſſent regulares, poſtquam integro ſeptennio à die ſuſcepti per eos Habitûs hujuſmodi in dicto Ordine degiſſent, vocem activam, & paſſivam in electionibus prædictis ad triginta duntaxat annos habere liberè, & licitè poſſent, & valerent, Apoſtolica Auctoritate conceſſit, & indulſit, & aliàs, prout in ſuis, in ſimili forma Brevis literis de Anno MDCXXXVII. deſuper emanatis, quarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus, uberiùs continetur. Limitationem verò hujuſmodi ægrè ferens totus Ordo prædictus, & in ea revocanda in terminis expreſſis difficilem reperiens eundem Urbanum prædeceſſorem, ab eo denuo Conſtitutiones ejuſdem Ordinis, prout jacent, Apoſtolica Authoritate confirmari procuravit, obtinuitque, & ex hujuſmodi confirmatione priſtinum jus eorundem Fratrum Laicorum quoad electiones prædictas illis reſtitutum fuiſſe, prætendit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, multi ex Fratribus hujuſmodi in dubium revocârint, an ex nova earundem Conſtitutionum confirmatione prædictæ reſtitutioni juris eligendi, factæ Fratribus laicis hujuſmodi fuit, & ſit ſufficienter, & abundè cautum, Nobis propterea idem Miniſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè, ut infra, providere, & indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui felicem dicti Ordinis ſtatum, & directionem ſinceris deſideramus affectibus, eundem Miniſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque, Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatas dicti Ordinis Conſtitutiones, vocem, & votum in electionibus concedentes Fratribus Laicis Capucinis hujuſmodi in dicto Ordine ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter, & prout in eiſdem Conſtitutionibus continetur, obſervari, & adimpleri debere, ac quoſcunque Ordinis Superiores, Fratres, & Perſonas ad earundem Conſtitutionum obſervationem quoad hoc omnibus juris, & facti remediis cogi, & compelli poſſe, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, & alios quoſvis Commiſſarios, quavis Auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & mandamus. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ idem Urbanus Prædeceſſor in ſuis Literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Sept. MDCXLVII. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. Sept. 1647. *fol.* 40. *de quo Breve form. in Arch. gen. Ord. Tom.* G. *num.* 120.

Bibliothecas debitè inſtrui, & Libros ſuperfluos, ad alios Conventus, iis carentes, juxta Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris arbitrium mitti, concedit.

Foris. *Venerabili Fratri Noſtro Bernardino Epiſcopo Albanenſi, S. R. E. Cardinali Spadæ*

dæ nuncupato, Fratrum Minorum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectori.

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater Noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quòd aliàs authoritate Apoſtolica pluries, ne ex aliquibus particularibus ſpeciatim, noviſſimè verò à fœl. rec. Urbano Papa VIII. Prædeceſſore Noſtro generatim ſub excommunicationis pœna, per contrafacientes incurrenda interdictum, prohibitumque fuit, ne ex Bibliothecis Conventuum omnium, & ſingularum ejuſdem Ordinis Provinciarum libri ullatenus amoveri poſſent. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, in pluribus ex Bibliothecis hujuſmodi libri duplicati, ac etiam triplicati ejuſdem generis, & conſequenter ſuperflui, qui in aliis Conventibus dicti Ordinis neceſſarii forent, reperiantur, Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Eundem exponentem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Circumſpectioni Tuæ per præſentes injungimus, ut omnibus, & ſingulis Miniſtris Provincialibus dicti Ordinis, quòd eorum quilibet in ſua propria Provincia reſpectivè illius Conventuum Bibliothecas debitè inſtruat, & componat, & ex eis libros ſuperfluos amoveat, & extrahat, illoſque ad alios dicti Ordinis Conventus, illis carentes mittat, licentiam authoritate noſtra Apoſtolica arbitrio tuo concedas. Non obſtantibus prohibitionibus prædictis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXIII. Julii M. DC. XLVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

M. A. Maraldus.

Autographum in Archiv. Secret. Brevium Apoſt. Reg. Menſ. Julii 1648. *fol.* 1. *de quo Breve formatum in Arch. gener. Ord. Tom.* H. *num.* 165.

N O T A.

ANteriorem Urbani VIII. Conſtitut. vide ſuprà fol. 97. & aliam poſteriorē Benedicti XIII. ſuo loco.

D E C R E T O.

Sacræ Congreg. Epiſcoporum, & Regular.

Cadavera Sęcularium, Habitu noſtri Ordinis veſtiri poſſe, declaratur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſs. Domini.

SIxtus IV. in Conſtitutione incip. *Apoſtolicæ manſuetudinis*, publicata anno 1472. relatam à Rodriq. tom. 2. Quæſt. Regul. q. 76. a. 8., quam à Caſarubio in compendio privilegiorum Mendicantium, Verb. *Habitus* n. 3. pag. mihi 68. & 69., fidelibus conceſſit, quòd, ſi cum Habitu Fratrum Minorum vellent ſepeliri, id, etiam contra voluntatem Parochorum, facere poſſent, prohibuitque Prælatis, & Eccleſiarum Rectoribus ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ, ne id impedirent. Idem quoque Summus Pontifex in Bulla aurea, incip. *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Oadines*, emanatâ an. 1479., uti videre eſt in Bullario Tom. primo pag. 322., præcipit, ut Habitus conferatur â Patre Guardiano. Gaudent hocce privilegio Capucini per communicationem privilegiorum Fratrum Minorum, ipſorum Ordini conceſſam à Clemente Papa VII. in Conſtitutione incip. *Religionis Zelus*, publicata ann. 1528. citata in Bullario tom. 1. pag. 492., & confirmata anno 1636. à Paulo III. Conſtitutione incip. *Exponi Nobis*, relata pariter in Bullario T. primo pag. 523. Præterquam, quod Capucini juxta declarationem tum Pauli V. in Bulla *Eccleſiæ Militantis*, poſita in Bullar. T. 3. pag. 178. tum Urbani VIII. in Bulla *Salvatoris*, edita 1621. citata pariter in Bullario T. 4. pag. 85. ſint veri Fratres Minores. Cum autem per publicas plateas, & Eccleſias quorundam locorum cadavera Habitu, quem Capucini ex devotione petentibus dare ſolent, non ſine gravi ſcandalo, nec minore Capucinorum injuria, ac ſacrarum Pontificiarum Conſtitutionum contemptu ſpolientur, prout in facto Civitatis N. conſtat, non obſtante, quòd

Libellus Supplex.

quod Decretum Epiſcopi ibidem in favorem Capucinorum exhibuerit, Procurator Generalis Ordinis recurrit humillimè ad EE. VV. ſupplicando, quatenus ad tollendam deinceps omnem diſcordiam declarare dignentur, quod Oratoribus, ceu veris Fratribus Minoribus, juxta memoratas Conſtitutiones Apoſtolicas, modo ſupradicto, Habitum dare licitum ſit. Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, cenſuit licere Oratoribus, vigore prænarrati indulti S. Mem. Sixti IV., ac propterea à nemine poſſe deſuper impediri, aut moleſtari &c. Romæ die 29. *Januarii* 1649.

M. Cardinalis Ginnettus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Albericius Secret.

Exemplar Authenticum in Archivo generali Ordinis Tom. G. *num.* 129.

DECRETO.

Sacræ Congregationis ad Indicem Librorum &c. deputatæ.

Annales Ordinis noſtri à P. Zaccharia Boverio compoſitos, juxta correctionis exemplar re-imprimi poſſe &c. declaratur.

SAcra Congregatio Indicis facultatem concedit Fratribus Minoribus Capucinis, ut poſſint iterum imprimere, ac in lucem edere Annales ſui Ordinis, Authore Zaccharia Boverio jam ſuſpenſos, juxta exemplar tamen correctionis, eiſdem adhibitæ juſſu Sacræ Congregationis, & additis proteſtationibus in principio, & fine cujuslibet libri, juxta Decreta Urbani VIII. Hac verò correctione appoſita dicti Annales liberè, ac licitè ab omnibus legi poſſint. Romæ 18. Novembris 1652.

Fr. Raimundus Capiſuccus Ord. Prædic. Sac. Cong. Secret.

Loco ✠ Sigilli.

Exempl. Auth. in Arch. gener. Ord. Tom. A. *num.* 12.

NOTA:

POnitur hìc hæc facultas, ut eâ, ceu Scuto circumdetur veritas contra rumorem, quo ad hodiernum uſque diem ſparſo, lectionem æquè ac novum Annalium noſtrorum typum, abſolutè ſuſpenſum eſſe, nonnulli prætendunt.

Duo Fratres profeſſi, qui abſque S. Sedis, & Superiorum licentia, ad PP. Obſervantes tranſierunt, declarantur Apoſtatæ, & nulla reputatur Profeſſio inter ipſos emiſſa.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quòd aliàs quidam N. N. Provinciæ N., ſuſcepto per eum Habitu per Fratres Clericos dicti Ordinis geſtari ſolito, & emiſsâ profeſſione Regulari per eoſdem emitti conſuetâ, ſuſceptiſque in eodem Ordine Sacris etiam Presbyteratûs Ordinibus, multos poſt annos ab ipſa profeſſionis hujuſmodi emiſſione clanculùm, & furtim è Domo Regulari loci N. dicti Ordinis exiit, & ad Conventum dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum ſe contulit, à quibus receptus, & poſtmodum ad Conventum eorumdem Fratrum Obſervantium miſſus, Habitumque per ipſos Fratres Obſervantes geſtari ſolitum inibi ſuſcepit, & ab excommunicationis ſententia ob clanculam fugam hujuſmodi per eum incursâ, à Venerabili Fratre Epiſcopo N. abſolutus, & ab eo ſub ſua protectione receptus fuit. Quod cum dilectus Filius Guardianus dictæ Domus Regularis reſciviſſet, in forma authentica, & legitima penes ipſos Fratres Obſervantes inſtitit, ut illi eundem F. N. dictis Fratribus Capucinis reſtituerent: apud verò eundem Epiſcopum, ut ipſe ab ejuſdem Fratris protectione deſiſteret; prædicti tamen Fratres Obſervantes nec eundem Fratrem reſtituere, nec dictus Epiſcopus ab illius protectione deſiſtere voluerunt. Unde etiã hunc in diem Frater inter ipſos Fratres Obſervantes, non ſine Regularium, & Sæcularium ſtupore, & offendiculo degit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, tranſitus ejuſdem N. ab ipſis Fratribus Capucinis ad eoſdem Fratres Obſervantes, uti ſecutus abſque debitis licentiis Superiorum Capucinorum, & aliorum majorum, ad quos ſpectat, nedum à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſed etiam per quaſdam in ſimili forma Brevis literas, ſeu Conſtitutionem à fel. record. Urbano Papa VIII. Prædeceſſore noſtro emanatas, incipientes,

pientes: *Injuncti Nobis &c.* Quibus inter alia interdicitur, *ne ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus ullus dicti Ordinis Capucinorum Religioſus ad laxiorem abſque ſpeciali ſua, & Sedis Apoſtolicæ, ad Carthuſianos verò, ſeu alium quemcunque Ordinem, vel Congregationem, niſi de Miniſtri Generalis pro tempore exiſtentis dicti Ordinis licentia, in ſcriptis obtinenda, quovis prætextu, ſeu cauſa ſub Apoſtaſiæ, & infamiæ nota, ac excommunicationis, & vocis activæ, & paſſivæ privationis pœnis tranſire quoquomodo audeat, ſeu præſumat,* prohibitus ſit; Nobis propterea, ac aliàs, quia quidam Converſus Capucinus ejuſdem Provinciæ N. exemplo dicti N. ductus, ad eoſdem Fratres Obſervantes paulò poſt tranſire auſus eſt, ab eiſque receptus, & à Venerabili etiam Fratre Epiſcopo N. ab excommunicatione abſolutus, ſubque ſua protectione receptus fuit, & inter eoſdem Fratres Obſervantes degit, ut præfertur, humiliter ſupplicari fecit, ut de opportuno in præmiſſis remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eundem Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, De Venerabil. Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum conſilio, declarando prædictam dicti Urbani Prædeceſſoris Conſtitutionem habere locum in Congregationibus ejuſdem Ordinis Sancti Franciſci Minorum de Obſervantia, ſeu Recollectorum, aut Reformatorum, ſeu aliorum inſtituti mitigati, prænarratos eorumdem N. & N. tranſitus, & receptiones fuiſſe nullos, & invalidos, eoſdemque N. N. incidiſſe in pœnas dictæ Conſtitutionis ejuſdem Urbani Prædeceſſoris, ac uti apoſtatas reputandos, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium decernimus. Superioribus verò Provincialibus, Guardianis, Vicariis quibuſcunque Congregationum hujuſmodi, ne in poſterum Fratres Capucinos contra formam dictarum Urbani Prædeceſſoris literarum, ſeu Conſtitutionum, ac præſentis Decreti, recipere, admittere, ſeu retinere præſumant, ex quavis cauſa, & prætextu, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, privationis officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad quoſcumque actus legitimos exercendos pœnis, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis, auctoritate, & tenore præmiſſis interdicimus, & prohibemus, facultate abſolvendi, habilitandi, ſeu reintegrandi duntaxat Sedi Apoſtolicæ reſervata, ſalvaque ſemper in præmiſſis auctoritate eorundem Cardinalium: Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, quos illæ concernunt, & concernent, in futurum inviolabiliter obſervari. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium emiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVII. Jul. MDCLIII. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

G. Gualterius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Regeſto Menſis Julii 1653. fol. 7.

ALEXANDER VII.

Italus, ex Civitate Senenſi, Fabius Cardinalis Ghiſius antea dictus. Romæ VII. *Apr.* MDCLV. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XXII. *Maii* MDCLXVII. *poſtquam ſediſſet Annos* XII. *Menſem* I. *Dies* XVI.

Ne ex noſtris Bibliothecis Libri, quinterna, folia &c. extrahantur, vel extra Ordinem commodentur, ſub excommunicationis, ac privationis &c. pœnis noviter prohibet.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

CONſervationi, & manutentioni Librorum Bibliothecarum omnium, & ſingulorum Conventuum Fratrum Ordinis Minorum Sancti

cti Franciſci Capucinorum nuncupat. in quacunque mundi parte exiſtentium, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ac dilectum Filium modernum dicti Ordinis Miniſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Miniſtri Generalis nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam, quavis auctoritate, ſuperioritate, ſeu officio fungens, libros, quinterna, folia, aut ſcripturas tam impreſſas, quàm manuſcriptas, tam hactenus per quoſcumque Chriſtifideles dictis Bibliothecis reſpectivè donatas, & aſſignatas, quàm in poſterum forſan donandas, & aſſignandas, quibuſvis perſonis (præterquam Fratribus dicti Ordinis, qui quidem libros â Bibliothecis hujuſmodi reſpectivè de Superioris, ſeu Bibliothecarii pro tempore exiſtentis licentia extrahere, & eis pro communi Conventuum hujuſmodi, & particulari Fratrum dicti Ordinis uſu in ſuis cellulis, Fratribus quoque ejuſdem Ordinis Verbum Dei prædicantibus, qui etiam extra ſuos Conventus uti poſſint, ſed finito uſu hujuſmodi, ſubitò ad dictas Bibliothecas reſpectivè ſub infraſcriptis pœnis reportare omnino debeant) commodare, aut ſub quovis quæſito colore, ingenio, cauſa, ratione, aut occaſione è dd. Bibliothecis extrahere, & aſportare, ſeu, ut commodentur, aut extrahantur, & aſportentur, permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per contrafacientes eo ipſo incurrendis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Conventuum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis omnium, & ſingularum Bibliothecarum Conventuum dicti Ordinis, ſeu alio conſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat, quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Julii MDCLVI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſt. Jul. 1656. fol. 56. de quo Brev. format. in Arch. gen. Ord. Tom. H. *num.* 119.

N O T A.

Vetat Breve hoc ſpeciatim, & ultra id, quod per Brevia PP. Urbani VIII. ſupra fol. 97. & Innocentii X. fol. 103. prohibitum extat, ne Libri extra Ordinem commodentur.

Duos Fratres Carnales non poſſe inſimul eſſe Diffinitores, nec unum alteri in Provincialatûs Officio immediatè ſuccedere decernit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilecti Filii Miniſter Generalis, & Diffinitores Generales Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecerunt, quod in nonnullis ejuſdem Ordinis Provinciis uſu fuerit introductum, ut duo Fratres carnales dicti Ordinis profeſſores inſimul in ipſarum Provinciarum Diffinitores eligantur, & unà in Congregationibus, ac Diffinitoriis cum ſuffragii præſtandi, & negotiorum Provinciarum hujuſmodi reſolvendorum facultate interveniant, quin imo nonnunquam unus Fratrum carnalium alteri in Provincialatu unius ejuſdemque Provinciæ immediatè ſuccedat, cumque ex prædictis maximum bono præfati Ordinis regimini, & regulari obſervantiæ inferatur præjudicium; prout in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis noviſſimè celebrato graviter oſtenſum fuiſſe ipſi exponentes aſſerunt: Hinc eſt, quod Nos felici Ordinis præfati directioni pro paſtoralis officii noſtri debito conſultum eſſe cupientes, dictos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis â jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad præſentium effectum duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut de

cætero duo Fratres carnales in Diffinitores unius ejuſdemque cujuſvis Provinciæ dicti Ordinis inſimul eligi, & unà ſuffragium in ipſius Provinciæ Congregationibus, & Diffinitorio præſtare, ejuſque negotia reſolvere non valeant, & nemo Fratri ſuo carnali in Provincialatu unius ejuſdemque Provinciæ Ordinis hujuſmodi immediatè ſuccedere umquam poſſit, Apoſtolica, authoritate, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, & ordinamus. Decernentes etiam eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab illis, ad quos ſpectat, aut pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum quarumvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 11. Octobris MDCLVI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius.

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto Octobr. 1656. fol. 1. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ordinis Tom. H.H. *num.* 11.

D E C R E T O

S. Congreg. Epiſcop. & Regular. &c.

Conventus, in quibus plures quàm ſex Fratres degunt, in Decreto S. me. Innoc. X. *Ut in parvis &c.* non comprehenſos eſſe, declaratur.

Beatiſſime Pater.

PRocurator Generalis Capucinorum Sanctitati Veſtræ humillimè exponit, qualiter â multis Miniſtris Provinciarum, præſertim in Regnis Neapolitano, & Siciliæ informetur, quod nonnulli Epiſcopi crebriùs Monaſteria Religionis accedant, inquirentes, an numerus Fratrum per Decretum, *ut in parvis &c.* noviſſimè â S. mem. Innoc. X. emanatum ibi reperiatur, & caſu, quo numerum præfixum Fratrum (quantumvis eorum aliqui pro paucis diebus, vel prædicationis, vel aliorum negotiorum ergò exiverint) effectivè non inveniant, illico eorum poſſeſſionem ſumant, exerceantque omnes alias functiones &c. Inſuper quod & idem faciant in Conventibus, in quibus plures, quàm in memorato Decreto præſcribantur, Fratres realiter exiſtunt. Quod, cum non ſolùm formæ Decreti adverſetur, ſed & Fratres continuò diſturbet, Procurator dictus Sanctitati Veſtræ demiſiſſimè ſupplicat, quatenus declarare dignetur, quod Decretum fatum Loca, in quibus effectivè plures, quàm ſex Fratres â Decreto præſcripti collocantur, non comprehendat, & proinde Ordinarii nullam prorſus in iis poſſint exercere juriſdictionem. Quam Gratiam &c. *Libellus Supplex.*

Libello hoc ex Italico ad Latinum Idioma traducto ad S. Congregationem remiſſo, hæc ita deſuper decrevit.

Sacra Congregatio ſuper Statu Regularium cenſuit Conventus nunquam ſuppreſſos, in quibus actu degunt de Familia plures, quàm ſex Religioſi, minime comprehendi in Decreto S. mem. Innocentii X. quod incipit, UT IN PARVIS &c. ac proinde locorum Ordinarios nequaquam poſſe in vim dicti Decreti in hujuſmodi Conventibus, aut illorum Perſonis ullam ſibi juriſdictionem vendicare. Datum Romæ Die XXIX. *Novembris* MDCLVII.

B. Card. Spada.

Locus ✠ Sigilli.

Proſper Fagnanus Secretarius.

N O T A.

PLura de hac materia in Tomo, Conſtitutiones omnibus Regularibus communes continente ad clariorem regulam ſuis locis dicentur, quæ ut facilius inveniantur, conſulatur Index gener. Verb. *Epiſcopus, Conventus, Viſitatio.*

Interim notetur, quod tam Innoc. X. Conſtitutio *Inſtaurandæ*, quàm Ejus Decretum *Ut in parvis* principaliùs Italiam, & Inſulas adjacentes, ac in iis Conventus, ſpecificè poſtea ſuppreſſos, reſpiciant.

Confir-

Confirmat Indulgentias 40. horarum pro Provinciis Ultramontanis, & facultates abſolvendi reſtringit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

AD ea, per quæ Chriſtifidelium ſalus procuratur Animarum, libenter intendimus, eoſque favore proſequimur opportuno. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Orationem quadraginta horarum ad Animarum ſalutem augendam in Ultramontanis partibus in Eccleſiis Civitatum, & Locorum, ubi ipſi Conventus habent, inſtituere ſoleant; Nos pium, & Sanctum, necnon Deo acceptabile opus hujuſmodi promovere cupientes, omnibus utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum hujuſmodi continuatarum de licentia Ordinariorum locorum in quibuslibet Eccleſiis dictorum locorum ſemel in anno inſtituendæ per aliquod temporis ſpatium devotè interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum Preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; omnibus verò, & ſingulis Confeſſariis ab Ordinariis locorum reſpectivè approbatis, qui in Eccleſiis prædictis occaſione dictæ Orationis ad audiendas Confeſſiones deputati fuerint, omnes quoſcumque utriuſque Sexûs Chriſtifideles pœnitentes ab omnibus quibuſcunque in præteritum uſque ad diem datæ præſentium commiſſis criminibus, & exceſſibus, etiam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervatis (hæreſis, ſimoniæ, ac duelli, & violationis clauſuræ Monaſteriorum Monialium, & recurſus ad Judices Laicos contra formam Sacrorum Canonum exceptis) necnon excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, in præteritum ſimiliter uſque ad diem datæ præſentium incurſis, impoſita cuilibet arbitrio ſuo pœnitentia ſalutari, in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi, facultatem, & auctoritatem pro prima vice tantùm, tenore præſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Generalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus quoad Indulgentiæ hujuſmodi conceſſionem ad ſeptennium proximum tantùm valituris. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XIII. Sept. MDCLIX. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

S. Ugolinus.

Breve formatum in Archivo generali Ordinis Tom. H. H. *num.* 15.

NOTA.

ET vide originem, & alia de hac oratione ſuprà fol. 54. & 55.

Cultum B. Felicis â Cantalicio Oppido Cantalicio â Papa Urbano VIII. conceſſum, ad univerſam Civitatis Ducalis Diœceſin extendit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, ſicut Venerabilis Frater Epiſcopus Civitatis Ducalis, intra cujus Diœceſis limites ſitum eſt Oppidum Cantalicium, patria Beati Felicis; necnon dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quorum regulam idem Beatus, dum viveret, profeſſus eſt, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi cultum ejuſdem Beati olim â fel. rec. Urbano Papa VIII. Prædeceſſore Noſtro Oppido Cantalicio indultum, ad univerſam Diœceſim extendi ſummopere deſiderent. Nos piis eorundem Epiſcopi, & Fratrum votis paterna benignitate annuere cupientes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad præſentium effectum duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabil. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum conſilio, ut in die obdormitionis memorati B. Felicis Officium, & Miſſa de eo tanquam de Communi Confeſſoris non Pontificis, juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani in univerſa Diœceſi præfata recitari, & celebrari liberè, & licitè poſſit, & valeat, licentiam, & facultatem auctoritate Apoſtolicâ

licâ, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXXI. Aug. MDCLXI. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

S. Ugolinus.

Breve formatum in Arch. generali Ordinis Tom. K. *num.* 8.

N O T A.

EXtenſionem hujus Officii ad totam Italiam & Inſulas adjacentes exhibebit Series Conſtitutionum Pontificis glorioſè regnantis.

Hieronymum, S. R. E. Cardinalem Farneſium Ordinis Protectorem conſtituit.

A tergo. *Dilecto Filio noſtro Hieronymo Tit. S. Agnetis prope, & extra mœnia Urbis, S. R. E. Cardinali Farneſio nuncupato.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

DIlecte Fili noſter &c. Cum per obitum bo: mem. Bernardini S. R. E. Presbyteri Cardinalis Spada &c.....

Reliqua Brevis, ſimilia ſunt alteri ſuprà fol. 88. *poſito.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die IV. Maji MDCLXII. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

S. Ugolinus.

Autograp. in Arch. Secret. Brevium Apoſtol. Regeſto Maii 1662. fol. 10. *de quo exempl. in Arch. general. Ord.*

N O T A.

DUm Apoſtolica Legatione Bononiæ fungebatur, fuit hic Eminentiſſimus â Sanctiſſimo, cui intrinſecus Illius erga ordinem noſtrum affectus, ex vario argumento perſpectus erat, ad hujus Protectoratum deſtinatus, non obſtante, quod varii Eminentiſſimi Cardinales ad ſpartam hanc, in ſe ſuſcipiendam ultrò ſe obtulerint. Senſit & Religio ſpeciatim hujus Protectionis effectum, dum Anno 1663. labiis doloſis ſeſe ubique læſam audivit; publico enim & typis impreſſo teſtimonio Eminentiſſimus laceſſitum honorem vindicavit, & rumorem vulgatum, ceu falſum, & temerarium contra malignantes confudit. Ultimum vitæ diem dum An. 1668. præſtolabatur, voluit habere Capucinos ſibi ſemper aſſiſtentes, & ſui agonis â latere teſtes.

LITERIS APOSTOLICIS

Agros, domos &c. â nobis privatim benedici poſſe declaratur.

EXpoſuit Sacræ Congregationi Epiſc. & Regular. P. Procurator Generalis Capucinorum, qualiter D. Archi-Presbyter Leonici Diœc. Vicentinæ, Fratres ſui Ordinis impedire moliatur, ne cum Stola privatim, ſine ſolemnitate in dicto loco benedicant poſſeſſiones, commendent morientium animas, vel alias ſimiles exerceant functiones, ad quas peragendas â devoto populo ſubinde ſollicitantur, & quæ privativè ad Parochos non ſpectant, non obſtante Sac. Congregationis Decreto ſub 31. Aug. 1629. in tali materia in favorem Fratrum Nogarolæ Diœc. Veronenſis emanato, vi cujus tunc, ne in talibus turbarentur, fuerat ſancitum.

Quapropter, cum dictus P. Procurator pro opportuna, & ulteriore proviſione inſtiterit, Eminentiſſimi Domini mei mihi injunxêre, ut Dom. Veſtræ ſcriberem, quatenus juxta Decretum prætactum omnia executioni dari curet. Deus conſervet Dom. Veſtram incolumem &c. Romæ XXVIII. Novemb. MDCLXIV.

M. Card. Ginnetus.

Autogr. in Secret. Congr. Epiſc. & Regul. de quo exempl. Authent. in Arch. Provinciæ Venetæ.

N O T A.

INſcriptæ fuerant hæ Literæ Illuſtriſſimo Domino Jacobo Altoviti, tunc in Sereniſſimo Venetiarum Dominio Apoſtolico Nuntio, qui ſagaciter, & indilatè Sac. Congregationis mentem, & ordinem Domino Archi-Presbytero intimavit per Literas ſequentes:

JACO-

JACOBUS ALTOVITI

Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus Athenarum, S. D. N. Papæ Prælatus Domeſticus, & Aſſiſtens, in Sereniſſimo Dominio Venetiarum Nuntius Apoſtolicus.

Dilecto nobis in Domino A. R. Archi-Presbytero Leonici, & Parocho Seratici Vicentinæ Diœc. Salutem.

CUM apud Sac. Congregationem ſuper negotiis Epiſc. & Regul. præpoſitam, Pat. Procurator Generalis FF. Capucinorum conqueſtus ſit, Fratres ſui Ordinis â vobis moleſtari, & impediri, ne privatim quidem ſine ulla ſolemnitate benedicant cum Stola agros, domos, & ſimilia; neve infirmis in extremo laborantibus pias functiones ab Eccleſia inſtitutas adminiſtrent, inſtiteritque pro opportuno remedio, ne ipſorum juri derogetur, neve fideles hujuſmodi beneficiis priventur, eadem Sac. Congregatio dicti P. Procuratoris inſtantiis, & rationabili petitioni benignè annuens, Decreta ſub die XXXI. Auguſti M. DC. XXIX. hac de re edita innovavit, & confirmavit, nobiſque eorum executionem injunxit ſub die XXVIII. Novembris M. DC. LXIV. nimirum, ut opportunè provideremus, ne Religioſi Ordinis præfati ab hujuſmodi functionibus, utpote, quæ non ita ad Parochos ſpectant, quin etiam ab aliis Sacerdotibus privatim exerceri poſſint, nullatenus impedirentur. Idcirco Nos Sacr. Congregationis juſſa ſervatis ſervandis exequentes, vobis antedictis Archipreſbytero Leonici, & Parocho Seratici, tenore præſentium, per quemcunque juratum Nuntium, vel publicum Notarium, vel etiam Curiæ Sæcularis Præconem intimandarum præcipimus, & ſtrictè præcipiendo mandamus ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, Nobis, & juſtitiæ bene viſis, & ſuſpenſionibus à divinis, quatenus viſis præſentibus deſiſtere debeatis à moleſtationibus prædictis, & ſinere, quod dicti Patres benedicere poſſint, ac valeant cum Stola privatim, agros, domos, & Eccleſiaſticas Functiones (ùt ſuprà) cum ægrotis in extremo exiſtentibus exercere, necnon aliàs Functiones, ab eorum devotis requiſitas, quæ privativè non ſpectant ad Parochum juxta Decreta die XXXI. Aug. M.DC.XXIX. Dat. Venetiis in Palatio Apoſt. ad S. Franc. à Vinea die XXIV. Decemb. M.DC.LXIV.

Loco ✠ Sigilli.

Coſmas Brunettus Aud. Gener.

Stephan. Roſata Cancell.

Copiæ harum Literarum paſſim in Archivis Provinciarum aſſervantur.

Quamvis autem literæ hæ loquantur de ſolo, & individuo loco Leonici, ex paritate tamen, & univerſalitate rationis firmant ſtatum pro tota Religione, quod & in aliis talibus Literis, ſeu Decretis obſervandum eſt.

Ne Fratres ad aliam Religionem tranſeuntes, in Provincia, in qua Profeſſionem emisêre, vel Habitum portavêre, commorentur, ſancit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis Officii, quod Auctore Deo gerimus, ſollicitudo nos admonet, ut conſervandæ Religioſorum Ordinum eximiæ Pietatis, & arctioris Diſciplinæ meritis conſpicuorum exiſtimationi, quantùm Nobis ex alto conceditur, conſulere ſatagamus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quòd nonnulli è dicto Ordine ad alias Religiones tranſeunt, aſſumptoque ibi Habitu Regulari ad eas Provincias, in quibus Habitum præfati Ordinis Capucinorum publicè geſtaverant, ac cogniti, & commorati fuerant, illico habitatum ſe conferunt, & ad tegendas, ſeu defendendas proprias imperfectiones ejuſdem Ordinis Fratrum Capucinorum famam multis impoſturis lacerare non verentur, cum gravi Sæcularium ſcandalo, bonique nominis dicti Ordinis detrimento. Quare idem Procurator Generalis Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ùt infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur ipſius Procuratoris Generalis votis favorabiliter, quantùm cum Domino poſſumus, annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne de cætero quiſquam, qui è memorato Ordine Fratrum Capucinorum poſt emiſſam in illo Profeſſionem Regularem ad aliam quamcumque Religionem quomodolibet tranſierit, in ea Provincia, in qua profeſſionem hujuſmodi emiſerit, ac Habitum eorumdem Fratrum Capucinorum publicè geſtaverit,

verit, habitare, ſeu commorari audeat, ſeu quovis modo præſumat, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium prohibemus, & interdicimus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quorumvis Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XVII. Decembris MDCLXIV. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

S. Ugolinus.

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Dec. 1664. fol. 60. de quo Breve formatum in Archivo gen. Ord. Tom. H.H. *num. 97.*

NOTA.

Fuit hæc conſtitutio poſtea â PP. Innocentio XII. tam confirmata, quàm pœnâ, retinentibus tales Fratres tranſeuntes dictatâ, ac additâ declaratione, quod ſuæ Conſtitutioni per clauſulas generales nunquam derogetur, ampliata, prout infrà videre licebit.

CLEMENS IX.

Italus â Piſtorio, Hetruriæ Urbe, Julius Cardinalis Roſpiglioſus antea dictus. Romæ XX. *Junii* MDCLVII. *Summus Pontifex creatus. Obiit* IX. *Dec.* MDCLIX. *poſtquam ſediſſet Annos* II. *Menſes* V. *Dies* XX.

Inſtante Eminentiſſimo Domino Hieronymo Cardinale Farneſio Ordinis Protectore varia Capituli Generalis Decreta confirmat.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Debitum Paſtoralis Officii, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini Divina diſpoſitione præſidemus, exigit, ut Paternam Chriſtifidelium Divinis obſequiis ſub ſuavi arctioris Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino proferre jugiter ſatagentium, curam gerentes, illa, quæ pro felici, proſperoque eorum regimine providè conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma, atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis patrocinio roboremus. Expoſuit ſiquidem Nobis nuper dilectus filius noſter Hieronymus S. R. E. Presbyter Cardinalis Farneſius nuncupatus, Ord. Fratrum Min. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, apud Nos & Sedem Apoſtolicam Protector, quod nupero Capitulo Generali dicti Ordinis cum conſenſu, & approbatione omnium Vocalium in eo congregatorum facta, & ſtabilita fuerunt pro felici ejuſdem Ordinis gubernio Decreta, ſeu Capitula tenoris, qui ſequitur, videlicet.

I. Cum non poſſit Pater Generalis complere totam Religionis Viſitationem decurſu ſexennii, expedit differre officium Generalatûs uſque ad ſeptennium: & quod, ſi durante ſeptennio, non completa viſitatione, decedat, primus Definitor ſub nomine Vicarii Generalis perficiat viſitationem, & maneat in officio uſque ad complementum dicti ſeptennii: ipſo autem impedito, vel non valente, ſuccedat alius Definitor gradatim juxta Conſtitutiones.

II. Cum Capitula Provincialia modò ſint annualia, expedit, ut in poſterum fiant tantùm de triennio in triennium, & ſingulis annis fiat Congregatio intermedia, in qua ſubrogentur novi Guardiani illis, qui tempus jam compleverunt: Sicut etiam illis, qui licet tempus non compleverint, minus tamen apti reputabuntur: in eadem etiam fiat Sindicatus Patris Provincialis per quatuor Definitores, ad hoc ſpecialiter in hoc Definitorio congregandos, ubi dicat ſuam culpam, conſignet, & deponat Sigilla in ſignum humilitatis, quamvis ipſe non ſit depoſitus, ſalvâ tamen facultate Patri Generali convocandi prædicta Capitula occa-

la occaſione ſuæ viſitationis, vel aliàs, ſi, & quando judicaverit neceſſarium.

III. Procurator Generalis non concurrat ad Generalatum in Capitulis in poſterum celebrandis duntaxat.

IV. Diffinitores actuales in poſterum (durante eorum Officio) non poſſint eligi in Guardianos: habebunt tamen vocem in Capitulo Provinciali, cum actu ſint Diffinitores, vel Cuſtodes ad Capitulum Generale, etiamſi non concurrant ad Diſcretatum. Ex-Provincialis verò poſt annum poterit eligi in Guardianum juxta Conſtitutiones.

V. Diffinitores completo Diffinitoratûs Officio nullam habeant præcedentiam, ſed illum tantùm locum obtineant, qui ipſis non ex Officio jam completo, ſed ex antiquitate profeſſionis debetur.

VI. Patres Generales,& Provinciales completo eorum Officio ſedeant (durante Capitulo) in ultimo loco Sacerdotum, & per aliquot dies abluant utenſilia, ſimiliter in Proceſſionibus, quæ fiunt durante Capitulo, occupent ultimum locum Sacerdotum.

VII. Guardiani tempore Adventûs nullo modo concionentur extra locum ſuæ Guardianiæ, quod etiam ſervetur tempore Quadrageſimæ, niſi agatur de Concionatoribus inſignibus vel urgens neceſſitas ſuaſerit Patri Generali eos in caſibus particularibus diſpenſandi, & tunc idem Generalis provideat Conventui de Vicario gravi, & idoneo. Concionatores verò prædicti non mittantur niſi ad Provincias, & loca viciniora.

VIII. Non prædicent Lectores tempore Quadrageſimæ, ſed per totum anni curſum lectionibus incumbant: Studentes non mutentur in aliam ab illa familia, in qua ſtudent: Nulli concedatur Lector particularis: ſtudeant per ſeptennium integrum, ſuper quibus diſpenſari non poſſit.

IX. Concionatores non concionentur extra ſuas Provincias, niſi ſint Prædicatores inſignes, & concionari debeant in Cathedralibus, ſeu aliis conſpicuis Eccleſiis.

X. Confeſſores non admittantur ad audiendas confeſſiones Fratrum, & Lectores ad lecturam, niſi approbati fuerint prævio rigoroſo examine, ac per vota ſecreta Examinatorum.

XI. Diffinitores Generales reſideant Romæ, quibus pro urgentibus, & gravioribus negotiis Religionis ſit communis commiſſio Generalis, facta Patri Procuratori Generali à P. Generali: ita, ut procedant inſimul, & conjunctim uſque ad Capitulum Generale, in quo ſinguli habebunt vocem electivam, tanquam unus ex Cuſtodibus ſuarum Provinciarum.

XII. Provinciales, qui nondum compleverunt triennium, durent, donec compleant. Oratio mentalis, quæ tempore æſtivo fiebat poſt meridiem, fiet manè ad Primam.

Hieronymus Cardinal. Farneſius Protector.
Fr. Fortunatus Miniſter Generalis.
Fr. Bonaventura à Recineto Procur. Gener.
Fr. Aloyſius à Verona Diffinitor Generalis.
Fr. Lucas Maringuis Diffinitor Generalis.
Fr. Franciſcus de Xeres Diffinitor Gener.
Fr. Claudius Bituricenſis Diffinitor Gener.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Hieronymus Cardinalis, Decreta, ſeu Capitula hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtant, & ſerventur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ robore communiri ſummopere deſideret; Nos piis ejuſdem Hieronymi Cardinalis votis favorabiliter, quantùm cum Domino poſſumus, annuere cupientes, ſupplicationibus ipſius Hieronymi Cardinalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta, ſeu Capitula præinſerta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Mandantes propterea, & præcipientes in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub privationis vocis activæ,& paſſivæ pœna, per tranſgreſſores ipſo facto incurrenda, omnibus, & ſingulis memorati Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ut Decreta, ſeu Capitula præinſerta inviolabiliter obſervent. Ac decernentes ipſas præſentes literas, & Capitula, ſeu Decreta præinſerta ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & in futurum quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & aliis quibuſvis, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & de Verbo ad Verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus

P autem,

autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die IX. Sept. MDCLXVII. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Menſis Septemb. 1667. fol. 95. de quo Breve formatum in Archiv. generali Ord. Tom. H. H. *num.* 38.

N O T A.

Conſtitutio hæc nominari ſolet Farneſiana, cum â Cardinale Farneſio Protectore, illius expeditio in confirmationem eorum, quæ ſub ipſius præſidio & conſiliis in Capilulo Generali Anno 1667. fuerunt ſancita, fuerit expetita: Eam obſervatu difficilem expertæ ſunt illico & potiſſimum Italicæ Provinciæ, inde non ſolùm jam anno immediatè ſequenti Eminentiſſimo Cardinali Protectori opportuniùs deſuper providendi data fuit facultas, verùm etiam ipſe Summus Pontifex motu proprio ſecundam primi articuli partem de Viſitatione â P. Vicario Generali, in caſu, quo P. Miniſter Generalis moreretur, uſque ad Septennii complementum perficienda Anno 1660. annullavit, de quo utroque emanatæ Conſtitutiones hìc in ſerie ponentur.

Creſcentibus autem Anno 1671. quo Comitia Generalia agebantur, gravaminibus, ex ordine Eminent. Card. Protectoris tunc Friderici Borromæi Nationes congregari, &, quæ difficiliora in Farneſiana credebantur, in ſcriptis notari debebant, quæ dein Eminentiſſimus ad has 5. ſequentes petitiones limitavit:

I. Ut Capitula triennalia ad ſeſquiennalia reducerentur.

II. Ut P. Miniſter Generalis vel per ſe, vel per PP. Provinciales Guardianis, & Lectoribus actualibus prædicandi facultatem dare poſſet, pro locis tamen parùm diſſitis, & nonniſi inſignibus.

III. Ut PP. Diffinitores actu ſimul poſſent eſſe Guardiani.

IV. Ut PP. Miniſtri Generales, & Provinciales, completo officii ſui termino, ad ſumendum ultimum locum, & vaſa in Capitulo lavanda non amplius obligarentur.

V. Ut præceptum S. Obedientiæ, & pœna privationis, quibus Fratribus obſervantia articulorum Farneſianorum fuit inculcata, tolleretur, quas & Sanctiſſimus Pontifex tunc Clemens X. ſequenti, in Arch. generali Ord. Tom. H. H. num. 59. originaliter aſſervato Emin. Protectoris Reſcripto benignè conceſſit.

Sanctiſſimus annuit, concedendo P. Generali Religionis Capucinorum pro tempore exiſtenti, ut in ſupra enarratis caſibus & articulis diſpenſare, & eandem facultatem Provincialibus, ſeu Viſitatoribus, tum P. Procuratori Generali, tum Diffinitoribus Generalibus committere poſſit, prout magis in Domino expedire, Ei viſum fuerit, relaxantes, ut petitum, in reliquis ad conſulendum conſcientiarum ſtimulis, præceptum Sanctæ Obedientiæ, quo in iis, quæ arctiorem regularis diſciplinæ obſervantiam, Ordiniſque magis exemplare regimen concernunt, confidimus in Domino futurum, ut Religioſi ad majorem pro ſua vocatione perfectionem addicti non indigeant. Datum Romæ Die XXVII. Julii MDCLXXI.

Loco ✠ Sigilli.

Fridericus Card. Borrom. Protector:

Acta hæc ſunt excerpta ex Tom. 3. Capitulorum Generalium. Quæ autem ulterius de Capitulis Seſquiennalibus diſpoſita ſeu declarata fuerunt, dabit Conſtitutio Clementis X. infrà fol. 126. ponenda.

Carolum S. R. E. Cardinalem Bonellum Ordinis Protectorem deſignat.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Carolo, S.R.E. Presbytero Bonello nuncupato.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte &c. Cum per obitum bon. mem. Hieronymi S. R. E. Cardinalis Farneſii &c. ....

Reliqua Brevis vide ſuprà fol. 88.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die II. Mart. MDLXVIII.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Regeſto Martii 1668. fol. 36.

N O T A.

Non niſi ad tres annos protectione hujus Eminentiſſimi, S. Pii V. ex Gardina Sorore Pronepotis Ordo noſter fruebatur, cum enim habituales indiſpoſitiones Eum ſemper magis opprimerent, munus hoc in manibus Sanctiſſimi depoſuit, & brevi zelo, quo Ordinis incrementa promovit, explevit tempora multa.

D E C R E T O.

Sacræ Congregationis Rituum.

Statuas, imagines &c. D. Antonii Patavini, in Ordinis noſtri Habitu publicè exponi poſſe, declaratur.

R O M A N A.

CUM Sac. Rituum Congregatio die XIX. Novembris MDCVII. declaraverit, Statuam, & ſimulacrum S. Antoni de Padua eſſe exponendum in Sacrario, & Eccleſia Metropolitana Neapolis in Habitu Conventualium, & nullo modo in Habitu Capucinorum in eadem Eccleſia, prout in dicto Decreto &c. Et quòd poſtea Fratres Conventuales illud Typis mandaverint Romæ, Venetiarum, Brixiæ, Mediolani, & Novariæ cum hujuſmodi intitulatione: *Decretum Sacræ Congregationis ſuper ſimulacrum Divi Antonii Patavini, ne ipſum ullo modo in Habitu Capucinorum exponatur, ſed tantummodo in Habitu Minorum S. Franciſci Conventualium.* Et proinde exponentibus Capucinis varia exinde oriri diſcrimina, cum à nonnullis interpretetur non in ſola Metropolitana Neapolitana, ſed ubique locorum. Eadem Sacra Congregatio ad illa removenda, & majorem cautelam, & ſatisfactionem declaravit emanâſſe, & intelligi pro, & in ſola Metropolitana Civitatis Neapolis. Hac die XXI. Julii MDCLXVIII.

M. Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Exemplar Authent. *in Arch. generali Ordinis Tom.* H. *num.* I.

N O T A.

FErvuit non ſemel & potiſſimum RR. PP. Conventuales inter et Noſtrates Zelotypia de S. Antonii Habitu talis, ut, dum Illi Scripturis variis rationes ſuas in apricum dabant, nos præter Scripturas, libros, & Fidem ſeu teſtimonium Reverendiſſimi P. Felicis à Caſcia, Magiſtri Generalis eorum, oſtenſione Imaginum Beati in Baſilicis S. Joannis Lateranenſis, & S. Mariæ Majoris, Muſivo labore formatarum, & aliorum Vetuſtorum ſimulacrorum &c. partes noſtras propugnaverimus. Scaturit controverſia ex prætenſione, quâ quælibet Religio D. Antonium viventem ſuum Habitum geſtâſſe allegat, de qua ratione tamen conſultò hìc abſtrahitur.

Æmulatione poſtea degenerante in publicas contentiones, Anno 1630. die 14. Dec. Papa Urbanus VIII. *mandavit PP. Conventualibus, & Capucinis ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, necnon privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque etiam corporalibus, arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis, ne audeant de cætero voce, vel ſcripto de hujuſmodi materia tractare, donec ab eadem Sanctitate Sua aliter fuerit ordinatum.*

Joan. Ant. Thomaſius S. Rom. Univ. Inquiſ. Notarius.

Quod ab Alexandro VII. Anno 1658. fuit confirmatum, prout utrumque teſtatur Lantuſca in Theat. Regul. Verbo *Habitus* num. II.

Cum autem prodierit imago S. Antonii in Habitu Capucino Veronæ impreſſa, cum titulo *Vera forma &c.* & Diſticon.

Quid latras .....? Quid prodeſt dente maligno
Sævire in factum, jura quod alma probant?

& cauſa fuiſſet devoluta ad Sac. Congreg. Rituum, ab hac ſub 27. Septemb. 1659. fuit ita deſuper deciſum:

In Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria, habita coram Sanctiſſimo, ad relationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Roſpiglioſi, Sanctitas Sua mandavit, ex imagine S. Antonii de Padua Veronæ impreſsâ cum Habitu Capucinorum deleri Diſticon, & dedicatoriam reduci ad formam Decreti Congregationis Indicis, nempe, ubi dicitur, la vera Forma, (vera forma) dici, la più vera Forma (veriorem Formam)

Ex quo manifeſtè eruitur, quòd, dum Sac. Congregatio titulum reformari, & Diſticon deleri præcepit, jus de Habitu Capucinorum confirmaverit, præſertim, cum hoc jam priùs à Sac. Congregatione, & quidem in ſpecie in cauſa Burgi S. Sepulchri 18. Julii 1654. ita fuerit deciſum.

Stante altercatione in Terra Monterchii Diœc. Burgi S. Sepulchri ſuper delatione ſimulacri S. Antonii de Padua in Proceſſione, reſpectu Habitûs Capucinorum, cum quo efficienda eſt, S. Rit. Congregatio, ad quam deductum eſt negotium, reſpondit: Habitum hujuſmodi non eſſe vetitum in caſu, de quo agitur, & ideo arbitrio Epiſcopi.

C. Epiſcopus Hoſtienſis Card. Medices.

Loco ✠ Sigilli.

Franc. Maria Phœbeus S. Rit. Cong. Secret.

Reviviſcebat poſtea Controverſia in cauſa Neapolis Anno 1666. quo Princeps Cellamarius in teſtimonium Cultûs, quo D. Antonium proſequebatur, Capellæ S. Reſtitutæ imaginem ejus argenteam donaverat in

Habitu Capucino, quotannis proceſſionaliter per plateas ducendam. Opponebant ſe huic facto RR. PP. Conventuales, allegantes, quod jam An. 1646. imago D. Antonii in illorum Habitu in Capella Theſauri (uti vocatur) è diametro oppoſita Capellæ S. Reſtitutæ, ab Urbe Neapolitana fuerit collocata, & alias Divum in duplici, & diſtincto Habitum in eadem Eccleſia Metropolitana comparere non quadraret: Sac. Congregatio Rit. ex particulari motivo Brevis Apoſtolici, quo ab Innoc. X. receptio, & retentio Statuæ D. Antonii in Habitu Conventualium fuit confirmata, contra Capucinos 10. Novemb. 1667. ita decrevit.

Cum poſt plurima Decreta Sac. Rituum Congregationis, annuente etiam Sanctiſſimo edita, & executa pro receptione, & perpetua retentione Statuæ S. Antonii de Padua in Habitu Conventualium in Sacrario, ſeu Theſauro Metropolitanæ Civitatis Neapolis, prout in dictis Decretis, ad quæ &c. Princeps Cellamarius donaverit Canonicis ejuſdem Metropolitanæ Statuam ejuſdem in Habitu Capucinorum cum conditionibus, ut exponi debeat die Dominica infra Octavam Feſti ejuſdem in Capella Sanctæ Reſtitutæ, poſita è conſpectu illius Sacrarii, & Theſauri prædicti, atque proceſſionaliter deferri cum interventu Patrum Capucinorum, cum Muſicis, & Concionibus ab eiſdem Capucinis faciendis, & aliis pactis in donatione appoſitis, ad quam &c. Eadem Sac. Congregatio ad reiteratas preces Procuratoris Generalis Conventualium, necnon Deputatorum dicti Theſauri, & Capellæ S. Januarii, audita quoque inſtantia Canonicorum dictæ Metropolitanæ, reſpondit: Serventur omnino Decreta Sac. Congregationis, & Simulacrum S. Antonii in Habitu Capucinorum nullo modo exponatur.

Cum autem aliqui RR. PP. Conventualium ex hoc Decreto phylacteria ampliarent, gratiam ad Metropolitanam Neapolit. reſtrictam per publicum typum ſpargerent univerſalem, nobiſque jus Divum Antonium in Habitu noſtro veſtiendi abſolutè ademptum eſſe prætenderent, P. Procurator Generalis Noſtri Ordinis ſumpto ad Sac. Congregationem Rituum recurſu, gravamina ſua Eidem Italico Idiomate expoſuit, ùt hìc ſequitur in Latino.

Procurator Generalis Capucinorum humillimè exponit EE. VV. qualiter poſt emanatum ab hac Sac. Congregatione Decretum particulare circa Statuam S. Antonii in Theſauro Neapoli ponendam in Habitu PP. Conventualium, in diverſis Italiæ locis præfatum Decretum fuerit typis impreſſum, & reimpreſſum cum Titulo generali, videlicet: Decretum Sac. Congregationis ſuper Simulacro D. Antonii Patavini, prohibens, ne ipſum ullo modo in Habitu Capucino exponatur, ſed tantummodo in Habitu Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium.

Ex inſpecto tali generali Titulo, (ùt in annexo videtur folio) *nonnulli prætendunt, quod D. Antonius non amplius, & in nullo, quicunque ſit, loco poſſit depingi, vel ſculpi in Habitu Capucinorum, ſed privativè in eo PP. Conventualium, & quidem, uti multi apponunt, ſub pœna excommunicationis.*

Fuit etiam, qui publicè in Cathedra, non ſine Habitûs noſtri injuria, contra Capucium acuminatum clamavit, unde contentiones in Tribunalibus, uti Venetiis, Clodiæ Foſſæ &c. cum confuſione magna, ac populi ſcandalo naſcebantur. Supplicat proin EE. VV., ut inconvenientiis elapſis, & futuris obviare dignentur, declarando, quod, ſicut Inſcriptio generalis memorata incautè, & contra mentem hujus Sac. Congregationis in aliis Decretis, præſertim in Decreto 27. Septembris 1659. edito expreſſam, fuerat appoſita, ita omni tempore elapſo licitum fuerit, & deinceps licitum ſit retinere, & exponere picturas, ſculpturas &c. S. Antonii Patavini in Habitu etiam Capucino, juxta cujuslibet devotionem. Quam Gratiam &c.

Ad quod Die 9. Junii 1668. Libellus gravatorius fuit remiſſus ad Sac. Congregationem Sacræ Inquiſitionis, quæ 30. Junii 1668. Rectoribus Brixiæ, & Veronæ deſuper ita ſcripſit.

Vertentibus quibuſdam differentiis in Civitate Neapolitana inter PP. Capucinos, & Conventuales circa Habitum, quo Statua D. Antonii debeat veſtiri, vel illo Capucinorum, vel altero Conventualium in Proceſſione in memorata Urbe, juxta teſtamentariam Principis Cellamarii diſpoſitionem, Dominica infra Octavam per Eccleſias principales facienda? prodiit Decretum Sac. Congregationis Rituum in favorem PP. Conventualium limitatè, & pro illa Urbe duntaxat: jam verò cum inaudiatur, quod Decretum tale in veſtra Urbe fuerit reimpreſſum ſubreptitiè, eique in principio adjuncta præfatio, quæ in Originali non continetur, & quæ efficit, quod Decretum cum præjudicio Capucinorum, in quorum favorem jam prius Decreta hujus Congregationis edita fuère, pateat, & ſit univerſale. Quare Excellentiæ Veſtræ dignabuntur diſponere, ut impreſſa exemplaria, ſi quæ hujus naturæ inveniantur, maneant ſuſpenſa, & Bibliopolis ſub graviſſimis pœnis imponatur, ne alia reimprimant, & omnia jam impreſſa ad Cancellariam portentur, ibi comburenda; cum quilibet Statuam S. Antonii in illa Habitûs forma, quam propria dictat devotio, pingi, vel formari facere poſſit. Et receptionis ac executionis præſentium præſtolamur notitiam &c.

Inſuper & Sac. Congregatio ſub 21. Julii 1668. ad fortiùs firmandum Capucinorum Jus, edidit Decretum ante Notam poſitum.

Quibus autem non obſtantibus, gliſcebat adhuc ſub cinere ignis contradictionis, contra quem Pater Procurator Generalis Illuſtriſſimo Domino Generali Auditori Cameræ Apoſtolicæ inſtitit pro Decreti ſuprapoſiti æquè, ac aliorum executione, mediante Monitorio, expedito, ùt ſequitur:

ALOYSIUS DE AQUINO

Prothonotarius Apoſtolicus, Utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi D. N. Papæ Referendarius, necnon Cur. Cauſar. Cam. Apoſt. Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, & Cauſarum tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac Literarum Apoſtolicarum quarumcunque univerſalis, & merus Executor ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter electus, & deputatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Eccleſiarum Canonicis, Parochialiumque Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, non Curatis, cæteriſque Presbyteris, & Clericis, Notariis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis &c. ſalutem in Domino &c. Expoſuit nuper coram Nobis Reverendiſſimus Pater Bonaventura de Recineto Procurator Generalis Ordinis S. Franci-

S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum nomine proprio, & totius Religionis, quòd, cum aliàs orta eſſet lis, & controverſia inter Fratres Minores Conventuales S. Franciſci ex una, & Fratres Capucinos ex altera partibus circa Habitum S. Antonii de Padua, & illius Imaginis in proceſſione delationem, necnon ſuper inſcriptionibus prædictis Imaginibus apponendis, adita fuerit pro declaratione prædictorum habenda, & ad lites evitandas Sacra Congregatio Rituum, ab eaque ſub die 19. Novembris 1667. emanaverit Decretum, quo ex adverſo, & pro parte Conventualium prætendebatur inhibitam, prohibitam, & vetitam fuiſſe Patribus Capucinis expoſitionem prædictæ Statuæ, & Imaginis S. Antonii in Habitu Capucinorum; Ideo contra præfatos Patres Conventuales prætendentes, Decretum particulariter factum pro ſola Imagine Sancti expoſita in loco, appellato Theſauro Neapolitanæ Civitatis, ad Univerſitatem omnium, & ſingulorum locorum intelligi, & effectum ſortiri debere, aditâ iterum pro declaratione enunciati Decreti Sac. Rituum Congregatione ſub die 21. Julii 1668. reſcriptum fuerit, ùt infra, videlicet: Cum Sac. Rituum Congregatio die 19. Novembris 1667. declaraverit Statuam, & Simulacrum S. Antonii de Padua eſſe exponendum in Sacrario, & Eccleſia Metropolitana Neapolis in Habitu Conventualium, & nullo modo in Habitu Capucinorum in eadem Eccleſia, prout in dicto Decreto &c. Et quod poſtea Fratres Conventuales illud Typis mandaverint Romæ, Venetiarum, Brixiæ, Mediolani, & Novariæ, cum hujuſmodi intitulatione. Decretum Sac. Congregationis ſuper Simulacro Divi Antonii Patavini, ne ipſum ullo modo in Habitu Capucinorum exponatur, ſed tantummodo in Habitu Minorum Sancti Franciſci Conventualium. Et proinde exponentibus Capucinis varia exinde oriri diſcrimina, cum à nonnullis interpretetur non in ſola Metropolitana Neapolitana, ſed ubique locorum. Eadem Sac. Congregatio ad illa removenda, & majorem cautelam, & ſatisfactionem declaravit emanâſſe, & intelligi pro- et in ſola Metropolitana Civitatis Neapolis, hac die 21. Julii 1668. Quodque, licet eadem Sac. Congregatio omnibus, & ſingulis prohibuerit ſub Imaginibus prædictis, quocunque Habitu decoratis apponere verba importantia Dictionem, impreſſionem præfatæ Imaginis eſſe veram formam ejuſdem Sancti, ut ex Decreto emanato die 27. Septembris 1659. tenoris ſequentis, videlicet: In Congregatione Sac. Rituum ordinaria habita coram Sanctiſſimo, ad relationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Roſpiglioſi, Sanctitas Sua mandavit, ex Imagine Sancti Antonii de Padua Veronæ impreſſa cum Habitu Capucinorum, deleri Diſtichon, & Dedicatoriam reduci ad formam Decreti Congregationis Indicis, nempe ubi dicitur la vera forma, dici la più vera forma. Propterea circumſcripto Decreto à Sac. Congregatione favore Tertiariorum Congregationis Galliarum, emanato die 2. Auguſti præſentis Anni, ſervari Conſtitutionem ſan. mem. Urbani VIII., ac Decreta edita 8. Junii, & 12. Julii proximè præterito Anno 1658. debitæ executioni demandari; Die 27. Septembris 1659. & priùs in Sac. Congregatione Indicis, habita die 10. Junii 1656. hujus, vel ſimilium tenorum Inſcriptiones prohibitæ fuerint his verbis: Inſcriptiones omnes Imaginum Sanctorum Franciſci, & Antonii de Padua, in quibus dicitur, formam Habitûs, qua depicti ſunt, eſſe eandem, qua ipſi uſi fuerunt, vel in quibus aſſeritur in hoc, vel illo Ordine Sancti Franciſci eſſe veram, legitimam, & non interruptam ejuſdem Sancti Patris in filios ſucceſſionem, Inhærentes Decreto aliàs edito die 10. Junii 1656. &c. Propterea juxtà diſpoſitiones præinſertorum Decretorum, liceat dictis Patribus Capucinis deferre proceſſionaliter Statuam, & Statuas, Imagineſque exponere Sancti Antonii omnibus in locis, præterquam in dicto loco, appellato Theſauro, in Civitate Neapolitana, Habitu Capucinorum veſtitas, prohibitumque, inhibitum, & vetitum ſit præfatis Patribus Conventualibus, omnibuſque, & ſingulis aliis ſe opponere, nec licitum pariter ſit dictis Patribus Conventualibus, vel cuiquam aliæ perſonæ ſub Imaginibus, Picturis, Statuiſque antedictis apponere verba importantia illam, vel illas eſſe Imagines, Statuas, vel Picturas, ſub vera forma S. Antonii impreſſas, ſculptas, vel depictas. Et quia nihilominus ad aures Præfati Procuratoris Generalis dictæ Religionis Capucinorum devenit, dictos Patres Minores Conventuales, eorumque Procuratorem Generalem jactâſſe, & jactare, velle prohibere, inhibere, & de facto moleſtare, & impedire prædictos inſtantes; Quin ad mentem, & juxta tenorem prædictorum Decretorum valeant, & poſſint in omnibus, & ſingulis locis exponere Statuam, Imaginem, Simulachrum Sancti Antonii, Habitu Capucinorum veſtitum, & proceſſionaliter deferre, ac ulteriùs Statuas, Simulachra, Imagines, cum inſcriptione verioris formę, eorum Habitu deſignatas, & veſtitas exponere contra formam præinſertorum Decretorum, quinimò de facto tam præfati Conventuales, quàm alii in executionem præſentium nominandi, & cognominandi forſan moleſtant, vexant, & perturbant, ac moleſtationibus, jactationibus, & impedimentis illos afficiunt, aliaque intentant contra formam, & tenorem prædictorum Decretorum, in grave damnum, & præjudicium RR. PP. Capucinorum: Ideò cupiens prædictus P. Procurator Generalis dictæ Religionis Capucinorum Jura dictæ Religionis tueri, & conſervari, ac prædicta Decreta ab omnibus, ad quos ſpectat, obſervari, attendi, adimpleri, ad Nos recurſum habuit, tanquam hujuſmodi Decretorum ſpecialem Executorem, ut in præmiſſis de opportuno juris remedio providere dignaremur. Nos igitur Aloyſius de Aquino Judex, & Auditor prædictus, attendentes petitionem, & requiſitionem hujuſmodi fore juſtas, & rationi conſonas, quodque juſta petenti non eſt denegandus aſſenſus, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, ac veſtrûm cuilibet in ſolidum, tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolica Auctoritate moneatis, & requiratis primò, ſecundò, tertiò, ultimò, & peremptoriè, prout Nos monemus, & requirimus dictos Fratres Conventuales S. Franciſci quarumcunque Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, & Oppidorum, & alios quoſcunque in executionem præſentium nominandos, & cognominandos, quatenus infra ſex dierum ſpatium à die monitionis hujuſmodi per Vos eiſdem factæ immediatè ſequentium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino aſſignamus, & Vos aſſignetis eiſdem ſub excommunicationis, ſuſpenſionis à Divinis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, necnon quoad Regulares privationis vocis activæ, & paſſivæ, & quoad omnes alios ſub mille ducatorum auri de Camera, Reverendæ Cameræ applicandorum, & pro illis mandati executivi, & in juris ſubſidium, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti reſpectivè, ùt ſupra, aliiſque arbitrio noſtro infligendis pœnis debeant, & quilibet ipſorum debeat realiter, & cum effectu præinſerta Decreta Sacræ Congregationis Rituum, & Indicis, omniaque, & ſingula in eis contenta, & expreſſa obſervâſſe, attendiſſe, adimpleviſſe, & executioni demandâſſe, & pro vero, realique obſervationis hujuſmodi effectu ab omnibus, & quibuſcunque jactationibus, & perturbationibus prædictæ Religioni Capucinorum contra formam, & diſpoſitionem dictorum Decretorum, & ſuper præmiſſis, illorumque cauſa, & occaſione illatis, datis, factis, præſtitis, fierique, & inferri comminatis, dandiſque, & inferendis in futurum penitus, & omninò ceſſâſſe, receſſiſſe, deſtitiſſe, & ſeſe abſtinuiſſe, dictaſque jactationes, & perturbationes nullas, injuſtas, & illicitas declarâſſe, & tanquam tales revocâſſe, extinxiſſe, & annullâſſe, & pro revocatis, & nullis habuiſſe, nullumque de cætero præjudicium intuliſſe, ſibique perpetuum ſilentium impoſuiſſe,

impoſuiſſe, ac per Nos obſervari, attendi, adimpleri, & executioni demandari, ceſſari, deſiſti, abſtineri, revocari, extingui, annullari, haberi, & imponi mandari, & mandatum, ſeu mandata quæcumque deſuper neceſſaria, & opportuna decerni, & relaxari, juſque, & juſtitiam fieri, & adminiſtrari, atque omne jus, omneque remedium dictis Capucinis inſtantibus, utiliùs, & expeditiùs deduci, beneficiumque juris, & nobile officium Judicis implorari, ſententias ferri, & promulgari, aliaque omnia omni meliori modo fieri, & interponi vidiſſe, & audiviſſe, expenſaſque &c. refeciſſe, præſentibuſque omnino paruiſſe. Alioquin prædictos ſic monitos, ſi in præmiſſis ſe fore gravatos ſenſerint, modo, & forma præmiſſis citetis, & citari curetis, & mandetis, prout Nos citamus, & citari mandamus eoſdem, quatenus die trigeſima poſt præſentium executionem, ſi dies ipſa juridica fuerit, alioquin prima die juridica ex tunc proximiori, compareant Romæ in judicio legitimè coram Nobis, vel infraſcripto noſtro Locumtenente per ſeſe, vel Procuratores ſuos idoneos, prætenſi gravaminis cauſam allegaturos, aliaque dicturos, facturos, & recepturos, prout Juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis. Certificantes eoſdem ſic citatos, quod, ſi in dicto citationis termino, ùt præmiſſum eſt, comparuerint, ſive non, Nos nihilominus, vel Locumtenens noſter infraſcriptus, ad comparentis, & cauſam hujuſmodi proſequi volentis inſtantiam debitis ſervatis terminis, ac præcedentibus ſolitis dilationibus uſque ad ſententiam diffinitivam, etiam lite non conteſtatâ procedemus, ſeu procedet, juſtitia mediante, citatorum prædictorum contumacia, vel abſentia in aliquo non obſtantibus; & inſuper modo, & forma præmiſſis inhibeatis, & inhibendo expreſsè præcipiatis, & mandetis, prout Nos præcipimus, & inhibemus eiſdem ſic citatis, ac aliis omnibus, & ſingulis Dominis Judicibus, Delegatis, Subdelegatis, ac Commiſſariis quibuſcumque, ne ſub eiſdem ſententiis, cenſuris, & pœnis audeant, ſeu præſumant, aut aliquis eorum audeat, ſeu præſumat dictam Religionem Capucinorum, ſeu dictum P. Procuratorem Generalem quolibet modo moleſtare, vexare, perturbare, inquietare, ſeu aliàs quomodolibet impedire, nec aliud quidquam innovare, ſeu attentare quovis ſub prætextu &c. & ſi ſecus &c. Abſolutionem &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus noſtris hac die decimaſeptima Decembris milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto.

J. I. Cavallerinus Locumtenens.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Serantonius Cur. Cauſ. Cam. Apoſt. Notarius.

Cohærenter poſtea, & conſequenter varia emanârunt Decreta particularia, ſive in cauſis particularibus, huic Decreto conformia, quorum omnium loco, hîc illud duntaxat ponitur, quod in cauſa Theanenſi ita datum fuit:

S. Rituum Congregatio ſuper controverſia orta inter Fratres Minores Obſervantes Reformatos Ordinis Sancti Franciſci Civitatis Theani ex una, & Fratres Capucinos ejuſdem Civitatis parte ex altera circa proceſſionem Sancti Antonii Patavini, inhærendo Decretis aliàs ad favorem Capucinorum emanatis, & ſignanter in Romana ſeu Neapolitana ſub die 21. Julii 1662., & Beneventana 1673. cenſuit proceſſionem S. Antonii eſſe faciendam &c. per FF. Capucinos in Dominica infra Octavam pariter cum delatione ſimulachri S. Antonii in Habitu Capucinorum, & ita declaravit hac die 22. Maii 1683.

N. Card. Ludoviſius.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Caſalius S. R. E. Cong. Secret.

Alia Decreta ſive materiæ iis connexæ, quæ per Bullarii decurſum dabuntur diſperſim, videbuntur unitim in Indice generali verb. *S. Antonii Statua &c.*

Cardinali Protectori circa nonnullos ſuæ Conſtitutionis incip. *Debitum Paſtoralis &c.* Articulos diſpenſandi facultatem largitur.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Carolo S. R. E. Presbytero Cardinali Bonello nuncupato Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectori.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Aliàs Nos ſupplicationibus bon. mem. Hieronymi S. R. E. Cardinalis Farneſii nuncupati, dum vixit, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris Nobis humiliter porrectis inclinati, nonnulla Decreta, ſeu Capitula pro felici dicti Ordinis gubernio in noviſſimo ejuſdem Ord. Capitulo Generali facta, & ſtabilita per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis Die IX. Septembris MDCLXVII. expeditas literas confirmavimus, quorum articuli ſeptimus, octavus, & nonus ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet: VII. Guardiani tempore Adventûs nullo modo concionentur extra locum ſuæ Guardianiæ, quod etiam ſervetur tempore Quadrageſimæ, niſi agatur de Concionato-

cionatoribus inſignibus, vel urgens neceſſitas ſuaſerit Patri Generali eos diſpenſandi in caſibus particularibus, & tunc idem Generalis provideat Conventui de Vicario gravi, & idoneo. Concionatores verò prædicti non mittantur niſi ad Provincias, & loca viciniora. VIII. non prædicent Lectores tempore Quadrageſimæ, ſed per totum anni curſum lectionibus incumbant: Studentes non mutentur in aliam ab illa Familia, in qua ſtudent. Nulli concedatur Lector particularis: ſtudeant per ſeptennium integrum, ſuper quibus diſpenſari non poſſint. IX. Concionatores non concionentur extra ſuas Provincias, niſi ſint Prædicatores inſignes, & concionari debeant in Cathedralibus, ſeu aliis conſpicuis Eccleſiis, & aliàs, prout in prædictis literis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberiùs continetur. Cum autem, ſicut dilectus Filius Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, articuli præinſerti in Provinciis Italiæ ejuſdem Ordinis ſine notabili ipſius Ordinis detrimento præcisè, & accuratè in omnibus obſervari nequeant propter multitudinem Eccleſiarum, in quibus Fratres earundem Provinciarum prædicare ſolent, frequenteſque requiſitiones perſonarum conſpicuarum, ac Benefactorum, & Communitatum, quibus obſequi pietati, atque prudentiæ conſentaneum videtur. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Provinciarum prædictarum commodis, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, ipſumque Procuratorem Generalem ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuæ cum Fratribus dictarum Provinciarum Italiæ tantùm, ſuper obſervatione præinſertorum ſeptimi, octavi, noni Articulorum duntaxat pro tuo arbitrio, & conſcientia diſpenſandi quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, uſque ad proximè futurum Capitulum Generale dicti Ordinis tantùm duraturam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium tribuimus, & impartimur. Non obſtantibus præfatis noſtris literis, nec non omnibus illis, quæ in eis volumus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVIII. Septemb. MDCLXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

Autographum in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Regeſto Sept. 1668. fol. 1. de quo exempl. Authent. in Archivo gener. Ord. Tom. R. *num. 22.*

Viſitantibus Eccleſias Fratrum, & Monialium Ordinis, in Feſto S. Petri de Alcantara Ord. FF. Min. Strictioris Obſervantiæ, Indulgentiam Plenariam concedit, conceſſione ad perpetua futura tempora valiturâ.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

REdemptoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui glorioſos ſaluberrimorum, quæ nobis reliquit, exemplorum ſectatores altis decoravit honoribus, & Cæleſtis Beatitudinis conſortes effecit, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, ſpiritualium munerum theſauros, quorum Nobis credita eſt diſpenſatio, libenter erogamus, ſicut ad excitandam, & fovendam erga eoſdem Beatos Cœli incolas fidelium devotionem ſalubriter expedire, in Domino arbitramur. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & individuæ, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Alma Urbe noſtra tunc exiſtentium conſilio, B. Petrum de Alcantara Strictioris Obſervantiæ Profeſſorem, Ordinis Minorum S. Franciſci, auctoritate Nobis à Domino tradita Sanctum eſſe decreverimus, & definiverimus, illumque Sanctorum Catalogo ſolenni ritu adſcripſerimus: Hinc eſt, quod Nos ad augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Minorum *de Obſervantia*, ac *Reformatorum*, *Diſcalceatorum*, & *Recollectorum*, nec non *Conventualium*, & *Capucinorum*, ac *Monialium* Ordinis Sancti Franciſci, tam hactenus erectis, quàm in poſterum quandocunque erigendis,

gendis, & ubicunque locorum exiſtentibus die Feſto ejuſdem Sancti Petri de Alcantara, nempe die XIX. Menſis Octobris à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis Feſti hujuſmodi annis ſingulis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 11. Octobris MDCLXIX. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

Exempl. Authent. *in Arch. generali Ordinis Tom.* R. *num.* 71.

Derogat Conſtitutioni, quâ occurrente morte P. Miniſtri Generalis viſitationem Provinciarum à primo P. Diffinitore Generali uſque ad ſeptennii complementum continuari debere ordinavit, & econtra innoteſcente P. Min. Generalis morte illico Capitulum Generale pro eligendo Succeſſore convocandum eſſe, juxta Conſtitutionum tenorem decernit.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM (ſicut accepimus) Officium Generalatûs Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum de præſenti vacet, per quoddam verò Decretum in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis factum, & à Nobis per quasdam noſtras in ſimili forma Brevis die IX. Septembris M. DC. LXVII. expeditas literas confirmatum diſponatur in hæc verba: Cum non poſſit Pater Generalis complere totam Religionis Viſitationem decurſu ſexennii, expedit differre officium Generalatûs uſque ad ſeptennium: Et quod, ſi durante ſeptennio non completâ viſitatione decedat, Primus Diffinitor, ſub nomine Vicarii Generalis perficiat viſitationem, & maneat in officio uſque ad complementum dicti ſeptennii; Ipſo autem impedito, vel non valente, ſuccedat alius Diffinitor gradatim juxta Conſtitutiones. Et proinde juxta hoc Decretum electio novi Miniſtri Generalis Ord. præfati ante Pentecoſten Anni MDCLXXIV. fieri non debeat: Nos felici proſperoque ejuſdem Ordinis regimini, & gubernio, quantùm Nobis ex alto conceditur, conſulere, ac incommoda, & detrimenta, quæ diuturna Generalatûs hujuſmodi vacatio, obſervantiæ & diſciplinæ regulari, atque religioſæ quieti adferre poſſet, excludere cupientes, aliiſque convenientibus rationibus adducti, de nonnullorum dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper hoc negotio à Nobis ſpecialiter Deputatorum conſilio, Decretum ſupra expreſſum, quantùm ad proſecutionem viſitationis à primo, aliiſque Diffinitoribus dicti Ordinis gradatim, ut præfertur, faciendam, ac continuationem vacationis Generalatûs uſque ad complementum ſeptennii attinet, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium moderamur, & reducimus ad formam, & tenorem Conſtitutionum ejuſdem Ordinis, quibus diſponitur, ut eveniente morte Miniſtri Generalis, antequam tempus ſuum compleverit, Miniſter Provincialis illius Provinciæ, ubi deceſſerit, id confeſtim ſignificare debeat Procuratori Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe reſidenti, qui Capitulum Generale pro electione futuri Miniſtri Generalis illico convocare teneatur. Atque ita ſemper in futurum ſervari volumus; Et proptera præcipimus dilecto Filio moderno Procuratori Generali Ordinis præfati, ut Capitulum Generale Ordinis hujuſmodi in tempore, & termino, per Conſtitutiones præfatas præſcriptis, pro electione novi Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis celebrandum quamprimùm convocet, ac illis, ad quos ſpectat, intimet, ſeu intimari curet, & faciat: ſupradictis noſtris literis quoad cętera in ſuo vigore remanentibus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus & per omnia inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Decreto, & literis noſtris præfatis, aliiſque ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarnm præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ

ſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXI. Octobris MDCLXIX. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

J. G. Sluſius

Autographum in Arch. Secret. Brevium Apoſt. Regeſto Octob. 1669. fol. 26. de quo Brev. format. in Arch. gen. Ord. Tom. H.H. *n.* 42.

CLEMENS X.

Romanus Æmilius S.R.E. Cardinalis de Alteriis antea dictus, Romæ XXIX. *Aprilis* MDCLXX. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XXII. *Julii* MDCLXXVI. *poſtquam ſediſſet Annos* VI. *Menſes* II. *Dies* XXIV.

Federicum S. R. E. Cardinalem Borromæum in munere Protectoris ſubſtituit.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Federico S. R. E. Cardinali Borromæo nuncupato.*

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecte Fili Noſter Salutem &c. Cum dilectus Filius Noſter Carolus, S. R. E. Presbyter Cardinalis Bonellus nuncupatus, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protector, muneri Protectoris hujuſmodi in manibus noſtris ſponte, & liberè ceſſerit, Nos ceſſionem hujuſmodi harum ſerie admittentes, dictoque Ordini de alio idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumſpectionis ſingulari prudentia, doctrina, integritate, & religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris Te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Ordinem prædictum plurimùm commodi, & ornamenti ſuſcepturum eſſe, confidimus, ejuſdem Ordinis, illiuſque Conventuum, & Fratrum quorumcunque apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectorem cum omnibus honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis ad Tui vitam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, & deputamus. Volumus autem &c.

Reſiduum Brevis omittitur, cum Verbatim videri queat ſuprà fol. 88.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II. Maii MDCLXXI. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Regeſto Maji 1671. fol. 1.

NOTA.

Cardinalis Federicus amorem, quo perſpicua in Orbe Gens Borromæa Ordinem noſtrum â ſui partûs tempore complexa eſt, verè ſibi ingenitum comprobavit, dum negotiorum cumulo, quo, ceu Sanctiſſimi â Secretis Statûs cingebatur, curam Ordinis adjunxit. Hanc in ſe ſterilem paſſus eſt nunquam, Illiuſque potiſſimum officiis factum fuit, quod P. Bonaventura â Recineto, de quo infrà recurret memoria, ad Apoſtolici Pulpiti Miniſterium fuerit præelectus. Jure merito proin, dum tota Roma ſe tanto Cardinale anno 1673. orbatam gemuit, Religio noſtra maturiùs tanto Protectore ſe ſe viduatam ſuſpiravit.

DECRETO.

Congregationis particularis quorundam Emin. Cardinalium â Sanctiſſimo approbato ſpecificantur graviora negotia, â Reverendiſſima Diffinitione Generali, Romæ reſidente, decidenda, atque hanc â ſubjectione Superioris Localis exemptam, ac immediatè P. Miniſtro Generali, aut in ejus abſentia P. Procuratori Generali ſubordinatam eſſe, declaratur.

Cum aliàs fec. record. Clemens Papa IX. per ſuas literas in forma Brevis die IX. Septembris MDCLXVII. datas, confirmaverit nonnulla Decreta in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum paulò antè celebrato cum conſenſu, & approbatione omnium Vocalium, in eo congregatorum, pro felici ejuſdem Ordinis gubernio facta, & ſtabilita, inter quæ ſtatuitur:

Diffinitores Generales reſideant Romæ, quibus pro urgentibus, & gravioribus negotiis Religionis ſit communis commiſſio generalis, facta Patri Procuratori Generali à Patre Miniſtro Generali, ita, ut procedant inſimul, & conjunctim.

Dubitatum â nonnullis Religioſis ejuſdem Ordinis fuit, quæ urgentium, & graviorum negotiorum appellatione intelligenda ſint; Et, an dicti Diffinitores Generales ad præſcriptum hujuſ-

hujuſmodi Decreti Romæ reſidentes Superiori Locali Conventûs ſubditi ſint?

Ideo Congregatio nonnullorum Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, quam S. D. N. negotiis dicti Ordinis Fratrum Capucinorum examinandis præpoſuit, ad prænarrata dubia tollenda, quorum occaſione poſſet religioſa quies, & mutua charitas, in dicto Ordine, cæteroquin ob ejus egregiam ſanctimoniam non immeritò apud omnes venerando perturbari, cenſuit, ac declaravit, urgentia, & graviora negotia ad effectum in prænarrato Decreto eſſe præſertim intelligenda.

DEPUTATIO Viſitatorum ad Provincias viſitandas.

COGNITIO, ac definitio cauſarum, quæ in gradu appellationis à Sententiis ſeu Decretis Patrum Provincialium de jure ad Patrem Miniſtrum Generalem devolvuntur.

CONCESSIO facultatis Patribus Provincialibus procedendi adverſus Religioſos incorrigibiles, ad effectum ipſos, ſervatis de jure ſervandis, ejiciendi.

FACULTAS acceptandi, ſeu erigendi nova Monaſteria, etiam acceptata, ſeu erecta transferendi, aut commutandi concurrentibus reſpectivè modis, & formis per Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis præſcriptis: Atque ita in ſupradictis negotiis, aliiſque juxta rei, & temporis exigentiam, per Eminentiſſimum ejuſdem Ordinis apud Sanctam Sedem Protectorem opportunè declarandis, Commiſſionem Generalem, pro tempore faciendam Patri Procuratori Generali à Patre Miniſtro Generali intelligendam, ac reputandam eſſe communem Patribus Diffinitoribus Generalibus, ùt ſuprà, reſidentibus.

Quò verò ad ſecundam dubitationem, eadem Congregatio cenſuit, ipſoſmet Diffinitores Generales juxta præfatum Decretum Capituli Generalis, per dictas Literas Apoſtolicas confirmatum Romæ reſidentes intelligi, atque eſſe exemptos à ſubjectione Superioris Localis Conventûs, & Patri Miniſtro Generali, immediatè ſubjectos; ipſo verò abſente Patri Procuratori Generali ſubditos eſſe. Romæ v. Julii MDCLXXI.

Et Die VIII. Auguſti ejuſdem Anni facta relatione Sanctiſſimo, Sanctitas Sua Congregationis ſententiam in omnibus approbavit, atque ita in poſterum ſervari præcepit, contrariis quibuſcunque non obſtanlibus.

V. Card. Carpineus.

Locus ✠ Sigilli.

C. de V. Archiep. Athen.

Originale in Arch. gen. Ord. Tom. H. H. *n.* 38.

Quod tam Fratres, quàm Moniales Ordinis noſtri, ſingulis menſibus, die non impeditâ, Officium de S. Clara ſub Ritu Semiduplici, recitare poſſint, indulget.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei Memoriam.

Ex injuncto Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis Officio pia Chriſtifidelium, illorum præſertim, qui Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi arctioris Religionis jugo mancipati, bonoque Chriſti odore de bona converſatione fragrantes, uberes bonorum operum fructus in Eccleſia Dei, adſpirante ſuperni favoris auxilio proferre jugiter ſatagunt, vota, ad augendam in terris cœleſtis regni incolarum venerationem tendentia libenter exaudimus, illaque favoribus, & gratiis proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut dilectus Filius Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, tam Fratres dicti Ordinis, quàm Moniales Capucinæ nuncupatæ pro ſingulari eorum erga Sanctam Claram devotionis affectu Officium de illa ſingulis Menſibus recitare plurimùm deſiderent: Nos piis eorum votis favorabilem aſſenſum hac in re præbere volentes, dictumque Miniſtrum Generalem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis tam Fratribus, quàm Monialibus prædictis, ut Officium de eadem Sancta Clara ſingulis Menſibus aliqua die, non impedita Officio novẽ Lectionum, ſub Ritu Semiduplici recitare liberè, & licitè poſſint, & valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos, & quas ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus

bus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur in judicio, & extra illud, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die xx. Julii MDCLXXI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

I. G. *Sluſius.*

Autographum in Archiv. Secret. Brevium Apoſt. Reg. Julii 1671. *fol.* 78. *de quo Breve formatum in Arch. gener. Ordinis Tom.* H. H. *num.* 44.

Recurſum extra Ordinem, pro officiis vel obedientiis obtinendis ſub excommunicatione prohibet.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervitutis munere in eam præcipuè curam ſollicitis ſtudiis incumbimus, ut regularem obſervantiam, religioſamque tranquillitatem inter Religioſos viros, eos præſertim, quos ſuave Chriſti jugum ſub arctioris vitæ inſtituto amplexos, cæteris modeſtiæ, atque humilitatis, & religioſitatis exemplo prælucere decet, quantùm nobis ex alto conceditur, tueri, atque conſervare ſatagamus.

Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus præſentibus, & futuris, ne de cætero ad obtinendas obedientias, ſive permiſſiones viſitandi eorum parentes, ſeu propinquos, aut loca Sacra quæcumque, vel, ut ad dignitates, officia, aut munera quælibet ejuſdem Ordinis, aut ad ſtudia promoveantur, ſive, ut ab uno ad alium locum tranſire, vel in aliquo particulari Conventu permanere eis liceat, vel, ut cum eis diſpenſetur ad hoc, ut ante peractum ſeptennale ſtudium in Concionatores aſſumi, munuſve Concionatoris exercere, aut, ut ante completum in eodem Ordine ſeptennium ad ſacrum Presbyteratûs Ordinem promoveri valeant, ſive ad alia ſimilia conſequenda tam pro ſe, quàm pro aliis Ordinis præfati Fratribus ad quarumcunque perſonarum, extra eundem Ordinem exiſtentium, etiam quavis Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate, præeminentia, & poteſtate fungentium, aut aliàs ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignarum favores, ſuffragia, vel interceſſiones recurrere, illiſve uti audeant quovis modo, vel præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, & officiornm, quorumcunque per eas obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & quævis alia in poſterum obtinenda pœnis, per contraventores ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò prohibemus, & interdicimus.

Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca memorato Miniſtro Generali harum ſerie committimus, & mandamus, ut ipſas præſentes literas in omnibus, & ſingulis Ordinis præfati Provinciis, & Conventibus quamprimum publicari curet, ne quiſquam illarum ignorantiam allegare poſſit.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum, & Conventuum quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis,

impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xx. Oct. MDCLXXI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Oct. 1671. fol. 32. de quo Breve formatum in Archivo gen. Ord. Tom. H. H. *num.* 45.

Jacobo S. R. E. Cardinali Roſpiglioſo Ordinis tutelam committit.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Jacobo S. R. E. Cardinali Roſpiglioſo nuncupato.*

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecte Fili noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM per obitum bo. mem. Federici S.R.E. Cardinalis Borromæi nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci nuncupatorum, dum vixit, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectoris, Fratres præfati Protectore deſtituti remanſerint, Nos eiſdem Fratribus de idoneo Protectore providere volentes, ac de ſingulari circumſpectionis tuæ prudentia, integritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, Te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Fratres præfatos plurimùm commodi, & ornamenti ſuſcepturos eſſe confidimus &c.

Reliqua vide ſuprà fol. 88.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris I. Martii MDCXXIII.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. Mart. 1673. *fol. primo.*

N O T A.

JActuram, quam Religio Noſtra in Protectore Cardinale Borromæo paſſa eſt, compenſavit feliciter Ejus in hoc officio Succeſſor, Eminentiſſimus Cardinalis Roſpiglioſus, de quo Ordo juxta Apoſtolici Brevis verba *Ornamentum & commodum* verè accepit. *Ornamentum,* cum fuerit Sanct.mem.Clementis IX. ex Fratre Germano Nepos: *commodum* autem, cum conſervando Regularis obſervantiæ decori, indefeſſo Studio invigilârit, uſque dum labilior Sanitas ſarcinam hujus muneris per renuntiationem deponere, Eum coëgerat.

DECRETO.

Sac. Congregationis Rituum.

A Sanctiſſimo confirmato, reaſſumptio proceſſûs de non cultu Ven. Servi Dei Fratris Jeremiæ à Vallachia conceditur.

Ordinis Capucinorum.

BEatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Fratris Jeremiæ de Vallachia Ordinis Capucinorum ſupplicante Procuratore cauſæ prædicti Servi Dei apud Sacram Rituum Congregationem, pro conceſſione facultatis Eminentiſſimo Archiepiſcopo Neapolitano, & Epiſcopis Maſſæ, & Calvenſi denuo conficiendi proceſſus ſuper non cultu dicti Servi Dei, ſtante, quod dictus proceſſus non invenitur, neque in Neapoli, ubi illius originalis fuit fabricatus, nec in Urbe, ad quam copia ipſius fuit tranſmiſſa, & ab eadem Sacra Congregatione recepta, eadem S. Congregatio reſcripſit, poſſe reaſſumi cauſam in ſtatu, & terminis, ſi Sanctiſſimo placuerit. Die XXX. Martii MDCLXXV.

Et facta de prædictis relatione per me Secretarium, Sanctitas ſua benignè annuit die VI. Aprilis MDCLXXV.

V. Epiſc. Port. Card. Carpineus.

Locus ✠ Sigilli.

Bernardus Caſalius S. Rit. Congregationis Secretarius.

Exempl. Authent. in Archivo gen. Ord. Tom K. *num.* 147.

Quod Nobis æquè, ac PP. Tertiariis &c. Perſonas Sæculares ad Tertium, à Sancto P. Franciſco inſtitutum Pœnitentiæ Ordinem recipere competat, annullatâ aliâ ſuâ Conſtitutione incip. *Exponi Nobis &c.* X. Oct. MDCLXXII. editâ, reſciſ-

ſiſque

ſiſque quibuſcunque Literis, & Statutis in contrarium decernentibus, declarat.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

SOllicitudo Paſtoralis Officii, quo Catholicæ Eccleſiæ Regimini divina diſpoſitione præſidemus, Nos admonet, ut Chriſti Fidelium divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum, ubereſque bonorum operum fructus, aſpirante superni favoris aurâ proferre jugiter ſatagentium, quieti, & Religioſæ tranquillitati conſulere ſtudentes, ea, quæ litium dirimendarum, amabiliſque concordiæ ſtabiliendæ ſtudio inter eos providè conventa eſſe noſcuntur, quo firmiùs perennent, nec recidivis contentionibus unquam agitari poſſint, Apoſtolici muniminis patrocinio conſtabiliamus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Bonaventura à Recineto Procurator Generalis Ordinis FF. Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, & FF. Tertii Ordinis ejuſdem S. Franciſci Congregationis Gallicanæ: Quòd, cùm dudum inter FF. Minores Capucinos ex una, & FF. Tertii Ordinis Congregationis Gallicanæ hujuſmodi ex altera partibus, controverſia ſuper Jure conferendi Habitum Tertii Ordinis S. Franciſci Perſonis Sæcularibus utriuſque ſexûs extra Congregationem degentibus, & Ordinariorum Juriſdictioni ſubditis, exorta fuiſſet, variaque Decreta à Congregationibus S. R. E. Cardinalium, ac etiam Literæ Apoſtolicæ ad Partium præfatarum favorem deſuper reſpectivè emanâſſent, nec tamen controverſia hujuſmodi adhuc conquieviſſet; Eædem Partes, Fraternæ charitatis inter Ordines præfatos conſervandæ ſtudio, accedentibus etiam exhortationibus Dilectorum Filiorum noſtrorum Jacobi Roſpiglioſi, & Cæſaris Deſtrêes nuncupatorum, ejuſdem S. R. E. Presbyterorum Cardinalium; ac interceſſione Dilecti Filii Nobilis Viri Moderni Ducis Deſtrées, pro Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludovico Francorum Rege Chriſtianiſſimo apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratoris, ad concordiam ſuper præmiſſis (reſervato tamen deſuper Noſtro, & dictæ Sedis beneplacito) devenerunt, *ut ſcilicet tam præfatis FF. Minoribus Capucinis, quàm dictis FF. Tertii Ordinis dictæ Congregationis Gallicanæ liceat Habitum præfatum Perſonis ſæcularibus utriuſque ſexûs juxta uſum apud ſuos reſpectivè receptum conferre*, & aliàs, prout pleniùs continetur in ſcriptura deſuper confecta, tenoris, qui ſequitur videlicet.

In Nomine Domini.

Coram Emin. Card. & infra nominatis, Anno Domini MDCLXXV. die VI. Feb. confectum eſt Romæ præſens Inſtrumentum, & ab utraque parte acceptatum in ſequenti forma.

Cùm jam diù Patres Capucinos inter, & Tertiarios Regulares quæſtio nata ſit de, & ſuper jure conferendi Habitum Tertii Ord. S. Franciſci Perſonis Sæcularibus utriuſque ſexûs extra Congregationem degentibus, & Ordinariorum Juriſdictioni ſubditis, eaque controverſia multis intercedentibus Eminentiſſimorum Cardinalium tum S. Concilii Interpretationi, tum Epiſcoporum, & Regularium Conſultationibus præpoſitorum Decretis, ac Sanctiſſimorum Pontificum Brevibus, nondum penitus compoſita ſit: ne diuturniore contentione pax, & charitas inter dictos Ordines labefactari queat, utriuſque Ordinis Procuratoribus pietatis, & concordiæ ſtudio, accedente authoritate, & exhortationibus Eminentiſſimorum Cardinalium Roſpiglioſi, & Deſtrêes, necnon Excellentiſſimi Ducis Deſtrêes ad S. Sedem Extraordinarii Regis Chriſtianiſſimi Oratoris, eam, exortas illa de re lites componendi, & futuras in poſterum amputandi, optimam rationem inire placuit, *ut ſcilicet tum PP. Capucini, tum Tertiarii ſæcularibus utriuſque ſexûs Habitum Sancti Franciſci conferant utrique, juxta uſum apud ſuos receptum, & Jura, quibus hactenus gaudere conſueverunt*, ſalva, & reſervata ſuper præmiſſis S. Sedis Apoſtolicæ confirmatione, pro qua enixè ſupplicatur, ſuper his ſilentio impoſito.

F. Amadæus Bajocenſis Capucinus Procurator.
F. Bartholomæus Veronenſis Procurator Provinciæ S. Yvonis Tertii Ordinis.
Cæſar Cardinalis Deſtrées.
Jacobus Cardinalis Roſpiglioſus.

Quare exponentes præfati Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de Benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialibus gratiis, & favoribus proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ac ſupradictorum Decretorum, & Literarum Apoſtolicarum tenores, & alia quæcunque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam inter Partes prædictas initam, ùt præfertur,

fertur, confectamque deſuper ſcripturam præinſertam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, & proinde perpetuum ſuper controverſia prædicta utriuſque Partium ſilentium eadem authoritate, harum ſerie imponimus: decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, præfatorum Ordinum, & Congregationis Gallicanæ, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xx. Februarii MDCLXXV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

I. G. Sluſius.

Autographum in Archivo ſecret. Brev. Apoſt. Reg. Febr. 1675. fol. 45. de quo exempl. auth. in Arch. gen. Ord. Tom. F. num 154.

N O T A.

De hac materia videantur ſuprà fol. 63. Decretum ſub Papa Paulo V. emanatum, & infrà Conſtitutiones PP. Clementis XI. Benedicti XIII. & Clementis glorioſè regnantis.

Fratribus ad Miſſiones ablegandis, & populo Miſſionis exercitia accedenti Apoſtolicam Benedictionem, confeſſis inſuper, & communicatis indulgentiam plenariam largitur, mandatque locorum Ordinariis, & Eccleſiarum Rectoribus, ut Literas Apoſtolicas populo copioſiùs congregato publicent, ac Miſſionarios auxilio ac favore proſequantur.

CLEMENS PAPA X.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Coeleſtium munerum Theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit Altiſſimus, libenter his impartimur, quos pro ſua in Deum & proximos charitate, & Chriſtianæ Religionis Zelo, animarum Salutem omni ſtudio procurare intelligimus, quo in genere cum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Religioſos habeamus, eoſque in primis, quos dilectus filius Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis ob hanc cauſam proximè venturis poſt præſentem annum Jubilæi annis, in diverſas Chriſtianæ Reipublicæ Provincias mittere conſtituit. Nos ſanè eorundem Religioſorum pietatem ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, Religionem & devotionem ſpecialibus gratiis confovere, atque augere cupientes, ejuſdem Miniſtri Generalis precibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantùm cum Domino poſſumus, promovere volentes, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis dictæ Religionis Religioſis mittendis (ubi tamen non erunt Miſſionarii Congregationis de Propaganda Fide) & aliis utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint, Noſtram, & Apoſtolicam Benedictionem per præſentes impartimur. Necnon iiſdem verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, Principum Chriſtianorum unione, Infidelium converſione, Hæreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, pro una vice duntaxat pro unaquaque Miſſione concedimus, & elargimur. Hortantes Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Dei Prælatos, & Rectores,

Rectores, & Verbi Dei Prædicatores, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, cum populus frequentior fuerit, præſentes literas, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eiſdem Religioſis favorem, & auxilium in præmiſſis præſtent. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem proſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, præſentibus ad ſeptennium tantùm poſt elapſum dictum annum Jubilæi valituris.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXIII. Sept. MDCLXXV. Pontificatus Noſtri Anno VI.

Duo Brevia formata in Archivo generali Ord. Tom. H. H. *num 53.*

N O T A.

A Tempore dati hujus Apoſtolici Brevis durat hæc Miſſionum faciendarum facultas, ſemper providè renovata: Indulgentiæ autem fuère extenſæ, cum Innocentius XI. eas defunctis per modum ſuffragii applicari poſſe, indulſerit, prout mox inter ejus videbitur Conſtitutiones.

Ordinandi Capitula ſeſquiennalia ſecundùm Provinciarum exigentiam, P. Miniſtro Generali facultatem tribuit, & ab Hoc, & non â Provinciis exigentiam talem determinari debere, declarat.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

DUdum fel. rec. Clemens Papa IX. prædeceſſor noſter quædam Decreta, ſeu Capitula in Capitulo Generali Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum facta, & ſtabilita, & inter alia unum, quo cavebatur, ut Capitula Provincialia, quæ annua erant, in poſterum tantùm fierent de triennio in triennium, & ſingulis annis fieret Congregatio intermedia, Auctoritate Apoſtolica confirmavit, & approbavit, & aliàs, prout in ipſius Clementis prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die IX. Sept. MDCLXVII. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberiùs continetur. Verùm ſubinde Nos ad inſtantiam bon. mem. Federici, dum vixit, S. R. E. Cardinalis Boromæi nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, prædictas Clementis prædeceſſoris literas in nonnullis earum articulis diverſimodè moderati ſumus, & inter alia diſpenſavimus, ut Capitula Provincialia hujuſmodi fierent ſecundùm exigentiam Provinciarum, ſuper quo poſſet Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis juxta neceſſitatem concedere facultatem; & quemadmodum dictæ literæ ordinabant, ut Capitula forent triennalia, in futurum fierent de ſeſquianno in ſeſquiannum, ſublatis Congregationibus intermediis, & aliàs prout in literis ejuſdem Federici Cardinalis, & Protectoris deſuper die XXVIII. Julii MDCLXXI. emanatis dicitur contineri.

Cum autem, ſicut dilecti Filii Stephanus à Ceſena Miniſter Generalis, & Bonaventura à Recineto Procurator Generalis Ordinis præfati Nobis nuper exponi fecerunt, licèt ipſe Stephanus Miniſter Generalis vigore moderationis, ſive diſpenſationis à Nobis, ſicut præmittitur, conceſſæ abinde procuraverit, ut communiter omnes Provinciæ ejuſdem Ordinis Capitula ſeſquiennalia, ſublatis Congregationibus intermediis celebrarent, quippe qui id bono communi magis expedire cognoverit, nihilominus poſt obitum memorati Federici Cardinalis, & Protectoris â nonnullis ſuper intellectu verborum, quibus dicta moderatio ſive diſpenſatio vulgari Italico idomate concepta fuit, mota fuerit aliqua difficultas: an ſcilicet Miniſtri Provinciales Capitula triennalia cum Congregationibus intermediis retinere poſſint? An verò poſt ejuſmodi moderationem fuerit, & ſit abſolutè neceſſaria licentia Miniſtri Generalis ad retinenda in Provinciis Capitula triennalia, & Congregationes intermedias hujuſmodi? Ac, utrum Miniſter Generalis in vim moderationis, ſive diſpenſationis hujuſmodi potuerit, & poſſit adſtringere Provincias, ad Capitula de ſeſquianno in ſeſquiannum, ſublatis Congregationibus intermediis, celebranda, prout communi ipſarum Provinciarum bono magis expedire judicaverit? Nobis propterea Stephanus Miniſter Generalis, & Bonaventura Procurator Generalis præfati humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pro peculiari noſtro in Ordinem prædictum paternæ charitatis affectu, omnem in præmiſſis dubietatem, ne exinde religioſa tranquillitas perturbetur, tollere, dictorumque Stephani Miniſtri Generalis, & Bonaventuræ Procuratoris Generalis votis favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis â jure, vel ab homine

ne quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus, mentis, & intentionis noſtræ fuiſſe, & eſſe, per moderationem, ſive diſpenſationem ſuprà expreſſam, quam juſtis ex cauſis animum noſtrum moventibus pro communi totius Ordinis prædicti bono conceſſimus, Miniſtro Generali ejuſdem Ordinis concedere facultatem, ordinandi Capitula ſeſquiennalia, ſublatis congregationibus intermediis ſecundùm exigentiam Provinciarum. Talem autem exigentiam debuiſſe, & debere determinari ab eodem Miniſtro Generali, non autem à Provinciis: Ac ipſum Miniſtrum Generalem potuiſſe, & poſſe cogere eaſdem Provincias, ad Capitula Provincialia de ſeſquianno in ſeſquiannum, ſublatis Congregationibus intermediis, celebranda, prout ſecundùm datam ſibi à Domino prudentiam, ad conſervandum, promovendumque in ipſis Provinciis regularis obſervantiæ vigorem, tollendoſque, ſi qui irrepſerint, abuſus expedire in Domino judicaverit. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX. Mar. MDCLXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

I. G. Sluſius.

Locus ✠ Sigilli.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. Mart. 1676. fol. 46. de quo Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom. H.H. *n. 55.*

VENERABILIS DEI SERVUS

INNOCENTIUS XI.

Italus, â Novo-Como Ducatûs Mediolanenſis Urbe, Benedictus Cardinalis Odeſchalcus antea dictus Romæ XXI. *Septembris* MDCLXXVI. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XXXI. *Julii* MDCLXXXIX. *poſtquam ſediſſet Annos* XII. *Menſes* X. *Dies* XI.

Nicolao S. R. E. Cardinali Acciajolo Protectoris munus confert.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Nicolao S. R. E. Cardinali Acciajolo nuncupato.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM dilectus filius noſter Jacobus S. R. E. Cardinalis Presbyter Roſpiglioſus nuncupatus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protector, muneri Protectoris hujuſmodi in manibus noſtris ſponte, & liberè ceſſerit: Nos ceſſionem hujuſmodi harum ſerie admittentes, dictoque Ordini de alio idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumſpectionis ſingulari prudentia, doctrina, integritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris Te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Ordinem prædictum plurimùm commodi ſuſcepturum eſſe confidimus, ejuſdem Ordinis, illiuſque Conventuum, & Fratrum quorumcunque apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectorem, cum omnibus honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis ad Tui vitam Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, & deputamus. Volumus autem, ut Ordinem præfatum foveas, & protegas, ac tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut Supe-

Superiorum ipſius Ordinis auctoritatem, quantùm fieri poteſt, conſervare cures, ac propterea ipſis Superioribus regimen, & gubernium ſubditorum penitus relinquas, nec in negotiis eorumdem Fratrum Te immiſceas, niſi ab ipſis Superioribus requiſitus fueris, ut in iiſdem negotiis auctoritatem tuam interponas; & tunc, ſi omnino neceſſarium fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in eiſdem negotiis exerceas, id facere poſſis; ſed, quoad potueris, per Te ipſum hoc facere cures, adhibito adſcribendum, quando opus fuerit, in iiſdem negotiis, ſeu cauſis, loco Notarii, aliquo ex Fratribus dicti Ordinis. Mandantes dilectis filiis Miniſtro Generali, & aliis Superioribus, nec non univerſis Fratribus, & perſonis quibuſcunque Ordinis præfati in Virtute Sanctæ Obedientiæ, ut Te in eorum Protectorem juxta tenorem præſentium recipientes eâ, quâ debent, reverentiâ proſequantur, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Cæterùm Te in Domino hortamur, ut hujuſmodi Protectoris munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum bonorum operum Retributorem, æternum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Januar. MDCLXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Jan. 1677. fol. 1.

N O T A.

QUAM memoriam à Nobis exigat attentio, qua hic Eminentiſſimus ſe Ordinis Noſtri emolumentis addixerat, debet æquè ex hujus extenſione, quàm intenſione concludi. Extenſio ea fuit, ut ad 42. annorum ſpatium excurreret: intentio autem illa erat, ut perſonante ſolùm *Capucini* nomine aures erexerit, animumque vel in præſidium vel in commodum paraverit. Manet ei Religio ſpeciatim obærata, cum eam nova prole, Cuſtodiâ videlicet Poloniæ, ſuo potiſſimum ſtudio fœcundârit; ut enim Inſtitutum noſtrum ad Sereniſſimi Regis Joannis Sobieſki inſtantias firmiùs ibi ſtabiliretur, curam proviſionis, & Fratrum illuc mittendorum ipſe in ſe ſuſcepit. Eminentiſſimum Cardinalem noſtrum Caſinum, quem, in ultima vitæ ſuæ periodo alloquium Ejus ambientem, non obſtante vario incomodo affectuosè inviſit, paulo poſt & in via æternitatis eſt ſecutus, ac Religionem, jam mærentem, novo & duplicatò doloris argumento ex Sui jactura affecit.

D E C R E T O.

Congregationis S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis.

Ne Fratres ſub prætextu deponendi coram S. Officio, Almam Urbem accedant, cavetur.

Feria 4. Die 18. Octobris 1679.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

PAtris Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum lecto memoriali, Eminent. & Reverendiſs. DD. Cardinales Generales prædicti decreverunt, ut Fratres Ordinis Capucinorum non accedant ad Urbem ſub prætextu deponendi ſpectantia ad Sanctum Officium, ſed deponant coram Epiſcopo loci, ſeu Inquiſitore, ſub cujus Diœceſi degunt, ſeu coram Epiſcopo viciniori, vel Inquiſitore, caſu quo Epiſcopus loci, vel Inquiſitor fuerit eis ſuſpectus. Contrafacientes autem, vel nihil relevans deponentes puniantur pœnâ carceris per ſex Menſes in carceribus eorum Religionis: & mandârunt Superioribus ejuſdem Ordinis, ut hoc Decretum notificent Guardianis Conventuum, iiſque injungant, ut de hoc Decreto copiam teneant affixam in loco publico, ut ab omnibus Religioſis legi poſſit.

Locus ✠ Sigilli.

Franciſcus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notar.

Exempl. impreſſum & Authent. in Arch. generali Ordinis Tom. A. *num.* 27.

N O T A.

DE acceſſu ad Almam Urbem vide & ea, quæ ſuprà fol. 85. & 86. habentur.

F. Emericum, Provinciæ Auſtriaco-Hungaricæ Diffinitorem &c. Epiſcopum Viennenſem renunciat.

N O T A.

FActâ variâ indagine, Bulla hujus Apoſtolicæ proviſionis nec in Archivo Cancellariæ Epiſcopalis Viennenſis, nec in diſperſis Archivi Vaticani cuſtodiis poterat inveniri. Bullario tamen ſingulare quid deeſſe noli arbitrari, tam, quod Bullæ hujuſmodi (paucis mutatis) ejuſdem & communis plerumque ſint ſtyli, tam, quod ea, quæ ex illa de hujus Viri meritis ſpecialia potuiſſent erui, ſequens Vitæ illius compendium complectatur.

Commoromium celebre Hungariæ Fortalitium, præclarum hunc Virum Ordini noſtro dedit Anno 1622. cum nomine, & cognomine Joannis Antonii Sennel. Primos Religionis Annos ſacravit operibus charitatis, qua Pragæ peſte Epidemicâ infectis An. 1649., contempto propriæ vitæ periculo, aſtitit, & peſte hæreſeos contaminatos in partibus Auſtriæ Inferioris An. 1651. doctrinâ veræ Fidei ſanavit, numero horum ad 3982. aſcendente. Glorioſus dum fuit in opere, potentem ſe quoque monſtravit ſermone, quo Pragæ per ſeptem Annos, & Viennæ per 25. Chriſto in Evangelio collaboravit. Affectum duorum Auguſtiſſimorum Imperatorum operario ſuo Zelo, & humili virtute ita ſibi conciliavit, ut Ferdinandus Eum ſæpius in Aula, Leopoldus verò ſemper ad latus habere vellet. Cumque honori huic modeſtè ſe opponeret, Auguſtiſſimus ei ut ſe ſe ſubderet, Literis ad Reverend. P. Bernardum â Portu Mauritio, tunc Ordinis noſtri Miniſtrum Generalem obtinuit, Literæ hæ cum ſint in ſua expreſſione ſingulares, earum exemplar conſultò hic, & ita ponitur.

L E O P O L D U S.

Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.

H*Onorabilis Religioſe, Devote, Dilecte. Perſpecta Vobis ſunt præſtantia ſervitia Patris Emerici Ordinis Veſtri, & Guardiani Viennenſis, in Nos, Domumque Noſtram inclytam, necnon Univerſam Rempublicam Chriſtianam copioſiſſimè hactenus collata, quorum quotidiana continuatione Is animum noſtrum adeò ſibi conſtrinxit, ut plenam omnino in eo pridem collocaverimus fiduciam; operaque ipſius tam neceſſaria Nobis eſt, ut illum à præſentia noſtra ſeparatum, & remotum relinquere nequeamus: atque inde eſt, quod ob infelicem Epidemiæ morbum, hac in Urbe magis in dies ingraveſcentem, ab eadem ſecedere, aliò iter proximè inſtituere cogitantes, ipſum Patrem verò ad latus noſtrum habere cupientes, ab eo, ut Nos comitaretur, benigniſſimè petierimus, qui verò ſe, munerum ſibi à S. Religione concreditorum prætextu, ab initio vehementer excuſavit, ſe tamen tandem Nobis, & S. Obedientiæ ſubmiſit, ita, ut coacti fuerimus, à P. Provinciale licentiam, & caſu, quo ulteriùs Nobiſcum venire reluctaretur, mandatum, & præceptum in Virtute S. Obedientiæ, ob periculum moræ, & temporis anguſtiam, per expreſſum Curſorem benigniſſimè petere, à quo etiam deſideratum reſponſum exſpectamus. Verùm, cum in ejuſmodi occurrentiis diverſa itinera in, & extra Provinciam evenire facilè ſoleant, ac poſſint; ideo Vobis id inſinuandum duximus, à Vobis perbenignè contendentes, velitis eidem Patri Emerico generalem Nobiſcum veniendi, & manendi facultatem, & Benedictionem generalem, & univerſalem ubivis locorum, ſemel pro ſemper proximè impertiri, ſecuros Vos viciſſim reddentes, Nos eximia ſtudia, promptitudinem, & ſudores dicti P. Emerici in Noſtris, communiſque boni ſervitiis hucuſque ſedulò impenſos, & deinceps impendendos, non modò erga ipſius Perſonam propriam occurrentibus occaſionibus, verùm etiam Ordinem Veſtrum, & ſingillatim Cœnobia in ditionibus noſtris Hæreditariis ſita, eum in modum agnituros, talibuſque gratiæ propenſioniſque documentis compenſaturos, ut Orbi palàm fiat, quanti operam, & ſervitia Nobis ab ipſomet P. Emerico indefeſsè hactenus præſtita pendamus, facturique ſumus ulterius Nobis ab eo exhibenda, ſuper quo reſponſum veſtrum, deſiderio noſtro congruum proximè opperimur, & Vobis, quod reliquum eſt, Gratiam Noſtram Cæſaream pro omni tempore perbenignè teſtamur. Datum Viennæ Vigeſima Auguſti Anno 1679. Regnorum Noſtrorum Romani 22., Hungarici 25., & Bohemici verò 23.*

Leopoldus &c.

Chriſtophorus De Abele &c.

A tergo. *Honorabili, Religioſo, Devoto Nobis Dilecto Bernardo à Portu Mauritio, Ord. S. Franciſci Capucinorum Miniſtro Generali.*

Originale in Arch. gen. Ord. Armario Literæ Principum.

Diviſus ita inter Aulam, & Religionem, dexterè utriuſque ſemper negotia tractavit: illius, ceu Membrum Conſilii à Conſcientia nuncupati: hujus, ceu Diffinitor, & Cuſtos &c. Titulis, & Officiis hujuſmodi addidit Papa Clemens X. aliud, dum eum Præfectum omnium Miſſionum Apoſtolicarum, ad quas S. Nunciatura Viennenſis ſe extendit, conſtituit.

Dumque Eccleſia Cathedralis Viennæ, ſuo Paſtore ſe viduatam lugebat, Leopoldus de alio nominando non hæſit, ſed Emericum pro tali Papæ Innocentio XI. An. 1680. illico præſentavit. Honorem, quem Religioſa virtute contempſit, præcepto S. Odedientiæ, ab Apoſtolico Nuncio ſibi impoſito, ſuſcepit. Jam Epiſcopus, S. R. I. Princeps, & intimus, ac Secretarum Conferentiarum Conſiliarius, Habitum Ordinis antequam exteriùs immutaret, in publica Conventûs noſtri Eccleſiâ, Benefactoribus pro eleemoſynis, & Fratribus pro obſequiis grates, eleganti ſermone dixit. Hos tamen nòn animo, ſed corpore deſeruit, cum colorem Habitûs noſtri, in Veſte Epiſcopali ſplendere voluerit, ſemperque Fratres duos, quorum unus ipſi ab Exomologeſi erat, in Palatio tenuerit. Imperator dum pro Purpura Ei dandâ Romam Anno 1685. ſcripſit, ſcriptus eſt ille in libro mortuorum, & viventium in pace. Tumbam Ei dedit Eccleſia S. Stephani, ſua Sponſa, quæ gemens æquè, & grata, adhuc digniſſimi hujus Antiſtitis recordatur. Ex quadraginta quinque millibus Florenis, quos reliquit, & de quibus, ceu Capucinus, diſponere noluit, triginta millia pro Bello, contra Turcas tunc vertente applicabantur, reliquis in exequiarum expenſas & alia pietatis opera converſis.

Ex Archivo & Chronicis Provinciæ Auſtriaco-Hungaricæ.

DE-

DECRETO.

Sacræ Congreg. Epiſc. & Regul.

Conſuetudo Habitum Religionis etiam in periculoſis infirmitatibus deferendi, contra Scripturam Manzanedæ Medici ratihabetur.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, maturè conſideratis omnibus productis per Medicum Joannem Baptiſtam Manzanedam Molinam in ſuo diſcurſu medico, ſeu reſponſione Apologetica adversùs Patrum Capucinorum conſuetudinem retinendi communiter Habitum eorum Religionis in gravibus, & periculoſis infirmitatibus: & audito etiam ſuper præmiſſis Patre Procuratore Generali dicti Ordinis Capucinorum, referente Eminentiſſimo Carpineo, cenſuit, ac declaravit nihil circa prædictam conſuetudinem eſſe innovandum. Romæ XXVII. MDCLXXXI.

C. Cardinalis Carpineus.

Locus ✠ Sigilli.

B. Panciaticus Secret.

Exempl. Authent. in Arch. gen. Ord. Tom. L. *num.* 23.

DECRETO.

Sacræ Rituum Congregationis.

Terminus perficiendi proceſſum de vita, virtutibus, & miraculis Ven. Servi Dei Bernardi â Corleone Laici extenſus, â Sanctiſſimo confirmatur.

PANORMITANA.

Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Fratris Bernardi â Corleone Laici Profeſſi Ordinis Capucinorum.

SAcra Rituum Congregatio, ponente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale Caſanata, cenſuit poſſe prorogari, ſeu concedi novum terminum unius Anni, ad effectum perficiendi Proceſſus, in ſpecie ſuper aſſerta Sanctitate Vitæ, Virtutibus, & Miraculis prædicti Servi Dei, in vim literarum Remiſſorialium, & Compulſorialium, ab eadem Sac. Congregatione ſub Die XVIII. Martii MDCLXXIX. annuente etiam Sanctiſſimo conceſſarum, & expeditarum, cum omnibus, & ſingulis facultatibus deſuper neceſſariis, & opportunis, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Die XXIII. Januarii MDCLXXXIII.

Et facta de prædictis Sanctiſſimo relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die XX. Februarii MDCLXXXIII.

N. Cardinalis Ludoviſius.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congregationis Secret.

Exempl. Authent. in Arch. gen. Ord. Tom. L. *num.* 131.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Sacriſtias, Viridaria, Pomaria, Hortos & Sylvas Conventibus noſtris contiguas ſub clauſura comprehendi, vel, Mulieres ingredientes, aut eas introducentes poenis contra violatores clauſuræ ſubjici, decernitur.

PErlatum eſt Sac. Congregationi Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, in multis Conventibus Capucinorum introductum fuiſſe abuſum, quo multi prætendunt, Sacriſtias, nec non Viridaria, Pomaria, Hortos, & Sylvas eiſdem contiguas, tam apertas, quàm muris, & ſepibus circumdatas, non comprehendi ſub Clauſura, ac propterea credunt, mulieres, cujuſcunque ætatis, dicta loca ingredientes ſub quovis prætextu, & Religioſos introducentes, vel non impedientes, pœnas contra violatores Clauſurarum minimè incurrere.

Ideo Eadem Sacra Congregatio decrevit, Mulieres

lieres adultas, cujuſcunque conditionis, & ætatis ſupraſcripta loca, ſub quovis prætextu ingredientes, nec non Capucinos illas introducentes, aut non impedientes, pœnas contra violantes Clauſuram eo ipſo incurrere: Mulieres verò adhuc non adultæ ætatis dicta loca ingredientes ſubiacere debere pœnis, arbitrio Ordinarii locorum imponendis; ac propterea cenſuit (ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit) poſſe ſuper hujuſmodi Decreto Literas Apoſtolicas in forma Brevis expediri, illaſque proximo Capitulo Generali intimari, ut in omnibus Conventibus prædictæ Religionis Capucinorum exactè obſerventur.

Datum Romæ die 1. Junii MDCLXXXV.

Caſpar Cardinalis Carpineus.

Locus ✠ Sigilli.

B. Panciaticus Secretarius.

Exempl. Auth. in Archivo generali Ordinis Tom. E. *num.* 60.

N O T A.

Operæ pretium ductum eſt, ut, quæ variè, & ante emanatum hoc Decretum circa Clauſuram præcisè pro Noſtro Ordine deciſa fuēre, hîc annectantur. Talia ſunt, quæ jam Anno 1584. per ſuas literas, originaliter in Archivo generali Tom. *E.* num 60. aſſervatas Cardinalis Alexandrinus ex Sac. Congreg. ordine communicavit, & quæ poſtea Cardinalis Franciſcus Jojoſæus Protector repetiit, cum quorundam punctorum in ſuis itidem literis, quæ pariter in Archivo, Tomo & numero citatis aſſervantur, & ita ſonant.

Admodum Reverende Pater. *Cum P. Vice-Procurator, qui impræſentiarùm negotia Religionis in Curia tractat, inſtiterit pro reſolutione quorundam dubiorum circa obſervantiam Clauſuræ, & Mulierum excluſionem juxta Bullam fel. rec Pii V., Sacra Congregatio deſuper decidit, & declaravit, uti ſequitur:*

I. In ordine ad Monaſteria, quæ noviter ædificantur, & in quibus Conventus necdum eſt formatus, ſolùmque ibi aliqui Fratres potiùs ædificii causâ, quàm ex alio motivo commorantur, declaratur, ſicut jam aliàs Anno 1584. *fuit declaratum, quod non ſit Clauſura talis, ita, ut ſi mulieres ingrediantur, memoratæ Bullæ pœnas incurrant.*

II. Idipſum quoque fuit reſolutum circa Domos, quæ ſunt in Civitatibus, ſeu Locis majoribus, ad quæ Fratres infirmi ducuntur, & quæ, cum nec Eccleſiam, nec Conventum habeant, Loca Clauſuræ non poſſunt nominari.

III. Declaratum eſt, quod ſacriſtia omni modo ſub Clauſura comprehendatur.

IV. Quando Clauſura jam eſt introducta, non poſſunt Mulieres intra illius terminos ex prætextu laboris ingredi, &, ſi ingrederentur, incurrunt pœnas Bullæ præfatæ.

V. Ad alios caſus, circa quos fuit dubitatum, generaliter fuit deciſum, quod Patres clauſuram debeant maturiùs terminare, & ſignum, ad quod ſe extendat, ponere, nec ulla fœmina illud excedat, aut ingrediatur, aliàs dictis pœnis ſubjacet.

Poterit P. V. omnibus Fratribus ſuis mentem & præſentes Sacræ Congregationis deciſiones intimare, ut quilibet eas obſervare, & cum Animæ ſuæ quiete Divino ſervitio incumbere queat &c. Romæ 18. *April.* 1605.

Franciſcus Cardinalis Jojoſæus.

Cum dein Anno 1616. circa ſacriſtias nova emergeret difficultas, ex differentia, quod harum aliæ Eccleſiis forent unitæ, aliæ autem ab iis ſeparatæ, à P. Sancto Romano Oraculum S. Congregationis Epiſc. & Regul. noviter fuit petitum, an ſcilicet Sacriſtiæ tam unitæ, quàm ſeparatæ ſub clauſura forent comprehenſæ? fuitque tunc juxta originarium Documentum, à memorato Patre in Archivo generali Tom. *E.* num. 60. relictum, deciſum, *quod illa ſolùm, quæ ab Eccleſia forent ſeparatæ, rationem Clauſuræ induerent, non autem Eccleſiis unitæ.*

Quod ultimum poſtea ſupra poſito Decreto fuit reformatum, & quamvis modus hoc moderandi variè fuiſſet quæſitus, effectus tamen impetrari non potuit. Inde Decretum in Capitulo Generali fuit publicatum, & Literæ circulares pro illius obſervantia ad Provincias ablegatæ.

Literæ autem Apoſtolicæ in forma Brevis, de quibus Decretum mentionem facit, nunquam fuēre expeditæ. Plura de hac materia ſi velis, vide Indic. gener. verb. *Clauſura*.

DECRETO.

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Circa Eremitas Habitu, vel Capucio Franciſcano abutentes, & circa receptionem, vel inveſtitionem eorum, Apoſtolicas Conſtitutiones obſervari, ſancitur.

Beatiſſime Pater.

INfraſcripti Procuratores Generales Ordinis S Franciſci, humillimi Filii, & Oratores Sanctitatis Veſtræ ad Sanctos pedes proſtrati ſupplicando exponunt, quod inter alia media, ab inimico homine, ad deprimendam prædictam Religionem inventa, maximè triviale ſit abuſus, quo nonnulli ſub prætextu *Libellus Supplex.*

vitam

vitam Eremiticam ducendi, vel ſine licentia, vel cum licentia falſa, aut illegitima induuntur dictæ Religionis Habitu, & quidem potiore ex parte cum Capucio, quo poſtea per Urbes, & Terras vagantur, & in Cauponis converſantes, pecunias colligentes, alioſque exceſſus committentes, Habitûs vilipendium, & ſcandala continua in-et extra Religionem cauſant. Malo tam gravi ut obviaretur, Sanctiſſimo Zelo Papæ Gregorii IX. Pauli II. & ultimò Urbani VIII. San. mem. fuit remedium poſitum, tollendo cuilibet alii, præter Religionem ipſam, facultatem talibus Eremitis, Habitum Franciſcanum conferendi, & ipſis Eremitis, aut prætenſis Tertiariis, ſub gravium cenſurarum, & carceris pœnis prohibendo, ne ſine licentia Superiorum dictæ Religionis Habitum hujuſmodi portare præſumerent. Jam verò, vel, quod tales Pontificiæ Conſtitutiones negligantur, vel penitùs ignorentur, vel, quod iis derogatum eſſe, falsò prætendatur, non abſque graviſſimo Sæculi ſcandalo, & Religionis præjudicio per varias mundi partes tale genus hominum, ſeu Eremitarum multiplicari conſpicitur, qui, ut majore mendicandi panem libertate potiantur, etiam ſub ementito titulo, quod ſint Religioſi Profeſſi, in effræni ſua vivendi forma perſiſtunt, &, quaſi â Foro Sæculari, & Regulari eſſent exempti, graviſſimos committunt defectus; quæ omnia in manifeſtum Religionis cedunt contemptum. Naſcitur hic exceſſus, partim, quod præſatæ Conſtitutiones Apoſtolicæ ignorentur, vel negligantur, cum varii Fratres ſubditi & Guardiani indifferenter ob ſuos fines Sæcularibus, inſciis, quid dicere velit Religio, Habitum Tertiarorum conferant; partim, quod multi Ordinarii, ac etiam eorum Secretarii ſine ulla facultate, & pariter ob ſuos reſpectus diſpenſent diverſis Patentes Eremitarum cum Habitu; partim, quod alii ex ſe tali ſeſe induant ſine licentia, ut liberiùs vagandi habeant prætextum.

Ad evitanda talia inconvenientia â PP. Gregorio IX. per Conſtit. incip. *Quia confuſio &c.* & â Paulo II. per Conſtitut. incip. *Regularem vitam &c.* ſub pœna excommunicationis fuit prohibitum, ne ullus Eremita aut Tertiarius Franciſcanus Habitum ſimilem Habitui Franciſcano portare præſumeret, & quod tales ab Ordinariis locorum ad illum deponendum ſub gravibus cenſuris conpelli, ac excommunicati diebus feſtis inter Miſſarum ſolemnia denuntiari deberent: ab Urbano VIII. autem in ſua Conſtit. incip. *Cum, ſicut Dilectus &c.* fuit adjunctum, quod nullus, quicunque ſit, Frater non Profeſſus Ordinis, Tunicam vel Habitum cum-vel ſine Pallio, cum-vel ſine Capucio, abſque Licentia Superiorum Ordinis in ſcriptis portare poſſit, & delinquentes â Nuntiis Apoſtolicis, vel Locorum ordinariis carcerentur, & ad Habitum deponendum variis pœnis conſtringantur. Imò circa Capucium expreſſiſimè ordinatur, quod illud nec â Superioribus Ordinis, nec ab Ordinariis, nec â Nuntiis Apoſtolicis poſſit concedi, & delinquentes, ſeu tale portantes irremiſibiliter ab ipſis Ordinariis vel Nuntiis carcerentur, Habitu ſpolientur, & aliis pœnis mulctentur.

Supplicatur proin Sanctitati Veſtræ, quatenus pro ſuo Sancto, & Apoſtolico Zelo prædictas Conſtitutiones Gregorii IX. Pauli II. & Urbani VIII. renovare dignetur, adjuncta expreſſa declaratione.

I. Quod Habitus talis, etiam ſine Capucio, extra Religionem non poſſit conferri, nec ab Ordinariis (excepto tamen, ſi & in colore & ſimul in forma ab Habitu Franciſcano diſcreparet) nec â Fratribus ſubditis, nec â Superioribus Localibus abſque Licentia Provincialis, vel Miniſtri Generalis, & quidem ſub pœna excommunicationis, tam ab Habitum conferentibus, quàm ab illum ferentibus ipſo facto incurrenda.

II. Quod Habitu, aliquo modo Habitui Franciſcano ſimili taliter veſtiti, nullo privilegio nec Indulgentiarum, nec Fori, nec Canonis potiantur, & quod tales in ſupplementum Eccleſiaſtici Fori â Magiſtratu ſæculari debeant carcerari.

III. Quod Epiſcopi legitimè â Superioribus requiſiti tales Habitu privare debeant, modo & formâ Sanctitati Veſtræ bene viſis.

IV. Quod hæc Apoſtolica proviſio, quatenus omnibus innoteſcat, & illius ignorantia, aut abolitio, aut contraria præſcriptio non poſſit allegari, in omnibus Locis, Terris, Civitatibus binâ vice per annum, in primis Dominicis Adventûs & Quadrageſimæ inter Miſſarum ſolemnia debeat publicari.

Quam gratiam &c.

Fr. Franciſcus Maria Procurator Generalis Minorum Obſervantium.

Fr. Franciſcus Maria â Sangro Procurator Generalis Reformationis Minorum Obſervantium.

Fr. Bonaventura â Recineto Procurator Generalis Minorum Capucinorum. Quoad conſervationem, & obſervantiam Bullarum.

Exempl. Auth. in Arch. gener. Ord. *Tom.* C. *num.* 133.

Ad

Ad quem.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Episc. & Regul. præpoſita, ſtante remiſſione Libelli per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum facta, & attentis narratis, cenſuit injungendum, prout præſentis Decreti tenore injungit, Ordinariis Locorum, ut ſupradictas Conſtitutiones Apoſtolicas juxta earum tenorem executioni omninò demandent. Romæ 21. Martii 1686.

C. Card. Carpineus.

Locus ✠ Sigilli.

B. Panciaticus Secret.

Exempl. Auth. in Archivo generali Ordinis Tom. E. *num* 133.

N O T A.

PRoviſum quidem jam eſt per varia Pontificia Diplomata, & in ſpecie per Conſtitutionem Papæ Gregorii XIV. fol. 45. poſitam, ne Tertiarii vel Eremitæ Habitum noſtrum, vel ei conſimilem geſtent, cum tamen Decretum hoc obſervantiam Conſtitutionum, contra dantes Habitum Franciſcanum Eremitis, & contra Eremitas Capucium portantes emanatarum innovet & inculcet, illud (quantumvis Ordini noſtro ſoli non proprium) hìc poni, clamor Religionis contra tales Eremitas, liberrimè Pontificias Conſtitutiones tranſgredientes, ſemper magis incaleſcens monuit. Alia vide in Indice generali Verb. *Eremitæ*. Conſtitutiones autem in Libello ſupplici memoratos invenies in Tomo, Bullas communes continente.

Ut Oratio quadraginta Horarum in Provinciis Ultramontanis noctis tempore interpoletur, indulget.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM Nos omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra comunione refectis, qui Orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum, in Eccleſiis Civitatum, & locorum in Ultramontanis partibus conſiſtentium, ubi dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Conventus habent, de licentia Ordinariorum locorum ſemel in anno inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium devotè interfuiſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſerimus, & aliàs, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die XXII. Maii proximè præteriti expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, plenius continetur; Et ſicut pro parte dilecti etiam Filii Procuratoris Generalis dicti Ordinis Nobis nuper expoſitum fuit, occaſione acceſsûs Virginum, & Mulierum noctis tempore ad Eccleſias prædictas pro ejuſdem Indulgentiæ conſecutione, multæ actiones profanæ, & irreverentes interdum committantur, cupiatque propterea ipſe Procurator Generalis opportunè deſuper à Nobis provideri: Nos piis ejuſdem Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuentes, ut Oratio quadraginta horarum hujuſmodi in Eccleſiis prædictis, ſicut præmittitur, inſtituenda, noctis tempore interpolari valeat, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ad tempus, quo literas noſtras præfatas valere voluimus, concedimus, & indulgemus. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXX. Julii MDCLXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

I. G. Sluſius.

Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom. H. H. *num.* 78.

N O T A.

QUæ originem hujus Orationis, & facultates Confeſſariis noſtris, ratione illius conceſſas concernunt, vide fol. 54. & conditionem interpolationis ad hoc uſque tempus durare, ex ultima harum indulgentiarum & facultatum renovatione obſerva.

P. Bonaventuræ à Recineto, Officium Procuratoris Generalis renuncianti P. Franciſcum à Peruſia ſubſtituit.

INNO-

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Bonaventura à Recineto Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quòd ipſe tum ob ejus ingraveſcentem ætatem, tum ob onus ſatisfaciendi muneri, quò pluribus abhinc annis egregiè fungitur, Concionatoris Sacri Palatii Noſtri Apoſtolici, præviâ renunciatione Officii Procuratoris Generalis hujuſmodi, quòd hactenus laudabiliter exercuit, ejus nomine in manibus noſtris ſponte, & liberè factâ, alium Procuratorem Generalem in ſui locum à Nobis deputari plurimùm deſiderat. Nos itaque ipſius Bonaventuræ votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ac de dilecti pariter filii Franciſci à Peruſia Fratris expreſsè profeſſi, & ad præſens Diffinitoris Generalis ejuſdem Ordinis fide, prudentia, charitate, pietate, integritate, vigilantia, & Religionis Zelo plenam habentes in Domino fiduciam, dictorumque Bonaventuræ, & Franciſci ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, renunciationem, & ceſſionem hujuſmodi ejuſdem Bonaventuræ nomine factam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium admittimus, & in ejus locum in Procuratorem Generalem Ordinis prædicti uſque ad complementum temporis, ad quod præfatus Bonaventura in Officio Procuratoris Generalis hujuſmodi durare deberet, memoratum Franciſcum à Peruſia cum omnibus, & ſingulis facultatibus, præeminentiis, prærogativis, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, ac quibus dictus Bonaventura ratione Officii præfati potiebatur, auctoritate, & tenore prædictis conſtituimus, & deputamus. Decernente pariter eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Bonaventuræ, & Franciſco præfatis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, Ordinis præfati etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XI. Maii MDCLXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

J. F. Albanus.

Breve formatum in Archivo generali Ordinis Tom. H. H. *num.* 78.

N O T A.

PBonaventuræ merita & vitam, quam R. P. Didacus Calcagni Soc. Jeſu fusè conſcripſit, exhibet dignæ poſterorum memoriæ ſynopſis, quæ poſt mortem pictæ illius imagini ita fuit appoſita:

R. P. F. Bonaventura à Recineto Provincialis, pluries Generalis Diffinitor, bis Generalis Vicarius, tertiùm totius Ordinis Capucinorum in Aula Romana Procurator, S. Officii Qualificator, Sacro Purpuratorum Senatui in Conclavi à Confeſſionibus: inſignis Philoſophus, egregius Theologus, Concionator in tota Italia celeberrimus, Apoſtolico in Palatio, per annos 16. *ad Summos Pontifices Clem. X. & Innoc. XI. pari ſemper cum admiratione & plauſu Eccleſiaſten egit: animi innocentiâ, morum ſuavitate, Regularis diſciplinæ obſervantiâ, pietate, humilitate, obedientiâ, Zelo, conſilio, prudentiâ, magnorum Principum gratiam, Religioſorum Ordinum æſtimationem, Populorum venerationem adeptus, plenus non tam dierum, quàm meritorum, extremum clauſit diem Romæ* 7. *Martii.* 1691. *ætatis* 77. *Religionis* 62.

Indul-

Indulgentiam plenariam pro Miſſionibus volantibus conceſſam, Animabus Defunctorum per modum Suffragii applicari poſſe, concedit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COeleſtium munerum Theſauros, quorum diſpenſatores Nos voluit Altiſſimus, libenter illis impartimur, quos pro ſua in Deum, & proximos charitate, & Chriſtianæ Religionis Zelo, Animarum ſalutem omni ſtudio procurare intelligimus. Quo in genere cum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum religioſos habeamus, eoſque in primis, quos dilectus Filius Miniſter, ſeu de ejus mandato, Procurator Generalis ejuſdem Ordinis ob hanc cauſam, hoc, & aliis proximè venturis annis, in diverſas Chriſtianæ Reipublicæ Provincias mittere conſtituit. Nos ſanè eorundem Religioſorum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem, & devotionem ſpiritualibus gratiis confovere, ac augere cupientes, ejuſdem Procuratoris Generalis precibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, piamque Miniſtri Generalis præfati deliberationem, quantùm cum Domino poſſumus, promovere volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, Authoritate confiſi, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Religioſis mittendis (ubi tamen non erunt Miſſionarii Congregationis de Propaganda Fide) & aliis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam Benedictionem per præſentes impartimur. Nec non iiſdem pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, Principum Chriſtianorum unione, Infidelium converſione, hæreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, *quam etiam Chriſtifidelium Defunctorum Animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ex hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicare poſſint*, miſericorditer in Domino, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, pro una vice duntaxat, pro unaquaque Miſſione concedimus, & elargimur. Hortantes Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Dei Prælatos, & Rectores, ac Verbi Dei Prædicatores, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, cum Populus frequentior fuerit, præſentes Literas, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eiſdem Religioſis favorem, & auxilium in præmiſſis præſtent. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Januarii MDCLXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

I. F. Albanus.

Breve form. in Arch. gener. Ord. Tom. H. H. *num.* 82.

N O T A.

IMpræſentiarùm adhuc viget hæc facultas, ſuo ſemper tempore renovata.

Indulgentiam, Porticunculę nuncupatam, â fel. rec. Gregorio XV. pro vivis in perpetuum conceſſam, etiam animabus Defunctorum per modum Suffragii applicari poſſe, in perpetuum pariter indulget.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædeceſſor noſter omnibus, & ſingulis utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum ubique exiſtentibus, Die ſecunda Menſis Auguſti à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi annis ſingulis devotè viſitâſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit, & aliàs, prout in ipſius Gregorii Prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis Die XII. Octobris MDCXXII. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberiùs continetur. Cum autem, ſicut dilectus Filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remiſſionem

per

per dictum Gregorium Prædeceſſorem, ùt præfertu, conceſſam, etiam animabus Chriſtifidelium Defunctorum per modum Suffragii applicari poſſe, ſummoperè deſideret. Nos piis ejuſdem Procuratoris Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remiſſionem Chriſtifidelibus præfatis ſupradictas Eccleſias Fratrum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum dicta die ſecunda Menſis Auguſti, ùt ſuprà, viſitantibus, & præmiſſa peragentibus conceſſam, etiam Chriſtifidelium animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicari poſſe, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die x. Maii MDCLXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

I. F. Albanus.

Breve formatum in Arch. generali Ordinis Tom. H. *num.* 28.

N O T A.

Ex occaſione, quâ hæc Indulgentia pro Defunctis applicanda, fuit conceſſa, originavit forſan mos, qui adhuc durat, ut Fideles Eccleſias FF. Min. ſæpius accedant, aut gyrum per eas, ſeu per Altare Majus conficiant cum intentione, ut Indulgentias defunctis pluries applicent. Cum autem in Decreto ſub Innoc. XI. de apochryphis Indulgentiis Sac. Congregatio Indulgentiarum declaraverit: *Semel duntaxat in die Indulgentiam, in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam lucrifieri*, movit Reverendiſſimus Epiſcopus Labacenſis dubium, an Indulgentia Portiunculæ toties, quoties Eccleſias Minorum Fideles die 2. Auguſti ſub dicta intentione accederent, obtineretur? Fuitque dubium Sac. Congregationi expoſitum per Memoriale ſequens.

Epiſcopus Labacenſis à parte Imperii Orator devotus, EE. VV. humiliter exponit, quòd non obſtante Decreto Innoc. XI. de Apochryphis Indulgentiis ſub die 3. *Martii* 1678., *quo declaravit, ſemel duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam lucrifieri, pergunt Fratres Ordinis S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Carniolæ Populo perſuadere, Indulgentiam pro die* 2. *Auguſti de Portiuncula nuncupatam, eorum Eccleſiam viſitantibus conceſſam, toties quoties eadem die lucrifieri poſſe. Cum autem hujuſmodi abuſus ad Summum Pontificem ab Ordinariis deferri jubeat Sac. Congregatio Concilii Trid. Seſs.* 25. *de Reform. c.* 21. *in Decreto de Indulgentiis: Idcirco Orator quærit, & declarari petit: an præfata Indulgentia, de Portiuncula nuncupata, etiam comprehendatur ſub Decreto, & Declaratione San. Mem. Innocentii XI. ſupradicta? Pro qua gratia &c.*

Ad quod.

Die 17. *Julii* 1700.

Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis, & Miniſtri Provincialis, cenſuit ſervandum eſſe ſolitum. Cit. Mathæucci in Offic. Curiæ pag. mihi 180.

Literas Apoſtolicas PP. Greg. XV. vide ſuprà fol.69. & alia infrà inter PP. Benedict. XIII. Conſtitutiones.

ALEXANDER VIII.

Venetus, Petrus Cardinalis Othobonus antea dictus. Romæ VI. *Octobr.* MDCLXXXIX. *Summus Pontifex creatus. Obiit* I. *Febr.*MDCXCI. *poſtquam ſediſſet Annum* I. *Menſes* III. *dies* XXXVI.

Conſtitutionem PP. Innoc. XI. de Miſſionariis Capucinis editam confirmat, &, ut hi tempore, & in actu Miſſionum, confeſſiones Sæcularium excipiant, ſtatuit.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs, cum fel. rec. Innocentius Papa XI. Prædeceſſor noſter intellexiſſet, quod dilectus Filius Miniſter Generalis, ſeu de ejus mandato Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Religioſos ejuſdem Ordinis ad procurandam animarum Salutem in diverſas Chriſtianæ Reipublicæ Provincias mittere conſtituiſſet: idem Innocentius Prædeceſſor eorundem Religioſorum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mitterentur, religionem, & devotionem ſpiritualibus gratiis con-

fovere, atque augere cupiens, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſus, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Religioſis mittendis (ubi tamen non eſſent Miſſionarii Congregationis de Propaganda fide) & aliis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſiſſent, ſuam, & Apoſtolicam Benedictionem impertitus fuit: necnon eiſdem verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui modo, & forma tunc præſcriptis pias ad Deum preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam etiam Chriſtifidelium Defunctorum animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraviſſent, per modum ſuffragii applicari poſſet, miſericorditer in Domino pro una vice duntaxat pro unaquaque Miſſione conceſſit; & aliàs, prout in ipſius Innocentii Prædeceſſoris deſuper in ſimili forma Brevis, die XII. Januarii proximè præteriti expeditis literis, quas ad ſeptennium tantùm valere voluit, uberiùs continetur.

Cum autem, ſicut præfatus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, copioſior ex Miſſionibus hujuſmodi, Domino benedicente proventurus ſit fructus animarum, ſi dictis Religioſis, qui ſuis exhortationibus peccatores ad pœnitentiam adducere ſatagunt, Sacramentales illorum confeſſiones audiendi facultas tribuatur, nec id ullum Ordini præfato præjudicium ſit allaturum, quippe, quod fini Conſtitutionum ipſius Ordinis minimè adverſetur. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ùt infrà, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatis Religioſis Miſſionariis in Sacro Presbyteratûs Ordine conſtitutis quorumcunque Chriſtifidelium Sæcularium in actu, & occaſione Miſſionum hujuſmodi, illiſque durantibus tantùm, ad ſe currentium Sacramentales confeſſiones de Ordinariorum locorum reſpectivè licentia audiendi, illoſque pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis injunctis, ab eorum peccatis abſolvendi, facultatem ad ſeptennium ſupradictum duntaxat duraturam, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de Verbo ad Verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac Vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Octobris M. DC. LXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

I. F. Albanus.

Breve formatum in Archivo generali Ordinis Tom. H. H. *num.* 83.

NOTA.

SErviet hoc Apoſtolicum Breve, tempore ſuo hucuſque ſemper renovatum, in regulam PP. Miſſionariis paucarum illarum Provinciarum, quæ munus excipiendi Sæcularium confeſſiones necdum induxêre, dabitque lumen pro caſibus, qui poſſent evenire, cum defacto quoad punctum de Confeſſionibus Sæcularium excipiendis â glorioſè Regnante Summo Pontifice opportuniùs proviſum ſit, uti ex ſua Conſtitutione incip. *Dudum emanârunt &c.* infrà conſtabit.

INNOCENTIUS XII.

Neapolitanus, Antonius S. R. E. Cardinalis Pignatellus antea dictus. Romæ XII. *Julii* MDCXCI. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XXVIII. *Sept.* MDCC. *poſtquam ſediſſet Anno* IX. *Menſes* II. *dies* XVII.

DECRETO.

Sac. Rituum Congregationis.

A Sanctiſſimo confirmato, elogium B. Felicis antiquum novis Martyrologii editionibus apponi, conceditur.

ORDI-

Elogium Beati Felicis à Cantalicio.

CUM in nonnullis exemplaribus Martyrologii in Urbe uſque de Anno MDCXXX. impreſſis, juxta Decretum Sacr. Rituum Congr. ſub die XXIII. Martii ejuſdem Anni MDCXXX. editum, compertum fuerit ibidem reperiri impreſſum Elogium Beati Felicis à Cantalicio approbatum, tenoris videlicet.

Die XVIII. *Maii.*

ROMÆ B. Felicis Confeſſoris Ord. Min. Capucinorum S. Franciſci, qui apud eamdem Urbem mira humilitate, & maxima totius Populi ædificatione quadraginta annos oſtiatim pro alendis Fratribus mendicavit, tandem virtutibus, & miraculis clarus ibidem obdormivit in Domino.

In aliis verò Martyrologiis recentioribus prædictum Elogium, forſan ob Typographorum incuriam non videatur impreſſum, Procurator Cauſæ Canonizationis, ejuſdem Beati humiliter ſupplicavit Sacr. Rituum Congregationi, ut dignarentur Eminentiſs. Patres eidem præpoſiti mandare, ut in proxima impreſſione, & in poſterum præfatum Elogium in Martyrologio imprimendo, prout ſuprà jacet, apponatur: Ipſa Sacra Congreg. verificatis narratis, omnibuſque perpenſis, referente Eminentiſſimo de Alteriis gratiam petitam concecedendam eſſe cenſuit, ſi Sanctiſſimo D. N. placuerit. Die XV. Decembris MDCXCI.

Et facta de prædictis Sanctiſs. D. N. Innocentio Papæ XII. per me Secretarium relatione Sanctitas Sua annuit, & Decretum edi, & publicari mandavit quibuſcunque non obſtantibus. Die XII. Januarii MDCXCII.

A. Epiſc. Oſtien. Card. Cybo.

Loco ✠ Sigilli.

Joſeph Vallemanus Sacr. Rit. Congreg. Secret.

Exemplar auth. in Archivo generali Ord. Tom. M. *num.* 37.

NOTA.

B. Felice poſtea Sanctorum Syllabo adſcripto, fuit alio, & ſequente S. Congregationis Decreto, titulum *Beati* in nominationem *Sancti* immutati, & alia verba adjungi conceſſum.

SAC. Rituum Congregatio inſtante P. Procuratore Generali Ordinis Capucinorum, benignè conceſſit, ut in Elogio Beati Felicis in Martyrologio Romano de mandato ejuſdem Sacræ Congregationis appoſito, loco BEATI, titulus SANCTI, nec non in fine ejuſdem poſt Verba: Obdormivit in Domino addantur ſequentia: ET A CLEMENTE XI. PONTIFICE MAXIMO SOLEMNI RITU SANCTORUM NUMERO ADSCRIPTUS FUIT, & ſic prædictum Elogium in eodem Martyrologio imprimi poſſit, & Valeat, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Die X. *Decembris* MDCCXVIII.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas ſua benignè annuit. Die XIV. *ejuſdem Menſis, & Anni* MDCCXVIII.

Card. de Abdua Præfectus.

Locus ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſc. Liparit. Sac. Rit. Congr. Secr.

Exempl. Auth. in Archivo gen. Ord. Tom. C. *num.* 163.

Conſtitutionem PP. Alexandri VII. de Fratribus ad aliam Religionem tranſeuntibus editam & fol. 111. videndam confirmat: iis, qui tales in Provinciis collocant, vel retinent, pœnam dictat, ac huic Conſtitutioni nunquam per clauſulas generales derogari, declarat.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncto Nobis Divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, ad conſervandam Religioſorum Ordinum, eximiæ pietatis arctioris diſciplinæ meritis conſpicuorum exiſtimationem providè emanâſſe noſcuntur, ut firmiora ſint, & ſerventur exactiùs, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio, cum id â Nobis petitur, libenter corroboramus, illiſque, ne temerario cujuſquam auſu violentur, novas ſanctio-

ſanctiones adjungimus, ſicut in Domino expedire arbitramur. Aliàs ſiquidem pro parte tunc exiſtentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum fel. rec. Alexandro Papæ VII. Prædeceſſori Noſtro expoſito, quod nonnulli è dicto Ordine ad alias Religiones tranſibant, aſſumptoque in illis Habitu Regulari, ad eas Provincias, in quibus Habitum præfatum Ordinis Fratrum Capucinorum publicè geſtaverant, ac cogniti, & commorati fuerant, illico habitatum ſe conferebant, & ad tegendas, ſeu defendendas proprias imperfectiones ejuſdem Ordinis Fratrum Capucinorum famam multis impoſturis lacerare non verebantur, cum gravi Secularium ſcandalo, bonique nominis dicti Ordinis detrimento; Idem Alexander Prædeceſſor, ſupplicationibus ejuſdem Procuratoris Generalis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, ne de cætero quiſquam, qui è memorato Ordine Fratrum Capucinorum, poſt emiſſam in illo profeſſionem regularem, ad aliam quamcunque Religionem quomodolibet tranſiviſſet, in ea Provincia, in qua profeſſionem hujuſmodi emiſiſſet, ac Habitum eorundem Fratrum Capucinorum publicè geſtaviſſet, habitare, ſeu commorari auderet, quovis modo, vel præſumeret, Authoritate Apoſtolica prohibuit, & interdixit, & aliàs, prout in ipſius Alexandri Prædeceſſoris literis, deſuper in ſimili forma Brevis, die XXVII. Decembris MDCLXIV. expeditis, quarum tenorem pro plenè, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, ſicut dilectus filius modernus Vice-Procurator Generalis dicti Ord. Nobis nuper exponi fecit, præfatæ Alexandri Prædeceſſoris Literæ, quia nullius pœnæ inflictione, ſeu comminatione vallatæ reperiuntur, iiſque, qui interdum è dicto Ordine ad aliam Religionem tranſeundi licentiam, ab hac Sancta Sede ſibi concedi obtinent, illis per Literas Apoſtolicas, quæ ſuper licentia hujuſmodi expediri ſolent, uti poſteriores, vigore clauſurarum derogatoriarum in eis appoſitarum derogatum eſſe prætendunt, minùs accuratè ſerventur non ſine notabili honoris dicti Ordinis præjudicio, Nobis propterea dictus Vice-Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ùt infrà, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſius Vice-Procuratoris Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, ſupradictas Alexandri Prædeceſſoris Literas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus: nec non omnes, & ſingulos tam Religioſos, qui literis hujuſmodi contravenerint, quàm Superiores, qui illos in aliqua Provincia contra earundem literarum diſpoſitionem collocaverint, ſeu retinuerint, eo ipſo privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnam, abſque alia declaratione incurſuros eſſe declaramus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari: neque ipſis præſentibus per quaſcunque clauſulas generales, niſi factâ illarum ſpeciali, & individuâ mentione, ullo modo derogatum cenſeri, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ dictus Alexander Prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Junii MDCXCVII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

J. F. Card. Albanus.

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Junii. 1697. fol. 25. de quo Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom. H.H. *n. 96*

Conſtitutionem PP. Urbani VIII. circa tranſitum Fratrum ad aliam Religionem emanatam, & fol. 79. poſitam confir-

confirmat, ac eam etiam in tranſitu ad RR. PP. Ciſtercienſes Reformatos (vulgò de la Trappe) obſervari debere, ſub cenſuris mandat.

INNOCENTIUS XII.

Ad futuram rei memoriam.

SOllicitudo Paſtoralis Officii, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini per infallibilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio præſidemus, Nos urget, atque impellit, ut paternam Chriſtifidelium Altiſſimi obſequiis ſub arctioris vitæ Inſtituto laudabiliter incumbentium curam gerentes, religioſæ eorum ſtabilitati, ut in ea vocatione, in qua vocati ſunt, perſeverent uſque in finem, quantùm Nobis ex alto conceditur, proſpicere ſatagamus. Dudùm ſiquidem fel. rec. Urbano PP. VIII. Prædeceſſori noſtro pro parte tunc exiſtentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum expoſito, quod nonnulli dicti Ordinis Religioſi nullâ deſuper ab Apoſtolica Sede, vel Superioribus ſuis obtentâ licentiâ, ad alios Ordines, ſeu Congregationes ſe transferre poſſe prætenderant, & prætendebant, non ſine gravi regularis diſciplinæ detrimento, ipſiuſque Ordinis inquietudine; idem Urbanus Prædeceſſor, ut incommodis, damnis, & perturbationibus, quæ ex ejuſmodi translationibus oriebantur, occurreret, ſupplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, ne de cætero perpetuis futuris temporibus ullus ejuſdem Ordinis Religioſus ad laxiorem abſque ſpeciali dictæ Sedis, ad Carthuſienſem verò, ſeu quemcunque alium Ordinem, vel Congregationem, niſi de Miniſtri Generalis pro tempore exiſtentis Ordinis ſupradicti licentiâ, in ſcriptis obtinenda, quovis prætextu, aut ex quavis causa ſub apoſtaſiæ, & infamiæ perpetuæ nota, nec non excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis, ipſo facto abſque ulla declaratione incurrendis, tranſire quoquomodo auderet, ſeu præſumeret, Apoſtolica Auctoritate interdixit, & prohibuit, & aliàs, prout in ipſius Urbani Prædeceſſoris Literis, deſuper in ſimili forma Brevis Die IX. Aug. MDCXXVIII. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, ſicut dilectus Filius Franciſcus Maria ab Aretio modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit non minora incommoda, damna, & perturbationes memorato Ordini immineant, quin imò Provinciæ Galliarum ipſius Ordinis ea jam experiri cœperint, ex tranſitu Fratrum Ord. hujuſmodi ad Monaſterium B. Mariæ de la Trappe nuncupatum, Ordinis Ciſtercienſium Sagien. Diœceſis, ad quod quidam ex illis, quo ſpiritu ducti, neſcitur, prætextu tamen arctioris vitæ ducendæ, ſe transferre ſatagunt; Nobis propterea dictus Franciſcus Maria Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis de opportuno remedio providere, nempe, quòd Fratres dicti Ordinis Capucinorum expreſsè profeſſi ad memoratum Monaſterium Beatæ Mariæ de la Trappe Ordinis Ciſtercien. animo ſe ſe ibidem aſſociandi, ſeu incorporandi, ſine expreſſa ſolius Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis Capucinorum licentia in ſcriptis obtinenda, nullo modo tranſire poſſint, etiamſi alia ſervanda ſervarentur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, tam pro receptis, quàm pro recipiendis prohibere, quemadmodum ob eaſdem ferme rationes rec. mem. Clemens X., & Innocentius XI. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri id ipſum Monachis Congregationis Sancti Mauri Ordinis Sancti Benedicti prohibuerunt, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſum Franciſcum Mariam Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, ne Fratres expreſsè profeſſi dicti Ordinis Capucinorum ad quemcunque alium Ordinem, & Monaſterium, ſeu alium regularem locum cujuſvis alterius Ordinis, ſeu Congregationis, etiam Carthuſianorum, & præſertim ad Monaſterium Beatæ Mariæ de la Trappe hujuſmodi, niſi ſervatâ præfatarum Urbani Prædeceſſoris literarum formâ, tranſire ullo modo audeant, ſeu præſumant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium prohibemus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores

ditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, quorumcunque Ordinum, & Congregationum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die x. Octob. MDCXCVIII. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

J. F. Cardinalis Albanus

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto Octobr. 1698. fol. 1. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ordinis Tom. H.H. *num. 99.*

N O T A.

Cum ſub Pontificatu Innocentii XIII. & Benedicti XIII. aliqui ex noſtris Religioſis, Literis Apoſtolicis, & præſertim S. Pœnitentiariæ muniti, ad RR. Patres de la Trappe, ac alios &c. ſeceſſiſſent, & Religioni noſtræ ob allegatas in Curia Romana illorum rationes varia adnaſcerentur incommoda, ac nocivis ſequelis aperiretur janua, multo ſtudio quæſitum fuit, ut Conſtitutio ſuprapoſita alio Apoſtolico Brevi confirmaretur, cum & ſub adjecta expreſſa clauſula, quod Literæ S. Pœnitentiariæ Fratribus noſtris ad Eremum de la Trappe &c. tranſire volentibus, non ſuffragari deberent.

Cum autem expeditio hujuſmodi confirmatorii Brevis, ex ratione, illi tempori annexa, minùs conſulta cenſeretur, præſertim, cum ab Apoſtolica Sede caſibus tunc obverſantibus vel per revocatorias diſpoſitiones jam eſſet proviſum, vel aliàs Fratres illi, dimiſſo iterum alterius Ordinis Habitu, ad nativas eorum & Religionis noſtræ Provincias jam rediiſſent, à S. Pœnitentiaria huic Innocentianæ Conſtitutioni in futurum non amplius contra-agendum fore, verbaliter fuit ſancitum.

Ex Tomo 3. Capit. General. fol. 257. & locis ibi notatis.

CLEMENS XI.

Urbinas, Joannes Franciſcus S. R. E. Cardinalis Albanus antea dictus. Romæ XXIII. *Novembr.* MDCC. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XIX. *Martii* MDCCXXI. *poſtquam ſediſſet Annos* XX. *Menſes* III. *Dies* XXV.

Fr. Rupertum, Provinciæ Tyrolenſis Alumnum, Epiſcopum Aulonenſem, cum Suffraganeatu Eccleſiæ Paſſavienſis in Germania, creat.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Joanni Guidobaldo Raymundo (*) de Lamberg Electo Eccleſiæ Aulonen. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

(*) *Baptiſmi nomen ſub quo Bullæ expediri, & quod Fratres, ad Epiſcopatū evecti, reaſſumere ſolent.*

Apoſtolatûs Officium, meritis licèt imparibus Nobis ex alto commiſſum &c.

Reſiduum mutatis mutandis ſimile Bullæ ſequenti.

Datum Romæ &c. Anno Incarnationis Dominicæ MDCCI. Septimo Idus Maii Pontificatus Noſtri Anno Primo.

N O T A.

Ex Illuſtriſſimo, & per Germaniam conſpicuo Comitum de Lamberg ſanguine fuerat progenitus hic Præſul, qui Martis Caſtris, in quibus Capitanei Officio fungebatur, annos juventutis conſecraverat. Horum pertæſus, ad ſeverioris diſciplinæ militiam, ſeu ad glorioſum ſemper, S. Franciſci Vexillum tranſivit, ut membra ſua exhiberet arma Juſtitiæ Deo, & innocentis pœnitentiæ inter Capucinos ſe præberet exemplum. Cum laude hi illico fuêre raræ ſuæ virtutis ſpectatores; ſicut & teſtes doctrinæ, quam Philoſophiæ, & Theologiæ Lector aliis communicavit in ſcholis, & quâ, ceu celebris Concionator, alios erudivit ad ſalutem in Cathedris. Eminentiſſimus

nentiſſimus

nentiſſimus Cardinalis, & Epiſcopus Paſſavienſis Joannes Philippus, ut affectum, quo noſtrum complecteba-tur Ordinem, redderet magis perſpectum, Ordini hunc ſuum Conſanguineum ſubduxit, ut, qui Provinciam, ejuſque loca opere, & ſermone jam diù fæcundâſſet, Epiſcopali quoque Zelo, ſuam ædificaret Diœceſin. Præſtitit hoc fideliter ceu Suffraganeus uſque ad Annum 1725., quo Tullii in Auſtria Die quinta Aprilis exuvias mortalitatis depoſuit, & ad Sedes immortalium migravit, poſtquàm priùs ſæpius, inter Capucinos Capucinum ſe mori poſſe, altiore cordis ſuſpirio exoptâſſet.

Fr. Angelum 'Bruxellenſem Provinciæ Flandro-Belgicæ Alumnum, ad Mytras Ruremundenſes & Primatum Geldriæ evehit.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Angelo D'oignyes, electo Ruremunden. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatûs Officium, meritis licèt imparibus Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini Divina diſpenſatione præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur, & ſolertes, ut, dum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolùm doctrinâ verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint, & valeant auctore Domino ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Sanè Eccleſia Ruremundenſ. ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominare perſonam idoneam, Romano Pontifici pro tempore exiſtenti ad Chariſſimum in Chriſto Filium Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum, uti Geldriæ Ducem, ex fundatione, vel dotatione, ſeu privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, ſpectare, & pertinere dignoſcitur, ex eo, quod fel. rec. Innocentius Papa XII. Prædeceſſor noſter, Venerabilem Fratrem noſtrum Reginaldum Coels Epiſcopum nuper Ruremundenſem à vinculo, quo dictæ Eccleſiæ Ruremunden., cui tunc præerat, tenebatur, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, de quorum numero Nos etiam eramus, conſilio, & Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine abſolvens, eum ad Eccleſiam Antverpien. certo tunc expreſſo Nuntio vacantem, de ſimili conſilio, Apoſtolica Auctoritate tranſtulerat, præficiendo ipſum illi in Epiſcopum, & Paſtorem, paſtoris ſolatio deſtitutâ, Nos ad Proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Ruremunden. celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Ruremunden. perſonam utilem, ac etiam fructuoſam cum eiſdem Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Presbyterum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum expreſsè profeſſum, de legitimo Matrimonio ex Catholicis nobilibuſque Parentibus in Civitate Bruxellenſi Mechlinien. Diœc. ortum, in quinquageſimo circiter, & à pluribus in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutum, Concionatorem eximium, ac in Eccleſiaſticis functionibus, & Ordinum exercitio optimè verſatum, omniaque alia requiſita habentem, Fidemque Catholicam juxta articulos jam pridem à Sede Apoſtolica præpoſitos expreſsè profeſſum, quemque prædictus Philippus Rex Nobis ad hoc per ſuas literas nominavit, & de cujus Religionis Zelo, vitæ munditia, morum honeſtate, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliis multiplicium Virtutum donis fide digna apud Nos teſtimonia perhibentur, direximus oculos mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ Ruremunden., de Fratrum ipſorum conſilio, Apoſtolica Auctoritate providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Ruremundenſis tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos prædicta Eccleſia Ruremundenſis ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa; Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipias, curam, & adminiſtrationem præfatas ſic exercere ſtudeas, ſollicitè, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa Ruremundenſis Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque præter æternæ retributionis præmium Noſtram, & Sedis Apoſtolicæ benedictionem, & gratiam exinde uberiùs conſequi merearis. Volumus autem, quòd Tu Eccleſiæ Cathedralis Ruremundenſis reparationi pro viribus incumbas, Sacrarium ſacrâ ſuppellectili ad Divina peragenda, & Pontificalia exercenda ſufficienter

enter intruas, Theologalem, & Pœnitentiariam Præbendas inſtituas, montemque Pietatis erigi cures, conſcientiam in his onerantes. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo Primo, undecimo Kal. Decembris, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Orig. in Arch. Cancell. Epiſc. Ruremun. & exemplar ejus auth. in Arch. Ord. To. A. A. *n.* 2.

N O T A.

ORtum, quem habuit Bruxellis ex proſapia Comitum d'Ognyes, & d'Etrees illuſtrem, reddidit Illuſtriorem virtute, quâ ſplendorem prioris, ſub altiſſimæ paupertatis magiſterio, ſeu rudi Ordinis noſtri Habitu, 16. Decemb. 1668. abſcondit, & quâ aſcenſiones tales in corde ſuo diſpoſuit, ut de virtute progrederetur in virtutem. Hanc ita gradatim aſcendentem ſequebantur comites honoris gradus. Inſigniores inter hoſce erant, dum Carolus II. Hiſpaniarum Rex Eum ſuum ſibi ſelegit Concionatorem, & Philippus V. ejuſdem Succeſſor ad Mitram Ruremundenſem nominavit. Hac in dignitate, quò aliis erat ſublimior, eò inferiorem ſe præbuit omnibus. Excelſorum Statuum Hollandiæ amorem ita ſibi conciliavit, ut in partibus eorum Acatholicis Sacramentum Confirmationis ab eo adminiſtrari conniverent. Rex Boruſſiæ proſequebatur eum honore particulari: nec fuit hic ſterilis; cum quotannis illi notabilem pecuniarum ſummam conſignaverit, ab eo in commodum Epiſcopatûs impenſam, qui inde redditus, aliàs modicos, induſtriâ ejus inſigniter adauctos eſſe, gratâ memoriâ adhuc fatetur. Præmium laboris, & Zeli acquiſivit Anno 1722. die 9. Maii, qua de terra miſeriæ, beata morte tranſivit ad videndum Deum Deorum in Sion.

Tria Decreta, quibus à S. Congregatione Epiſcoporum & Regul. Nobis jus Tertium Ordinem inſtituendi competere, fuit deciſum, Apoſtolicâ confirmatione communit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManârunt nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ad favorem dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Regni Sardiniæ tria Decreta tenoris, qui ſequitur, videlicet: In cauſa vertente inter Patres Minores Capucinos Regni Sardiniæ ex una, & Patres Minores de Obſervantia ejuſdem Regni, ſeu &c. partibus ex altera, de, & ſuper infraſcripto dubio: nempe, an Patribus Capucinis Regni Sardiniæ liceat diſpenſare, ſeu diſtribuere Habitum, ſeu ſcapulare parvum cum cingulo Sancti Franciſci Sæcularibus utriuſque ſexûs in propriis Domibus, & ſub Juriſdictione Ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii, ſeu Tertii Ordinis, eoſque dirigere in Spiritualibus juxta Regulas dicti Tertii Ordinis in propriis Eccleſiis in caſu &c. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo Gabriellio, cenſuit, ac declaravit, competere PP. Capucinis facultatem conferendi Scapulare, ſeu Habitum parvum cum cingulo S. Franciſci. Romæ XVI. Novembris MDCCIII. Et die XXIX. Februarii MDCCIV. denuo auditis Religionibus Patrum Minorum de Obſervantia, & PP. Minorum Capucinorum S. Franciſci, referente eodem Eminentiſs. Gabriellio, Eminentiſſimi Patres cenſuerunt, perſiſtendum eſſe in deciſis ſub prædicta die XVI. Nov. MDCCIII. Romæ &c.

Die verò VI. Martii ejuſdem Anni MDCCIV. tertia vice propoſita Cauſa per eundem Eminentiſs. Gabriellium, ad preces Procuratoris Generalis Commiſſarii Curiæ Minorum de Obſervantia, & Procuratoris Generalis Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci, Eadem Sacra Congregatio cenſuit, ac decrevit, extradendum ſupradictum Decretum. Romæ &c. G. Cardinalis Carpineus.

Locus ✠ Sigilli.

Cum autem, ſicut pro parte dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſe Decreta hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ Patrocinio communiri plurimùm deſideret. Nos ipſum modernum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpen., & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinſerta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis

labilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbũ inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XXIX. Martii MDCCIV. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Oliverius.

Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom. F. *n.* 156.

NOTA.

Videantur de hac materia ſuprà Conſtitutio PP. Clementis X. & infrà Conſtitutio PP. Benedicti XIII. cum Notis adjunctis.

DECRETUM.

Sacræ Congregationis Rituum.

De Canonizatione B. Felicis à Cantalicio expediri jubet.

Romana, ſeu Civitatis Ducalis Canonizationis

B. FELICIS A' CANTALICIO

Laici Profeſſi Ordinis Capucinorum.

CUM in Cauſa BEATI FELICIS à Cantalicio, referente bon. mem. D. Cardinali Lenio, ſuper Dubiis Virtutum, & Miraculorum à Sacror. Rituum Congregatione reſolutiones prodierint die XXX. Aug. anni MDCXXV. conſtare de Virtutibus in genere, & in ſpecie, & die XIII. Septemb. ejuſdem anni de quatuor Miraculis, & poſſe Beatum nuncupari; Necnon ſa. mem. Urbanus Papa Octavus de Conſilio tunc exiſtentium S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, ut præfatus Felix à Cantalicio Beatus nuncupari poſſet, & valeret, per Literas Apoſtolicas, in forma Brevis expeditas die prima Octobris dicti Anni MDCXXV. benignè indulſerit: Hinc ad probandum non ſolùm ea, quæ poſtea evenerunt, verùm etiam, & quæ præceſſerunt prædictam Beatificationem conſtructis pluribus Proceſſibus, nempe in Regno Siciliæ, in Civitatibus Placentina Provinciæ Bononienſis, Salernitana, Civitatis Ducalis, & præcipuè in Urbe coram Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali ejuſdem Vicario, eiſdemque ſuper Dubio Miraculorum diligenter examinatis, ac diſcuſſis, ſan. mem. Innocentius Papa X. in Congregatione generali coram eo habita die VI. Februarii MDCLII. ex ſeptem Miraculis tertium, nempe Inſtantaneæ Sanationis genu Fratris Caroli à Tuderto Laici Capucini; Et Sanctiſſimus Dom. Noſter Clemens Papa XI. ex duobus Miraculis in Congregatione Generali pariter coram Sanctitate Sua habita die XXXI. Januarii MDCCVIII. Primum in ordine, nempe Inſtantaneæ Sanationis pueri Leopoldi Franciſci de Tozzis à febri acuta, & maligna cum pulmonis inflammatione approbârunt; Et deinde ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Barberino in locum bon. mem. D. Card. Colloredi defuncti Relatore ſubrogato, juxta præſcriptũ Decretorum generalium factâ die menſ. XVIII. Mart. MDCCIX. plenâ, ac diſtinctâ Relatione de omnibus, quæ in Proceſſibus, ac aliis Scripturis continentur, de Sanctitatis fama, de heroicis hujus Beati Virtutibus, Miraculiſque ab eo patratis, & de iis, quæ poſt indultam Venerationem evenerunt, ac propoſito Dubio: *An ſtantibus præmiſſis poſſet ad ejus ſolemnem Canonizationem deveniri?* Sacra Congregatio poſſe, annuente Sanctiſſimo, juxta Ritum S. Romanæ Eccleſiæ, & Sacrorum Canonum diſpoſitionem ad ſolemnem ejuſdem Beati Canonizationem quandocunque procedi, unanimi conſenſu declaravit. Verùm ad implorandam divinam opem à Sãctitate Sua dilatâ reſolutione, tandem, ut dicti Beati præſidio Capucinorum Ordo, qui eximiæ illius Virtutis fulgore coruſcat, imminentibus præcipuè generalibus Comitiis, ejuſdem proficiat exemplo, ac in cœteris omnibus Religioſis Ordinibus Regularis Obſervantia, Animarum Zelus, Deique amor magis, magiſque augeatur, Idem Sanctiſſimus D. N. Cle-

D. N. Clemens Papa XI. enixè antea fuſis, & indictis ad Deum precibus, Secretario, & Vice-Promotore Fidei auditis, præſens Canonizationis Decretum expediri mandavit. Hac die VIII. Maii MDCCIX.

C. Card. Carpineus.

Locus ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congreg. Secret.

Exempl. Auth. in Arch. gen. Ord. Tom. H. *n.* 34.

DECRETO.

Eminentiſſimi Domini Nicolai Cardinalis Acciajoli Ordinis Protectoris declaratur, illa noſtrarum Conſtitutionum verba: *quod Clerici ad Habitum recipiendi communiter habere debeant* XVII. *annos completos*, taliter debere intelligi, ut in aliquo caſu particulari liceat eos recipere ante annum XVII. completum.

Nos Nicolaus Divina Miſeratione Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Cardinalis Acciajolus, & apud S. Sedem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Protector.

AD ſupplicem Libellum Sanctiſſimo D. N. præſentatum à PP. Miniſtro Generali, Procuratore Generali, & pro parte totius Definitionis Generalis, imo nomine totius Generalis Capituli Ordinis Capucinorum in Alma Urbe congregati, humiliter ſupplicantium, quatenus Sanctitas Sua dignaretur reducere ad tenorem Conſtitutionum Ordinis, ætatem Clericorum in priſtinum in dicto Ordine recipiendorum, non obſtante Decreto S. Congregationis ſuper Statu Regularium edito die VI. Decembris Anni MDCXCI. Placuit Sanctitati Suæ noſtro arbitrio, & prudentiæ committere, ut id ſtatuamus, quod pro obſervantia Conſtitutionum dicti Ordinis, magis in Domino expedire cenſuerimus. Cum ergo per Conſtitutiones Ordinis, ùt in Libello citato præfertur, cautum fuerit, quod Novitii, ad Habitum Capucinorum in numero Clericorum recipiendi, deberent annum ætatis XVII communiter compleviſſe, ita, ut ex dictis verbis adhuc dabatur locus aliquibus hujuſmodi recipiendis, qui dictam ætatem nondum attigiſſent, ut in caſibus particularibus fuit obſervatum; Nihilominus viſum fuit præfatæ Sacræ Congregationi de anno MDCXCI. VI. Decembris dignis tunc de cauſis decernere, ne in poſterum ullus Novitius Clericus ad Habitum aſſumeretur, qui non compleverit XVII. Annum ſuæ ætatis, ſub pœnis in dicto Decreto enunciatis. Cumque exinde plurium annorum curriculo, experientiâ teſte compertum ſit, non modicum exortum, & in dies exoriri toti Ordini damnum ex tali reſtrictione; Cumque, quæ de novo emergunt, novo egeant conſilio; Idcircò Nos virtute facultatis, & auctoritatis à Sanctiſſimo Domino in hac parte ſpecialiter Nobis attributæ, ut dicti Ordinis indemnitati, quantùm poſſumus, in Domino conſulamus, ejuſdemque majori bono proſpiciamus, Harum ſerie, & tenore decernimus, & declaramus, Conſtitutionem prædictam eſſe in poſterum obſervandam quoad ætatem Clericorum recipiendornm ad Habitum, ſicut ante præfatum Decretum fuit obſervatum ſecundùm verborum ejus tenorem, univerſaliter receptum in dicto Ordine, & naturaliter intellectum: Id eſt habeant communiter Annos Septendecim ùt plurimum completos, & non obſtante Decreto prædicto Dat. VI. Decembris MDCXCI. poſſint aliqui Indole, Scientia, Moribus, Virtute, Fervore Spiritûs ſpectabiliores, qui XVII. annum non attigerint, ad Habitum probationis admitti, dummodo id non fiat communiter, & ordinariè. Et ſic decernimus, & declaramus, & pro decretis, & declaratis haberi volumus hoc, & omni meliori modo &c. Datum Romæ in noſtro Palatio die X. Julii MDCCIX.

N. Epiſcopus Portuenſis Card. Acciajolus Protector.

Locus ✠ Sigilli.

Origin. in Archivo generali Ordinis Tom. C. *num.* 116.

NOTA.

PRO hac declaratione, tam quoad Clericos, quàm quoad Laicos habenda, facta eſt inſtantia Papæ à Patribus Miniſtro, & Procuratore Generalibus ſub nomine totius Capituli Generalis, qui Libellum ſupplicem ad Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem remiſit ſub ſequenti reſcripto.

Sanctiſſimus remiſit D. *Cardinali Acciajolo Protectori Ordinis Capucinorum, ut pro ſuo arbitrio, & prudentia, firmo*

tia, firmo remanente Decreto pro Laicis, ſeu Converſis circa Oratorum preces pro obſervantia Conſtitutionum quoad Clericos tantùm id ſtatuat, atque decernat, quod in Domino magis expedire cenſuerit.

A. Albanus.

Origin. in Arch. generali Ordinis Tom. C. *num.* 154.

Decretum autem Die 6. Decemb. 1691., à Sac. Congreg. de ſtatu Regularium ad dubia expoſita emanatum, & ſuperius citatum fuit tenoris ſequentis.

Servandas eſſe Conſtitutiones Religionis, & annum Decimumſeptimum in Clericis, & Decimum nonum in Converſis debere in poſterum eſſe completum.

Quod cum Superiores noſtros relinqueret anxios, factus eſt pro declaratione recurſus ad Sanctiſſimum.

Fr. Carolum Bruxellenſem Provinciæ Flandro-Belgicæ Alumnum, Eccleſiæ Brugenſi Epiſcopum deſtinat.

N O T A.

Mitram hujus Præſulis prævênit Corona gloriæ; hæc enim Ei, morte præocupato data fuit in præmium laboris anno 1710. antequam illâ fuiſſet inſi. nitus. Laboravit in Religione, in qua Lectoris, Guardiani &c. Officia geſſit; laboravit in Eccleſi, in qua munus Regii Concionatoris exercuit: labore hoc utrinque glorioſo, addidit novum ſplendorem ſuæ Nativitati, quam ex Familia Principum de Hornes habuit, ſago togaque celeberrima.

Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſuper Canonizatione B. Felicis à Cantalicio exquirit.

Venerabiles Fratres.

Elegit olim Dominus David Servum ſuum, tametſi inter filios Jeſſe minimus natu eſſet, ſuſtulitque eum de gregibus ovium, ut in Thronis Regum collocaret. Elegit noviſſimè Servum etiam ſuum Felicem à Cantalicio, Aſſiſienſis Patriarchæ minimum filium, & de poſt fætentes accepit eum, ut in medio Magnatorum conſedere illum faceret, Eccleſiamque ſuam, quam humilitate vult creſcere, præclaris illius virtutibus illuſtraret. Sic Felix electus à Domino, elegit, & ipſe abjectus eſſe in Domo Dei ſui, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum: puſilloque gregi, quibus æterno Patri complacuit dare Regnum, adſcribi cupiens, ut magnum conſtrueret ædificium Sanctitatis, alta priùs jecit fundamenta humilitatis. Sapientiam hujus mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum, ſemper deſpexit, ſtultuſque ſæpius haberi ſtuduit propter Chriſtum, ut verè eſſet ſapiens, illâ ſcilicet ſapientiâ, quam decet Charitas Chriſti: Charitas, quæ patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non inflatur, non irritatur: Charitas quæ omnia ſuffert. Hoc divini amoris igne mirabiliter æſtuans Beatus Felix jugi meditationis ſtudio, & aſſidua oratione per arduum Chriſtianæ perfectionis tramitem ad Superiora conſcendit: quò ſui abnegatione ſubmiſſior, eò divinarum rerum contemplatione ſublimior. Aſperrimis Carnis afflictationibus, jejuniis, rigidiſſimis, ac verè perpetuis vigiliis, mortificationem Crucis jugiter in ſuo corpore portavit, illudque ſeverioris pœnitentiæ auſteritate ita prorſus edomitum, ac Spiritui ſubjectum reddidit, ut in carne ambulans, non ſecundùm carnem militaverit, ac, licèt frequentiùs nimium miſeri hujus Sæculi periculis humilis miniſterii ſui ratione, quod longo mortalis ævi ſpatio exercuit, in ſingulos fere dies obnoxius fuerit, adhuc tamen nullam Sæculi maculam contraxerit. Verus Chriſti athleta, verus Franciſci Sectator, & Filius per arctiſſimam paupertatem curſum illum, inquem veſtimentis abjectis, ne ſuccumberet, nudum ſe commiſerat, glorioſè, ac feliciter conſummavit. Evangelica rerum omnium terrenarum abdicatione infra homines poſitus, inſignium miraculorum fulgore, quibus eum decoravit Altiſſimus, ſupra homines collocatus: Hæc omnia exactiſſimis comprobata documentis, quæ vobis abundè innotuiſſe non ambigimus, diſſertè ſatis efflagitare videntur, ut Dilectum Deo, & hominibus Virum, quem divina fruentem in cœlis Beatitate dudum colimus, in terris etiam, authoritate Nobis à Domino tradita, Sanctorum faſtis ſolemniter adſcribamus: poſtulant idipſum Viri Principes, poſtulat Religioſus Capucinorum Ordo, Fidelium penè omnium poſtulant vota. Verùm priùs, quàm hoc decernamus, quemadmodum ſedium æternarum aſſiſtricem ſapientiam implorare non intermittimus, ita veſtras etiam ſententias hac in re audire ſummoperè exoptamus.

Omnium votis ſingillatim auditis Sanctitas Sua ita ſubjunxit.

Venerabiles Fratres.

In illum, qui noſter jam erat, ſenſum ſuffragia veſtra pleniſſimè conveniunt: ut Sancti ſcilicet

ſti ſcilicet nomen, & cultus Beato Felici â Cantalicio Apoſtolica Authoritate decernatur, adeoque ejus gloriam nunciare poſſit Eccleſia, cujus laudes jampridem omnes, ac præſertim hujus Almæ Urbis noſtræ populi ennarrabant. Tantæ itaque, ac tam expeditæ celebritatis diem in ſequenti Conſiſtorio, adjuvante Domino, indicemus; à Vobis interim petentes, ut (quod in hujuſmodi negotiis Eccleſiæ ſolemne eſt) aſſiduis precibus, aliiſque præſcriptis piis operibus, eo potiſſimum tempore, quo advenientis Paracliti Spiritûs memoriam anniverſaria ſupplicatione recolemus, auxilium Nobis de Sancto impetretis, ut rem in terris cœleſtem juxta Divinum beneplacitum omnino conficere valeamus.

Ex Actis Canonizationis &c. per Juſtinianum Chiapponi collectis fol. mihi 140. *&* 169.

Fr. Athanaſium Provinciæ Pariſienſis Alumnum, Infula Graſſenſi inſignit.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Joſepho Ignatio Joanni Baptiſtæ(*) *de Meſgriny Electo Eccleſiæ Graſſenſis Salutem.*

(*) *Nomen Baptiſmi.*

Apoſtolatûs officium &c.

Reliqua mutatis mutandis, uti folio anteriore 143.

Datum Romæ &c. Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXI. quartodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus Noſtri Anno decimo.

Autographum in Archivo Vaticano Regeſto Novembris 1711.

N O T A.

IN hoc Præſule fuit æquè vocatio, qua è Caſtris ad Seraphicæ Noſtræ Religionis Tabernacula ducebatur, ac fervor, quo eam, conditione Nobilis Meſgrinianæ Domûs nonnihil obicem ponente, exequi contendit, verè ſingularis. Singularior tamen effulſit in eo virtus, qua inter Fratres ambulavit in lege Domini, forma factus Humilium, & extra Conventus, ægrotos in Xenodochiis, detentos in carceribus, & pauperes in triviis inviſit, nihil ſubtrahens utilium, quò minus annuntiaret omnibus juſtificationes Domini, & doceret eos publicè, & per Domos. Poſt varia, quæ in Provincia geſſit, officia, Provinciæ Commiſſarii generalis ei fuit demandata; quâ in Provincia Ludovicea necdum expletâ, Epiſcopus Graſſenſis fuit nominatus. Charactere hoc inſignitus, novo ſeſe induit ſpiritu & zelo: Spiritu quidem, quo ipſemet gregem ſuum de ſuggeſtu pabulo ſalutis aluit, & tanquam imbres miſit inter populum Eloquia Sapientiæ ſuæ: zelo autem, quo contra novas, & nocivas ſe munivit Doctrinas. Harum zizaniis ne Ager ſuæ Diœceſeos pollueretur, paſtorali, & emphatica cavit Epiſtola, quam hîc annecti varia ſuadet ratio.

NOS JOSEPHUS, IGNATIUS, JOANNES BAPTISTA DE MESGRIGNY

Ordinis Capucinorum, Dei Miſeratione, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Graſſenſis, Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarius &c.

Univerſis Diœceſis noſtræ tam Sæculari, quàm Regulari Clero, Salutem, & Benedictionem.

POſtquam Altiſſimo placuit ex ordinatione divinæ, & adorabilis ſuæ Providentiæ Nos, licèt immeritos, elevare ad dignitatem Epiſcopatûs, ac humeros noſtros hujus Diœceſis Paſtorali curâ onerare, illico perſuaſi cognovimus, primam Epiſcopis obligationem ineſſe, ut ſollicitè ſervent, & cuſtodiant Sacroſanctum Orthodoxæ Religionis depoſitum. Ea propter, Chariſſimi Fratres, non ceſſavimus monere unumquemque veſtrûm, ut cautè ambuletis, ac vigilanter Vos muniatis contra modernos errorum, ac hæreſum artifices. Non ceſſavimus hortari Vos in doctrina ſana, cum Salvatore noſtro Jeſu Chriſto vos commonentes, ne duntaxat imitemini ſerpentum prudentiam, aures obturando ad ſermones illos, qui inſtar cancri voracis paulatim ſerpunt ad inficiendas animas, verùm etiam, ut induatis columbarum ſimplicitatem, vos ſubmittendo cæcâ obedientiâ oraculis Eccleſiæ, quæ jam toties vos alloquitur per os, & organum Supremi Capitis. Quando quidem verò Superbia eorum, qui Deum oderunt, aſcendat ſemper, *& quidem ad tam altum temeritatis gradum, ut non vereantur cum publicè, tum privatim ſciſſuram Gallicanæ Eccleſiæ minitari, aut meditari, quærentes eam abſcindere gladio diſſenſionis â Romana Eccleſia, quam ad ſuas partes flectere nequeunt; quando quidem loco ſubmiſſionis, debitæ Romanis deciſionibus novas ſemper contra Eccleſiam ſeditiones cogitent, quaſi non eſſet uncta oleo, nec afflata Sancto Spiritu, in dies fabricando ſubtiliores techuas pene infinitis ſuis Epiſtolis, libellis, colloquiis, parallelis infidelibus, quibus indefeſſè fatigant, & conturbant Publicum: Idcirco, Chariſſimi Fratres, omnes colligendæ ſunt vires, ut ſtemus* quaſi murus pro Domo Iſrael, *Nos ſtrenuè opponentes huic torrenti iniquitatis, toti Regno inundationem interminanti. Unde Officii noſtri & oneris eſſe duximus, deſuper vos informare, talibuſque providere ſubſidiis, qualia fas eſt expectare à ſollicitudine noſtra Paſtorali. Hinc etiam perluſtravimus Epiſtolas has inſtructivas* (a) *nuperrimè nobis porrectas ab eo Authore, cujus fidem Orthodoxam jam dudum probè novimus, quas planè tempori apprimè opportunas judicamus, magnopere ſperantes, non ſpernendos inde fructus in domo Dei exorituros. Quapropter bono fidelium arbitramur conſultum, ſi præſentes Epiſtolæ prælo ſubmiſſæ publico in manus veſtras devolverentur, prout eas de facto vobis conſignamus, omni attentione perlegendas, ac ruminandas, ut enaſcentes exinde difficultates oretenus, & in fiducia ad invicem diſcernamus. Ne defraudetis, Chariſſimi Fratres, concreditas*

(a) *Literæ hæ inſtructivæ, & Anti Hexaplæ fuerant conſcriptæ in Lingua Gallica noſter F. Paulus à Lugduno, quas poſtea in Latinũ tranſtulit noſter Pater Martinus Lucernenſis &c.*

ditas vobis animas illâ fiduciâ, quam à Nobis participatis; pateant vobis ſubditorum præcordia, ut, ſi quid fortè veteris, aut recentis fermenti lateret, facili acceſſu, & remedio expurgetur, ne totam maſſam corrumpat. Præ omnibus autem ſolliciti eſtote, ut verbo, & exemplo paſcatis, qui in vobis eſt, gregem, ne deficiat in deferendo reſpectu debito Decretis Summorum Pontificum. Altâ mente conſiderandum proponite filiolis veſtris infortunium eorum, qui dati in ſenſum reprobum *Eccleſiam Romanam, centrum Unitatis, & extra quam nulla ſalus, audire nolunt, ſeſeque æquales reddunt Ethnicis, & Publicanis. Fratres Chariſſimi, precemur ſupplices Deum T. O. M., ut dignetur Nos viſitare radiis ſui luminis, ac irrigare fontibus Paternæ ſuæ Benedictionis, ſecundando juſtas intentiones, quas inſpiravit, ac confirmando, quod operatus eſt in nobis.*

Datum Graſſæ in Palatio Noſtro Epiſcopali XXIV. Julii M.DCC. XIV.

Joſephus Epiſcopus Graſſenſis.

Roubin.

F. Franciſcum Mariam ab Aretio, Provinciæ Tuſciæ Alumnum, S. R. E. Cardinalem creat.

Venerabiles Fratres.

EOdem planè tempore, quo nos afflictis Eccleſiæ rebus opem laturi Sanctorum Catalogo nova nomina adjungere cogitavimus, Veſtrarum etiam Fraternitatum numerum, pari ejuſdem Eccleſiæ rationibus opportunè conſulendi ſtudio ducti, novis nominibus augere conſtituimus; ut ita non tam cœleſtibus, quàm humanis ſubſidiis, quantùm in Nobis eſt, publicæ Cauſæ ſuccurramus. Enixis proinde, ac diuturnis precibus Deum Optimum Maximum humiliter dudum exoravimus, ut in ejuſmodi re, quod, & quale eſſet divinæ ſuæ, atque incomprehenſibilis Sapientiæ beneplacitum, Nobis oſtendere dignaretur. Temporis ſubinde opportunitatem nacti, quo delapſi olim è cœlo divini Spiritûs memoriam anniverſariâ ſupplicatione celebravimus, Supremum Luminum Patrem ferventiùs iterum rogavimus, ut mentem noſtram cœleſti ſua Luce perfunderet. Hodiernam demum jejunio conſecratam diem, ex veteri Prædeceſſorum Noſtrorum more, ad rem ipſam, benedicente Domino, perficiendam delegimus, faxit Deus, ut omnes in ampliſſimum veſtrum Ordinem cooptandi, muneris, ad quod vocantur, debito ita reſpondeant, ut in eis glorificetur Deus, Eccleſia lætificetur, ac Sacerdotale Miniſterium honorificetur. Ad majores igitur Omnipotentis Dei Gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ decus, & utilitatem, intendimus creare eos omnes, nempe octodecim, qui ad ſeptuagenarium Veſtrum numerum complendum in præſens deſunt, Cardinales, eoſque, quantùm Nobis fas eſt, ex omnibus Chriſtianitatis Nationibus aſſumere, ut de iis, qui perſonas Sanctorum Apoſtolorum repræſentare debent, verè dici valeat: *in omnem terram exivit ſonus eorum*. Ex illorum tamen numero gravibus ex cauſis animum noſtrum moventibus, undecim duntaxat nunc evulgare cenſemus, videlicet:

Joannem Antonium Archiepiſcopum de Via, Epiſcopum Ariminenſem.
Auguſtinum Archiepiſcopum Cuſanum, Epiſcopum Papienſem.
Julium Archiepiſcopum Piazza, Epiſcopum Faventinum.
Antonium Felicem Zondadarium, Archiepiſcopum Damaſcenum.
Armandum de Rohan, Epiſcopum Argentinenſem.
Nunum de Cunha de Attayde, Epiſcopum Targenſem.
Wolffangum Annibalem, ex Comitibus de Schrottembach, Epiſcopum Olomucenſem.
Aloyſium Priolum, Rotæ Romanæ Auditorem.
Joſephum Mariam de Thomaſiis, Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum.
Joan. Baptiſtam Ptolomæum Societatis Jeſu.
Franciſcum Mariam ab Aretio, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, Palati Noſtri Apoſtolici Concionatorem.

Alios ſeptem in pectore reſervare intendimus, arbitrio noſtro quandocumque evulgandos.

Curavimus ſeligere viros, ſive Eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtratione, ſive illuſtribus legationibus, ſive aliis Apoſtolicæ Sedis Miniſteriis diu probatos; non neglеximus Regulares, ut aliquam Religioſorum Ordinum bene de Eccleſia, & orthodoxa Religione meritorum rationem habuiſſe videamur.

Quid igitur vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtrâ creamus S. R. E. Presbyteros Cardinales.

Joan. Antonium Archiepiſcopum de Via, Epiſcopum Ariminenſem.
Auguſtinum Archiepiſcopum Cuſanum, Epiſcopum Papienſem.
Julium Archiepiſcopum Piazza, Epiſcopum Faventinum,
Antonium Felicem Zondadarium, Archiepiſcopum Damaſcenum.

Arman-

Armandum de Rohan, Epiſcopum Argentinenſem.
Nunum de Cunha de Attayde, Epiſcopum Targenſem.
Wolffangum Annibalem, ex Comitibus de Schrottembach, Epiſcopum Olomucenſem.
Aloyſium Priolum.
Joſephum Mariam de Thomaſiis.
Joannem Baptiſtam Ptolomæum.
Franciſcum Mariam ab Aretio.

Cum diſpenſationibus, derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

Alios ſeptem in pectore reſervamus, arbitrio noſtro quandocumque declarandos.

In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti ✠ Amen.

Ex Orationibus Conſiſtorialibus ab hoc Summo Pontifice habitis. fol. mihi 117.

N O T A.

FRanciſcum Mariam, quem Aretium Urbs Hetruriæ & una ex primis 12. Tuſcorum Coloniis, 11. Nov. 1648. genuit corporaliter, regenuit ſpiritualiter noſtra Religio, in qua, cum vaſtæ mentis, ſubtilis ingenii, ac fœcundæ facundiæ ſpecimina ſemper panderet, aliàſque morum gravitate, & vario virtutum ornatu excelleret, primaria ſuæ Provinciæ Tuſciæ, nec non Religionis adeptus eſt Officia.

Sublime Apoſtolici Concionatoris munus, ad quod 17. Auguſti 1698. Papa Innocentius XII. illum ſegregavit, uſque ad annum 1712. incluſivè, eâ applaudentis Urbis æſtimatione continuavit, ut Papa Clemens XI. meritum Illius pileo rubro coronârit, ſeu Eum Ordini noſtro dederit S. R. E. Cardinalem, tempore, quo Ordo Eccleſiæ dederat Sanctum, videlicet Felicem.

Tantò humiliòr autem, atque ad ſerviendum Deo promptior apparuit Franciſcus Maria ex purpuræ munere, quantò ſe obligatiorem conſpexit in reddenda deſuper ratione. Inde licèt Habitum invitus mutârit, vitę tamen Religioſæ genus, ac virtutis habitus eoſdem retinuit. Illis ſolùm adjunxit zelum, quo in Sacris Congregationibus, in quas, quaſi omnes, ſpiritus ejus diviſus erat, Eccleſiæ jura, & commoda intrepidus propugnavit, & quo Fidei incrementa, & ejus ad infidelium partes propaginem indefeſsè quæſivit. Zelus hic ut poſt mortem ejus adhuc operaretur, Sacram Congregationem de propaganda Fide conſtituit univerſorum hæredem, & ſui memoriam perennavit in operibus typo datis, inter quæ ſunt.

Panegyres de diverſis Sanctis.
Conſilia Sapientiæ ex Gallico in Italicum idioma traducta, & ampliata.
Ætas hominis.
Conciones habitæ in Palatio Apoſtolico, ab ipſomet Papæ Clementi XI. nuncupatæ, ac jam in diverſas linguas tranſpoſitæ &c.

D E C R E T O.

Sacræ Congregationis Rituum.

B. V. Maria ſub Myſterio Sanctiſſimæ, & Immaculatæ Conceptionis ſeu Principalis Patrona, Protectrix Ordinis inſtituitur, & Ejus feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis celebrari conceditur.

Eminentiſs., ac Reverendiſs. Domini.

Libellus Supplex. FR. Joannes Antonius à Florentia (*) procurator Generalis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum E. E. Veſtris Reverendiſſimis humiliter exponit, quatenus in Comitiis Generalibus in hac Alma Urbe noviſſimè celebratis, Anno ſcilicet MDCCXII. viſum eſt Patri Michaeli Angelo â Raguſa Miniſtro Generali, nec non PP. Definitoribus Generalibus, ſimul in eodem Capitulo Congregatis, Beatiſſimam Virginem Deiparam, quam ſub Myſterio Immaculatæ Conceptionis ſpecialiter venerati ſunt, ac venerantur, in Principalem totius Capucinorum Familiæ Patronam, ac Protectricem eligere, ac ejuſdem ſub præfato Immaculatæ Conceptionis Myſterio electæ Feſtum impoſterum, omni, quâ poterunt, ſolemnitate ſingulis annis celebrare, ac totius Capucinorum familiæ Fratribus celebrandum mandare. Cum autem ad piiſſimam hanc determinationem, ad praxim reducendam, requiratur conſenſus, approbatio, ac facultas Sacræ hujus Rituum Congregationis, tale ſtatutum, ac determinationem approbantis; præfatus Procurator Generalis ex ſpeciali totius Definitorii Generalis Commiſſione, ejuſdem Definitorii, ac totius Capucinorum Ord. Nomine ſupplicat humiliter E. E. Veſtris, quatenus, prout aliis Regularibus, & præſertim Fratribus Minoribus de Obſervantia, vigore rubricarum reviſarum, & approbatarum proprii Breviarii, idem feſtum ſub ritu duplici primæ Claſſis celebrandi facultatem concedere placuit, ita (iiſdem ratione, ac titulo intervenientibus) ipſi ſuæ Capucinorum Familiæ eandem Gratiam, ac facultatem impartire dignentur, & pro gratia &c. ut Deus.

Sub die 9. Decembris MDCCXIII. *huic ſuppli-ci libello à Sacra Ritum Congregatione pro prima vice reſponſum fuit.*

Detur Ponens.

Electus inde fuit in Ponentem hujus petitionis Eminentiſſimus, ac Reverendiſſimus Cardinalis Caſinus, cui conſignatus fuit ſupplex hic libellus, Decretum Definitorii Generalis, & quædam alia documenta, probantia, quod etiam RR. PP. Obſervantes hujus petitæ gratiæ munere potirentur. Fuerunt etiam hujus ſupplicationis exemplaria diſtributa aliis DD. Cardinalibus qui debebant præſtare votum in Congregatione; quæ fuit iterum celebrata ſub die x. *Martii* MDCCXIV. *ac reſcripſit pro gratia, & reddidit præſens Decretum.*

Ordinis Capucinorum.

EXhibitâ Sacræ Rituum Congregationi per Fratrem Joannem Antonium à Florentia Procuratorem Generalem Ord. Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum, Nomine etiam Deffinitorum Generalium totius Ordinis prædicti Electione in patronam Principalem B. Mariæ Virg. ſub Miniſterio Sſmæ Conceptionis nuper ab ipſis factâ; ad preces modò Fratris Antonii prædicti pro informatione hujuſmodi Electionis humillimè ſupplicantis, Sacra Rituum Congregatio, referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Caſino, attento, quod electio prædicta fuerit ſervatis ſervandis, & juxta præſcriptum in decreto fel. record. Urbani Papæ VIII. die XXIII. Martii MDCXXX. edito, legitimè facta, eandem approbavit, & confirmavit, ac B. M. V. Sanctiſſimæ Immaculatæ Conceptionis, ſic in Patronam Principalem electæ, prærogativas omnes, Patronis Principalibus competentes, cum recitatione officii Ejuſdem ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava in univerſo prædicto Ordine attribuit, atque conceſſit.

Die x. Martii MDCCXIV.

Fr. Cardinalis de Abdua.

Locus ✠ Sigilli.

N.M. Tedeſchi Epiſc. Liparitanus S. R. Cong. Secret.

Exempl. Authograph. in Archivo gen. Ordinis Tom. R. *num.* 197.

N O T A.

CUM occaſio eligendi Sanctos in Patronos variè occurrat, Decretum in hoc libello ſupplici allegatum hìc in Regulam apponitur.

DECRETUM SUPER ELECTIONE SANCTORUM IN PATRONOS.

A Sacra Rituum Congregatione de Ordine Sanctiſſimi Domini Noſtri Urbani Papæ VIII. emanatum die XXIII. *Martii* MDCXXX.

Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctiſſimo Domino Noſtro in electione Patronorum mandavit infraſcripta in poſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla ſit ipſo jure.

Primo. Quod eligi poſſint in Patronos ii ſolum, qui ab Eccleſia Univerſali Titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati duntaxat.

Secundo. Quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia à Populo, mediante Concilio Generali illius Civitatis, vel Loci; non autem ab Officialibus ſolùm, & quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius Loci.

Idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia à Populo ſingularum Civitatum Provinciæ.

Et quod Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos; niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & ulterius interveniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum.

Et Tertio, quod cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſâ cognitâ ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.

Et ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit allegari, eadem Sacra Rituum Congregatio ſupradictum Decretum imprimi, & publicari mandavit.

Joannes Baptiſta Card. Detus.

Locus ✠ Sigilli.

T. Tegrimius Secretarius.

(*) De memorato in Libello ſupplici P. Joanne Antonio alibi recurret memoria.

RE-

RESCRIPTO.

Patri Miniſtro Generali, electiones, quæ forſan ratione Belli, aut aliorum caſuum canonicè factæ non fuêre, ſanandi, & validandi copiam facit.

Beatiſſime Pater.

Libellus ſupplex. FRater Michael Angelus à Raguſa Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis, licèt immeritus, ad Sanctitatis Veſtræ pedes humillimè provolutus reverenter dicit: Quòd, cum ratione bellorum, necnon præteritarum, præſentiumque turbulentiarum in provinciis, præſertim Ultramontanis, contingere potuerit, ut aliqua Capitula Provincialia, ac Electiones Superiorum, tum Provincialium, tum localium in ipſis peracta, eò quòd non ad tenorem Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum, vel quia non libera, vel ex Electorum inhabilitate, vel aliis de cauſis irrita, nulla, vel infirma fuerint; Idcirco Provinciarum tranquillitati, Suæ, necnon ſubditorum ſibi Fratrum conſcientiæ, Capitulorum, & Electionum, quibus præeſſe, & intereſſe in ſuæ Religionis Viſitatione, pro ſui muneris, & Officii obligatione tenetur, validitati proſpicere, ac conſulere cupiens, ad Sanctitatis Veſtræ pedes iterum provolutus humillimè ſupplicat, ut, ſi quas noverit præteritas Electiones Provinciales, ſive Locales, propter cauſas ſuperiùs allatas, fuiſſe, vel eſſe irritas, infirmas, nullas, Electoreſque ad Suffragia, in Capitulis, & electionibus ferenda, propter eaſdem, inhabiles invenerit, illas, quatenus opus ſit, ſanandi, validandi; iſtos verò abſolvendi, rehabilitandi, & officiorum ſuorum, & actuum legitimorum exercitio, & executioni reſtituendi, & Apoſtolicam auctoritatem, & facultatem eidem benigniter impartiri dignetur; eâ tantùm uſurus, in quantùm id ſecundùm conſcientiam ſuam, unicamque graviſſimæ rei neceſſitatem, expedire in Domino judicaverit. Quam gratiam &c.

Die Septima Aprilis 1713.

Sanctiſſimus annuit conceſſioni petitæ facultatis, voluitque Oratorem illâ uti poſſe, etiam abſque expeditione Brevis &c.

Locus ✠ Sigilli.

A. Card. Albanus.

Orig. in Arch. Ord. Tom. H. H. *num.* 117.

NOTA.

SIcut P. Michaël Angelus in Libello Supplici memoratus, oriundus â Raguſa in Dalmatia, & Profeſſus in Provincia Picena, ſpiritu pietatis, & perſpicacis ingenii dote ſemper eminuit, ita & Anno 1712. celebri votorum conſenſu in Miniſtrum Generalem fuit electus. Triginta quatuor Provincias tam ultra, quàm citra Montes, cum magna Regum, Principumque laude, ac Fratrum ſolamine viſitavit, & completo Generalatûs officio, ad ſatam Provinciam regreſſus, in odore ſuavitatis, vitæ, vario merito coruſcæ metam ibi poſuit.

Indulgentiam plenariam pro Feſtis Sanctorum Paſchalis Baylon, & Joannis â Capiſtrano in Eccleſiis Ordinis ad perpetua tempora extendit.

CLEMENS PAPA XI.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus utriuſq; ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum ubique exiſten., in *SS. Paſchalis Baylon*, & *Joannis â Capiſtrano* Feſtis diebus, à primis Veſperis, uſque ad occaſum ſolis dierum hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem

ſub

ſub Annulo Piſcatoris die XI. Octob. MDCCXIII, Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

Autographum in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. 15. *Diverſ. fol.* 435. *de quo Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom.* H. *n.* 182.

P. Ludovico Franciſco de Mornay, Provinciæ Pariſienſis Definitori, Epiſcopatum Eumenienſem cum Coadiutoria Eccleſiæ Quebecenſis confert.

CLEMENS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Ludovico Franciſco de Mornay Electo Eumenien. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ROmanus Pontifex, quem Paſtor ille cœleſtis Eccleſiis prætulit univerſis, Gregi ſibi commiſſi curam ſedulò adimplere procurans, modò per ſimplicis proviſionis officium, quandoque verò per Coadjutoriæ miniſterium, operoſæ diligentiæ ſtudium adhibet opportunum, ut Eccleſiis ipſis, quæ propriis viduatæ Paſtoribus, aut illis præſidentium ſenio confectorum in Spiritualibus, & temporalibus detrimenta pati comperiuntur, Præſules præficiantur idonei, per quorum ſolertiam providam Eccleſiæ prædictæ continuis proficere valeant incrementis. Sanè Eccleſia Eumenien. quæ in partibus Infidelium conſiſtit, ad præſens certo, quem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, modo, Paſtoris ſolatio deſtituta, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te, Religioſum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum expreſsè profeſſum, ex nobiliſſimis, & verè Catholicis Parentibus in legitimo Matrimonio, & Diœc. Rothomagen. natum, in quadrageſimo nono, vel circiter tuæ ætatis anno, & à viginti, & amplius annis in Sacro Presbiteratûs Ordine conſtitutum, qui munia Tui Ordinis, Guardiani videlicet, & Definitoris ſapienter, & cum applauſu adimpleviſti, quique fidem Catholicam juxta articulos, jam pridem à Sede Apoſtolica propoſitos expreſsè profeſſus fuiſti, cuique apud Nos de generis nobilitate, vitæ munditia, & morum honeſtate, Spiritualium providentia, ac Temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, prædictæ Eccleſiæ Eumenien. de Perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepto de eorundem Fratrum conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, Paſtorum curam, regimen, & adminiſtrationem dictæ Eccleſiæ Eumenien. Tibi in Spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo. Et inſuper cupientes Venerabili Fratri noſtro Joanni Baptiſtæ de la Croix de Saint Vallier moderno Epiſcopo Quebecen. Seni, & valetudinario, & ad obeunda munia Epiſcopalia in tam vaſta Diœceſi impari, ne ipſa Eccleſia Quebecen. Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta, cui præeſſe dignoſcitur, aliqua exinde in Spiritualibus, & temporailbus detrimenta patiatur, de Coadiutore idoneo, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere volentes, Te à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, Te, quem chariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum, & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus vigore Indulti Apoſtolici ſibi deſuper conceſſi Nobis ad id per ſuas Literas nominavit, eidem Joanni Baptiſtæ Epiſcopo, quamdiu Eccleſiæ Quebecen. prædictæ præfuerit, in Coadjutorem perpetuum, & irrevocabilem in regimine, & adminiſtratione ipſius Eccleſiæ Quebecen. in Spiritualibus, & temporalibus conſtituimus, & deputamus. &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno MDCCXIII. IV. Kalend. Martii Pontificatus Noſtri anno Quartodecimo.

Autograph. in Arch. Vatic., de quo exempl. in Arch. gen. Ord. Tom. A. A. *num* 14.

N O T A.

MEmoriam hujus Antiſtitis reddunt celebrem, & Generis ſplendor, & animæ bonitas: illum hæreditarium, & avitum acquiſivit â Proſapia de Mornay, quam vetuſtæ nobilitatis decore, ac connubialis parentelæ fœdere conſpicuam Gallia ſemper æſtimavit: hanc ſortitus eſt â Deo, quapropter, ne inter mundanas varietates verſans, reſpiceret in vanitates, properavit illum è medio harum educere, & ad Ordinem noſtrum transferre. In hoc Ludovicus quidem meditabatur ſub modio latere, & cum Chriſto vitam ducere in Deo abſconditam: latere tamen ita non potuit, quin eminùs, & cominùs promicantia merita Eum ſuper candelabrum honoris ponerent: Provincia enim viſo in eo regularis diſciplinæ ſtudio ædificata, elegit Eum Guardianum, & Definitorem; Rex Chriſtianiſſimus autem, ut honorem amplificaret, Coadjutorem Eccleſiæ Quebecenſis illum nominavit. Sacrificavit genium humilitatis altiori diſpoſitioni, & Epiſcopalem auctoritatem cum ſpiritu manſuetudinis, & illibatæ converſationis exemplo ſemper conjunxit.

Indulgentiam Plenariam pro Feſto S. Catharinæ Bononienſis in Eccleſiis Capucinorum erectis, & erigendis, ad futura tempora perpetuat.

CLEMENS PAPA XI.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum Salutem Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, piâ charitate intenti: Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacrâ communione refectis, qui quamcunque ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, tam hactenus erectis, quàm in poſterum erigendis, Die Feſto Sanctæ Catharinæ de Bononia, à primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVII. Auguſti MDCCXIV. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquarto.

F. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. 14. *diverſ. fol.* 406. *de quo Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom.* H. *num.* 183.

N O T A.

CUM Feſtum Sanctæ Catharinæ eodem die ubique non celebretur, & ideo, an illo extra diem, pro quo â Sacra Congregatione, 20. Septembris 1681. Officium fuit indultum, tranſlato, transferatur & Indulgentia, enatum ſit dubium, pro illius ſolutione porrectus eſt Sanctiſſimo Libellus ſupplex, formatus, ut ſequitur,

Beatiſſime Pater.

CUM per Sanctitatem Veſtram clementiſſimè conceſſa fuerit univerſo Ordini Fratrum Minorum Capucinorum Sancti Franciſci Indulgentia plenaria pro Die Feſto Sanctæ Catharinæ Virginis Bononienſis, ipſumque Feſtum ab iiſdem Religioſis non celebretur in omnibus locis eodem die: Bononiæ namque, & Ferrariæ celebratur die IX. alibi verò XI. Martii. Inde exorta eſt ratio dubitandi inter eos, an in unoquoque loco, vel eorumdem Religioſorum Eccleſia Fideles fruantur dictâ Indulgentiâ eo die, quo â Sacrorum Rituum Congregatione ipſis indultum eſt Officium, ſeu Feſtum prædictæ Sanctæ celebrari? Unde, & humiliter poſtulant opportunam declarationem ſuper hujuſmodi dubitatione, & ſimilibus caſibus. Et pro gratia. &c.

Libello hoc â Sanctiſſimo ad Sacram Congregationem remiſſo, Hæc ita deſuper reſolvit.

Die XVII. Auguſti MDCCXVII. Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita reſcribendum eſſe cenſuit, gaudere.

C. de Hieronymis Secret.

Locus ✠ Sigilli

Exempl. Authent. in Archivo generali Ordinis Tom. H. *num.* 183.

Indulgentiam plenariam in Feſto S. Felicis de Cantalicio Eccleſiis Fratrum, & Monialium tam erectis, quàm erigendis ad perpetua tempora pariter concedit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

REdemptoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui glorioſos ſaluberrimorum, quæ nobis reliquit, exemplorum ſectatores altis decoravit honoribus, & cæleſtis Beatitudinis conſortes effecit, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, ſpiritualium munerum theſauros, quorum Nobis credita eſt diſpenſatio, libenter erogamus, ſicut ad excitandam, & fovendam erga eoſdem Beatos Cœli Incolas fidelium devotionem, ſalubriter in Domino arbitramur. Cum itaque Nos aliàs ad honorem Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ

Religio-

Religionis incrementum, de Venerab Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe noſtra tunc exiſtentium conſilio, Beatum Felicem à Cantalicio Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſorem, auctoritate Nobis à Domino traditâ, Sanctum eſſe decreverimus, & definiverimus, ac Sanctorum Catalogo ſolemni Ritu adſcripſerimus. Hinc eſt, quod Nos ad augendam fidelium Religionem, & Animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcunque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum Regularium tam Fratrum, quàm Monialium Ordinis præfati hactenus erectis, & in poſterum quandocunque erigendis, & ubicumque locorum exiſtentibus, Die decimâ octavâ Maii, Feſto ejuſdem Sancti Felicis, à primis Veſperis, uſque ad occaſum ſolis Feſti hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum Preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XV. Septembris MDCCXIV. Pontificatus Noſtri Anno Decimo quarto.

F. Oliverius.

Autographum in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſt. 14. *Diverſ. fol.* 416. *de quo Breve format. in Arch. generali Ordinis Tom.* H. *num.* 184.

F. Timotheum à Flexia Provinciæ Britanniæ minoris Alumnum, Eccleſiæ Beritenſi præficit, Eumque Coadjutorem Eccleſiæ Patriarchalis Babylonenſis cum futura Suceſſione deputat.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Dilecto &c. Romanus Pontifex &c.

Reliqua juxta ſtylum & formam Secretariæ Brevium Apoſt.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris XIX. Maii MDCCXIX. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Jun. 1715. *fol.* 5. *de quo exemplar in Arch. gen. Ord. Tom.* A. A. *num.* 16.

N O T A.

Quod D. Paulus à ſuo olim Diſcipulo Timotheo ſervari voluit, hoc P. Timotheus in ſe plenè exprimere ſtuduit, *ſollicitèque (a) curavit ſeipſum probabilem exhibere Deo, Operarium inconfuſibilem, & rectè tractare Verbum Veritatis. Probabilem* ſeu probatum ſe exhibuit in Zelo virtutis, quo floruit dilectus *Deo*, & ſuæ Minoris Britanniæ Provinciæ.

(a) 2. *ad Timoth.* 2. *v.* 15.

Fuit *Operarius inconfuſibilis* in ſtudiis, quibus in Curia Romana ceu S. Rituum Congregationis Conſultor, in Religione ceu Diffinitor Generalis &c. amplè occupabatur.

Tractavit Verbum Veritatis rectè, electus à San. Mem. PP. Clemente XI., ut Conſtitutionem *Unigenitus* perſonaliter ad Regem Chriſtianiſſimum Ludovicum XIV. portaret, & *denuntiaret (b) quibuſdam, ne aliter docerent.*

(b) 1. *Timoth.* 1. *v.* 3.

Franciſcum S. R. E. Cardinalem Barberinum, Ordinis Protectorem nuncupat.

Dilecte Fili noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM per obitum bon. mem. Nicolai S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncupati &c. Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, dum vixit, apud Nos & Apoſtolicam Sedem Protectoris, Fratres præfati Protectore deſtituti remanſerint, Nos eiſdem Fratribus de alio idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumſpectionis ſingulari providentia, doctrina, integritate,

tegritate, ac Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris Te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Ordinem prædictum plurimùm commodi ſuſcepturum eſſe confidimus, ejuſdem Ordinis, illiuſque Conventuum, & Fratrum quorumcunque apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectorem, cum omnibus honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis ad tui vitam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, & deputamus. Volumus autem, ut Ordinem præfatum foveas, & protegas, ac Tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut Superiorum ipſius Ordinis auctoritatem, quantùm fieri poteſt, conſervare cures, ac propterea ipſis Superioribus regimen & gubernium Subditorum penitus relinquas, nec in negotiis eorumdem Fratrum Te immiſceas, niſi ab ipſis Superioribus requiſitus fueris, ut in eiſdem negotiis auctoritatem tuam interponas, & tunc, ſi omnino neceſſarium fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in iiſdem negotiis exerceas, id facere poſſis; ſed, quoad potueris, per Te ipſum id facere cures, adhibito ad ſcribendum, quando opus fuerit, in iiſdem negotiis, ſeu cauſis, loco Notarii, aliquo ex Fratribus dicti Ordinis. Mandantes dilectis Filiis Miniſtro Generali, & aliis Superioribus, necnon univerſis Fratribus, & perſonis quibuſcunque Ordinis præfati in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut Te in eorum Protectorem juxta tenorem præſentium recipientes, eâ, quâ debent, reverentiâ, proſequantur, contrariis non obſtantibus qnibuſcunque. Cæterùm Te in Domino hortamur, ut hujuſmodi Protectoris munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum bonorum operum Retributorem, æternum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die x. Martii MDCCXIX. Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo Primo.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto Martii 1719. fol. 5.

N O T A.

Concludit ſuccinctè præclara & ampliſſima Eminentiſſimi hujus pro Ordine noſtro geſta, Encyclica epiſtola, quâ illius Defuncti animam Reverendiſſimus P. Miniſter Generalis Provinciarum Suffragiis commendavit, quapropter, ut illa in grata poſterorum memoria conſerventur, hæc verbatim & ita apponitur.

Reverende ac in Chriſto Obſervandiſſime P. Provincialis.

Tempore, quo B. V. Mariæ ad Cœlos aſſumptæ triumphum anniverſario lætitiæ cultu Eccleſia recolit, occurrit Nobis communicandum luctûs argumentum, dum hodie in ſolis ortu, Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus, Sacri Collegii Apoſtolici Decanus &c. ſub noſtra aſſiſtentia paſſus eſt vitæ ſuæ occaſum. Sedet deſuper, Civitas plena populo, & Domina Gentium in triſtitia, ſeque orbatam ingemiſcit Principe, qui magnanimo ſuo Zelo ſemper zelatus eſt pro gloria Domûs Dei, ſpiritu lenitatis & juſtitiæ ſibi Populi conciliavit affectus, & Apoſtolicæ virtutis exemplo, purpuræ tantùm ſplendoris adjecit, quantùm hauſerat ab ea claritatis: In communi tamen planctûs ordine Nos non continere debemus, dum Ordo noſter in Defuncto ſuum, & illum perdidit Protectorem, qui circa viginti annorum ſpatium vigili curâ Religionis noſtræ decori ſeſe ſuperimpendit, Conſiliis & Beneficiis hujus incrementum quæſivit, & recenſita à Seraphico Doctore Bonaventura Protectoris munia, omnibus numeris abſolvit, fuitque verè Gubernator in bonis agendis, Protector in oppreſſionibus alienis, & Corrector in delictis iſtius Fraternitatis. *Otioſa in nobis non debet eſſe talium memoria, ſed, ut ei noſtræ pietatis Officia aſſociemus, poſtulat & ratio, & ſervatus ſemper in Ordine uſus: Inde R. P. V. Circulari Epiſtolâ omnes dilectiſſimæ Provinciæ ſuæ Fratres efficaciter moneat, ut inter eos quilibet Sacerdos triplici Miſſæ Sacrificio, quilibet Clericus triplici defunctorum Officio & Sacramentali Communione, & quilibet Laicus triplici pariter, ab eis peragi ſolita charitate, animæ defuncti Eminentiſſimi juſta perſolvant, quatenus, ſi appenſæ in ſtatera Divini Judicii ejus Juſtitiæ igne adhuc purgari deberent, ex hoc noſtræ devotionis Suffragio celerior ſequatur Ejus redemptio. Fratres autem omnes, in perſolvendo hoc gratitudinis penſo, eò fideliores fore confidimus, quò majore ſemper ſolatio Defunctus Eminentiſſimus de funebri hoc laboris ſui præmio, Nobis ſæpiſſime id audientibus, in vivis eſt gaviſus, & quò magis Fratres, Defunctum ex illa Excellentiſſima per Italiam Proſapia oriundum recogitabunt, quæ Religioni noſtræ dedit Monaſteria, Purpuram, Beatum &c. quæ Filiationem noſtram Sancti Franciſci, ex vera & nunquam interrupta linea eſſe confirmavit &c. Obſcurumque adhuc Ordinis progreſſum copioſiſſimis illuſtravit Brevibus, & Bullis.*

Dum autem crebriora nos feriunt mortis exempla, dieſque ultimus nos latet, juxta D. Auguſtini monitum, dies omnes obſervemus, & vivamus quaſi in ſero morituri: *Interim Nos Sacris devoventes perſiſtimus.*

Romæ 16. *Auguſti* 1738.

Servus in Chriſto addictiſſimus Fr. Bonaventura à Ferraria Miniſter Generalis (L. J.)

INNO-

INNOCENTIUS XIII.

Romanus, Michael Angelus S. R. E. Cardinalis de Comitibus antea dictus. Romæ VIII. *Maii* MDCCXXI. *Summus Pontifex creatus. Obiit* VIII. *Martii* MDCCXXIV. *poſtquam ſediſſet Annos* II. *Menſes* X.

F. Bernardinum (*) â S. Angelo in Vado, Ordinis Vicarium Generalem conſtituit.

A tergo. *Dilecto Filio Bernardino â S. Angelo in Vado Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Profeſſori.*

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis Zelus, Vita, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & Virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Officium Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod dilectus Filius Joannes Antonius à Florentia (**) Frater expreſsè profeſſus dicti Ordinis, ſibi aliàs ad ſeptennium delatum nuper obtinebat, per liberam dimiſſionem ipſius Officii, ab eodem Joanne Antonio Religioſæ humilitatis ſtudio in manibus Noſtris ſponte, & liberè factam, & per Nos admiſſam vacaverit, & vacet de præſenti: Nos Ordini prædicto de idoneo Vicario Generali providere, Teque, qui (ùt accepimus) ejuſdem Ordinis Procurator Generalis exiſtis, ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac de tua fide, prudentia, integritate, dexteritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Te ejuſdem Ordinis Vicarium Generalem, uſque ad complementum dicti ſeptennii, ad quod idem Joannes Antonius in Generalatûs Officio hujuſmodi durare debuiſſet, cum omnibus, & ſingulis facultatibus, & prærogativis, quæ Miniſtro Generali Ordinis prædicti, pro tempore exiſtenti competunt, ac præeminentiis, authoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub indignationis Noſtræ, aliiſque arbitrii Noſtri pœnis omnibus, & ſingulis memorati Ordinis Superioribus, Fratribus, & Perſonis, cæteriſque, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ut Te ad demandatum Tibi per præſentes Vicarii Generalis Officium, ejuſque liberum exercitium, juxta tenorem præſentium recipiant, & admittant, Teque recognoſcant, & Tibi in omnibus, quæ ad idem Officium pertinent, reſpectivè pareant, faveant, & aſſiſtant, ac tua ſalubria monita, & mandata humilter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquim ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, & ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, Auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Ac decernentes eaſdem præſentes Literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Tibi in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Septembris MDCCXXI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſt. Sept. 1721. *fol.* 27. *de quo Brev. format. in Arch. general. Ord. Tom.* A.A. *num.* 17.

N O T A.

Abſoluto omni, in ſua Picena Provincia, Superioratûs gradu, Pater Bernardinus (*) gyrum Mundi Europæi circuivit: ceu Conſultor enim Rm̃i P. Michaelis Angeli à Raguſia Miniſtri Generalis, & ceu Vicarius Generalis peragravit Hiſpanias, Galliam, Germaniam, & Italiam, in qua ſub ultimo charactere Provincias viſitavit omnes,

omnes, pericula in mari, & ſuper terram perpeſſus patienter, & fortiter clamans contra abuſus inductos, ac firmans mores Religionis antiquos. Occaſione itineris, & viſitationis hauſit de Fratrum, & Ordinis ſtatu notitiam perfectiſſimam, quæ, ne ceu mna ſepulta in terra jaceret, Capitulum Generale Anni 1726. munus Procuratoris Generalis ei impoſuit, ac cœtui PP. Definitorum Generalium aggregavit. Quo ultimo in officio adhuc perſiſtit, confirmatus in Capitulo Generali anni 1733., & practico ſuo conſilio pro Religione laborare pergit.

P. Joannes Antonius (**) nactus eſt diem Natalem in Urbe Florentiæ, in qua, & naturæ dona, virtuoſæ vitæ acceſſione cumulavit. Plantato in Domo Domini, ſeu noſtro S. Ordine, contulit Dominus affluenter cœleſtium chariſmatum munera, maximè tamen Spiritus intelligentiæ, & Apoſtolicæ eloquentiæ prærogativa in eo effulsêre. His non ſolùm in primis Italiæ cathedris nomen ſuum magnificavit, ſed & Viennæ Cæſareos applauſus & favores acquiſivit peculiares.

Electus anno 1719. Miniſter Generalis, cum hoc ſuum miniſterium adimplere non poſſet, illud ultroneâ renuntiatione dimiſit, & in ſenectute bonâ viam univerſæ carnis ingreſſus eſt Florentiæ in Conventu Immaculatæ Conceptionis Anno 1733.

F. Petrum Mariam de Lucca, (*) Ordinis Procuratorem Generalem deputat.

A tergo. *Dilecto Filio Petro Mariæ â Lucca Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Profeſſori.*

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis Zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Nos hodie, ſeu nuper dilectum filium Bernardinum â Sancto Angelo in Vado Fratrem expreſsè profeſſum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, qui Procuratoris Generalis ipſius Ordinis munere tunc fungebatur, in Vicarium Generalem ejuſdem Ordinis, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, Authoritate Apoſtolica conſtituerimus, & deputaverimus, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis Literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberiùs continetur. Hinc eſt, quod Nos Ord. prædicto de idoneo Procuratore Generali providere, Teque, qui (ùt accepimus) Frater expreſsè profeſſus Ordinis hujuſmodi, ac Officium Conſultoris noviſſimi Generalis Ordinis prædicti exercuiſti, ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac de tua fide, prudentiâ, rerum uſu, ſolertiâ, integritate, dexteritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Te in prædicti Ordinis Procuratorem Generalem in locum memorati Bernardini uſque ad complementum temporis, ad quod idem Bernardinus in Officio Procuratoris Generalis hujuſmodi, ſi eum in Vicarium Generalem, ſicut præmittitur, non deputaſſemus, duraturus fuiſſet, cum omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis Noſtrę, aliiſque arbitrii Noſtri pœnis tam dicto Bernardino Vicario Generali, quàm aliis quibuſlibet ſupradicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & Perſonis, cæteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut Te ad demandatum Tibi per præſentes Procuratoris Generalis Officium, illiuſque liberum exercitium juxta earundem præſentium tenorem recipiant, & admittant, tibique faveant, & aſſiſtant, pareantque, & obediant reſpectivè. Ac decernentes ipſas præſentes Literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene,

plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XIII. Septembris MDCCXXI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Septemb. 1721. *fol.* 35. *de quo Breve formatum Tom.* A. A. *num.* 18.

N O T A.

FUIT & P. Petrus Maria (*) poſtea ſecunda vice ad hoc Procuratoris, & Definitoris Generalis munus in Capitulo Generali Anni 1733. canonicè electus, ſuffragantibus ei Doctrina, & Virtute, conſpicuo ſedere inter ſe in eo connexis. Utriuſque teſtes habuit, & adhuc habet nativam ſuam Tuſciæ Provinciam, & Almæ Urbis Curiam: illam, dum Lectoris, Guardiani, Definitoris, & Vicarii Provincialis munia ei contulit, ad præclara Italiæ Pulpita illum deſtinavit, & Reverendiſſimo P. Joanni Antonio à Florentia Miniſtro Generali Conſultorem deſignavit: hanc, dum in ea Poſtulatorem Cauſarum Sanctorum Ordinis egit, & Officium Conſultoris Sac. Congregationis Indicis, & Procuratoris Generalis pro Ordine adhuc exercet.

Mediante etiam hoc duplici practicæ Doctrinæ, & Religioſæ Virtutis ſpiritu obtinuit, ſub Innocentio XIII. ut inter Ceræ Papalis formas, quas *Agnus Dei* appellant, etiam forma cum imagine S. Felicis noſtri, in quacunque aliàs ſolita figura funderetur: obtinuit ſub Benedicto XIII. locum in Capella Pontificia pro PP. Miniſtro, & Procuratore Generalibus, pro tempore exiſtentibus, & Altare terna vice hebdomadatim privilegiatum pro qualibet Ordinis Eccleſia: obtinuit ſub glorioſè regnante Clemente XII., ut (quod jam olim & pro Eminentiſſimo Domino Franciſco Cardinale Barberino impetraverat) Eminentiſſimus modernus Ordinis Protector Bartholomæus Cardinalis Ruſpolus Sac. Congregationi Epiſcoporum, & Regul. negotiis præpoſitæ adſcriberetur, ut, ubi cauſæ Ordinis agitarentur, Ordinis jura Em. Protector, & Fratres tueretur.

Obtinuit tandem promiſcuè ſub trino hoc Summo Pontifice varias Indulgentiarum, & gratiarum Brevia, Bullario huic inſerta, pro quibus æquè, ac aliis ſtudiosè actis, grata Religio, Viro huic ſe plurimùm debere in ævum fateri debet.

Indulgentias & Facultates pro Oratione 40. horarum, Provinciis Uttramontanis hucuſque conceſſas, non obſtante motâ novâ difficultate confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

AD ea, per quæ Chriſtifidelium ſalus procuratur Animarum, libenter intendimus, eaque favore proſequimur opportuno. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Orationem quadraginta horarum ad Animarum ſalutem augendam in Ultramontanis partibus in Eccleſiis Civitatum, & Locorum, ubi ipſi Conventus habent, inſtituere ſoleant; Nos pium, & Sanctum, necnon Deo acceptabile opus hujuſmodi promovere cupientes, omnibus utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum hujuſmodi continuatarum (non autem, niſi noctis tempore interpolatarum) de licentia Ordinariorum locorum in quibuslibet Eccleſiis dictorum locorum ſemel in anno inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium devotè interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; omnibus verò, & ſingulis Confeſſariis ab Ordinariis locorum reſpectivè approbatis, qui in Eccleſiis prædictis occaſione dictæ Orationis ad audiendas Confeſſiones deputati fuerint, omnes, & quoſcunque utriuſque Sexûs Chriſtifideles pœnitentes ab omnibus quibuſcunque in præteritum, uſque ad diem Datæ præſentium commiſſis criminibus, & exceſſibus etiam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervatis (hæreſis, ſimoniæ, ac duelli, & violationis clauſuræ Monaſteriorum Monialium, & recursûs ad Judices Laicos contra formam Sacrorum Canonum exceptis) necnon excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, in præteritum ſimiliter, uſque ad diem Datæ præſentium incurſis, impoſitâ cuilibet arbitrio ſuo pœnitentiâ ſalutari, in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi facultatem, & auctoritatem, pro prima vice tantùm, tenore præſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Generalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus quoad indulgentiæ hujuſmodi conceſſionem ad ſeptennium proximum tantùm valituris.

turis. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXII. Julii MDCCXXII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Autograp. in Arch. Secret. Brevium Apoſtol. Regeſto 2. Diverſ. fol. 533. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ordinis Tom. Q. num. 16.

N O T A.

UT ſpecialis hujus Brevis decor magis ſemper emineret, illius innovatio hâc vice novam patiebatur contradictionem, ex cauſa, quod facultates inſertæ, forent nimis amplæ, & modus Brevis, contra ſtylum Curiæ. Inde, ut Ordo Poſſeſſionem privilegii manuteneret, S. Congregationi Indulg. ſupplicavit, ſequente Libello ſupplici.

Ordinis FF. Minorum Capucinorum.

PRocurator Generalis Ordinis FF. Minorum Capucinorum nuncupatorum humiliter expoſuit, quod in ſuis Eccleſiis ultra Montes ſemel in Anno, de licentia Ordinariorum Oratio 40. horarum inſtitui ſolet, quâ occaſione Chriſtifidelibus prædictæ Orationi 40. horarum devotè intereſſentibus, San. mem. Clemens XI. Indulgentiam plenariam conceſſit, ac inſuper facultatem dedit Confeſſariis, ab Ordinariis locorum approbatis, abſolvendi à reſervatis, ùt plenius continetur in Brevi, quod datur ſummario num. unico. Ut autem uberiori Animarum fructu, adeo pium opus FF. ſuprà memorati proſequi valeant, Orator ejuſdem Brevis renovationem ad aliud ſeptennium humillimè poſtulat. Quæritur ergo.

An Breve ad aliud ſeptennium renovari debeat?

R E S C R I P T U M.

Ad mentem: Et Mens eſt, quòd, ſi ab antiquo tempore habuerint facultatem abſolvendi à reſervatis, eadem confirmetur: ſin minùs, concedatur Indulgentia plenaria ſimpliciter.

Ita Sac. Congregatio Indulgentiarum reſpondit, atque reſcripſit ſub die 12. Junii 1722.

Cum autem producta fuerint Documenta multa, imò multa Brevia formata, à longo tempore de ſeptennio ad ſeptennium conceſſa; Sac. eadem Congregatio, ac Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius XIII. annuerunt pro gratia in omnibus &c.

Alia de hac Oratione, & Confeſſariorum facultate vide fol. 54. & 55.

F. Carolum de Spinoſa, Provinciæ Flandræ-Belgicæ Profeſſum, Eccleſiæ Tricalenſi in Epiſcopum præficit, cum facultate Pontificalia in Diœceſi Mechlinienſi exercendi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Carolo de Spinoſa Electo Tricalen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatûs Officium, meritis licèt imparibus, nobis ab alto commiſſum, quo Eccleſiarum Regimini Divina diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui populum ſuæ curæ creditum ſciant, non ſolùm doctrinâ Verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, auctore Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem proviſionem Eccleſiarum omnium, tum vacantium; & vacaturarum ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Poſtmodum verò Eccleſia Tricalen. quæ in partibus infidelium conſiſtit, & cui bon. mem. Conradus Ferdinandus Geiſt de Wildeg Epiſcopus Tricalen., dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Conradi Ferdinandi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta; Nos vacatione hujuſmodi, fide dignis relatibus intellectâ, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, in qua nullus præter Nos, hâc vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne illa longæ vacationis

cationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, cum Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te Presbyterum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum expreſsè profeſſum, de legitimo Matrimonio, ex Catholicis, & honeſtis parentibus in Diœceſi Gandavenſi ortum, ac in ſexageſimo & ultra tuæ ætatis anno, & à pluribus annis in ſacro Presbyteratus Ordine conſtitutum, qui fidem Catholicam juxta Articulos jam pridem à Sede Apoſtolica propoſitos expreſsè profeſſus es, cuique apud Nos de Religionis Zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliisque multiplicum virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, Te à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Eccleſiæ Tricalenſi præfatæ de Perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum acceptâ, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica Auctoritate providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, & regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Triclacenſis Tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia Tricalenſis ſub tuo felici gubernio regatur utiliter, & proſperè dirigatur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiat incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem præfatam ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudenter, quòd Eccleſia ipſa Tricalenſis gaudeat Gubernatori provido, & adminiſtratori fructuoſo ſe commiſſam, Tuque præter æternæ retributionis præmium, Noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberiùs conſequi merearis. Nos enim ad ea, quæ in tuæ commoditatis argumentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, Tibi, ut à quocunque, quem volueris, Catholico Antiſtite gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habente, accitis & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus aliis Catholicis Archiepiſcopis, vel Epiſcopis, ſimilem gratiam, & Communionem habentibus, munus Conſecrationis recipere liberè valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto priùs à Te, Noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento juxta formam, quam ſub Bulla Noſtra ſubmittimus introcluſam, munus ipſum tibi impendere licitè poſſit, facultatem concedimus per præſentes. Volumus autem, & dicta Apoſtolica Auctoritate ſtatuimus, atque decernimus, quod, niſi recepto à Te per ipſum Antiſtitem juramento præfato, idem Antiſtes munus ipſum tibi impendere, & Tu illud ſuſcipere temerè præſumpſeritis, idem Antiſtes à Pontificalis Officii exercitio, & tam Tu, quàm ipſe à regimine, & adminiſtratione tam ſpiritualium, quàm temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo: ac etiam volumus, quod formam juramenti hujuſmodi à Te tunc præſtiti, Nobis de Verbo ad Verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo munitas, per proprium nuntium, quantò citiùs deſtinare procures: Quodque per hoc Venerabili Fratri Noſtro Archiepiſcopo Lariſſenſi, cui dicta Eccleſia Tricalenſis Metropolico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur: & inſuper Tibi, ut ad dictam Eccleſiam Tricalenſem, quamdiu illa ab infidelibus detinebitur, accedere, & apud eam perſonaliter reſidere, minimè tenearis, dictâ Apoſtolicâ Auctoritate, de ſpecialis dono gratiæ, tenore præſentium indulgemus. Cæterùm ſperantes, quod Tu, licèt Doctor non ſis, quia tamen prudentiâ, & ſufficienti doctrina præditus es, ad alios docendum aptus exiſtis, eidem Eccleſiæ Tricalenſi eſſe poteris multipliciter fructuoſus, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, Nos Tecum, ut eidem Eccleſiæ Tricalenſi in Epiſcopum præfici, illique præeſſe, ipſamque Eccleſiam Tricalenſem in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus regere, & gubernare, ac munus prædictum ſuſcipere, & illo uti liberè, & licitè valeas, defectu gradûs hujuſmodi, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictæque Eccleſiæ Tricalenſis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudibus, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate, & tenore præmiſſis de ſimilis dono gratiæ diſpenſamus. Præterea etiam volumus, quod Tu, poſtquam munus prædictum ſuſceperis, ad hoc, ut dilecto Filio Noſtro Thomæ, S. R. E. Presbytero Cardinali de Alſatia de Buſsù nuncupato, moderno Archiepiſcopo Mechlinienſi auxilio eſſe poſſis, & de illius conſenſu, in Civitate, & Diœceſi Mechlinienſi tantùm Pontificalia officia exercere valeas, ita, ut quatenus ab illis diſcedas, ad Clauſtra redire tenearis, aſſignatione trecentorum Ducatorum auri de Camera ad tui favorem jam factâ, pro Tui congrua

X ſubten-

ſubſtentatione, juxta Decretum particularis Congregationis rerum Conſiſtorialium. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXII. Nono Kal. Octobris, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

Exemplar Authent. in Archivo gen. Ordinis Tom. A. A. *num.* 7.

NOTA.

Quæ Perſonam Reverendiſſimi hujus Præſulis concernunt, videbis infrà inter Papæ Benedicti XIII. Conſtitutiones.

DECRETO.

Eminentiſs. Cardinalis Pœnitentiarii.

Quod Indultum ad inſtantias Reverendiſſimi P. Generalis Obſervantium pro Apoſtatis & fugitivis conceſſum, & amplo titulo: *Edictum ſuper reditu fugitivorum totius Ordinis S. Franciſci* publicatum, nec Capucinos, nec alios Franciſcanos, proprios Generales habentes, complectatur, declaratur.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.

Libellus Supplex. CUM ad aures infraſcriptorum Procuratorum Generalium Ordinum Sancti Franciſci Conventualium, Capucinorum, & Tertii Ordinis ejuſdem, nonnulla pervenerint inconvenientia, quæ in diverſis Mundi partibus in eorumdem Ordinibus oriuntur, ex Indulto ad petitionem, in terminis nimis generalibus factam à Miniſtro Generali Ordinis Minorum de Obſervantia, in favorem ſuorum Subditotorum Apoſtatarum, per E. V. à Sac. Pœnitentiaria ſub die XII. Auguſti MDCCXXIII. emanato; ex eo, quia aliqui ſimiles Religioſi Ordinum Oratorum, putantes in eo ſe comprehendi, ab obedientia ſuorum Superiorum ſe ſubtrahere præſumunt, & eo uti, cum videatur conceſſum in favorem omnium talium Religioſorum totius Ordinis Franciſcani, cujus etiam certè ſunt Oratores, & tamen in nullo ſubjecti, ſeu dependentes (ùt omnibus notum eſt) â præfato Generali de Obſervantia: ideoque ad tollenda tot mala, quæ hac de cauſa in dies magis oriri poſſent, humillimè precantur E. V. ut ejus ſumma benignitate dignetur declarare præfatum Indultum fuiſſe tantummodo conceſſum in favorem Religioſorum Ordinis Minorum de Obſervantia, non autem cæterorum prædictorum Ordinum prælaudati Patriarchæ Seraphici.

Qua de gratia &c. Quam Deus &c.

Fr. Felix Angelus Sidorius Procurator Generalis Ordinis Min. Conventualium.
Fr. Petrus Maria à Luca Procurator, & Comm. Generalis Capucinorum.
Fr. Franciſcus Antonius Poma Procurator Generalis Tertii Ordinis S. Franciſci.

RESCRIPTUM.

EMinentiſſimus, & Reverendiſſimus Sac. R. E. Cardinalis de Comitibus Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sedis Apoſtolicæ Major Pœnitentiarius in Signatura Sacræ Pœnitentiariæ, habita die IV. Menſis Januarii MDCCXXIV. declaravit, ſub Indultum nuper per eundem Majorem Pœnitentiarium, prævia remiſſione Sanctitatis Suæ, conceſſum, & publicatum ſub die XII. Auguſti Anni præteriti MDCCXXIII. ad inſtantiam Miniſtri Generalis totius Ordinis Sancti Franciſci in Aracælitano Conventu Urbis, qui ad præſens eſt Fr. Laurentius à Sancto Laurentio, pro Apoſtatis, & Fugitivis totius Ordinis S. Franciſci, comprehendere tantùm Profeſſos Ordinis S. Franciſci, qui ſunt ſubjecti dicto Miniſtro Generali totius Ordinis S. Franciſci, *nempe Fratres Obſervantes, Reformatos, Recollectos, ac alios dicti Ordinis S. Franciſci, qui ſubduntur dicto Miniſtro Generali, non autem alios quoſcumque ejuſdem Ordinis Sancti Franciſci, qui ſubduntur aliis propriis Generalibus.* Et ita Eminentiſſimus Major Pœnitentiarius declaravit, & obſervari mandavit. Datum Romæ ex ſolita Habitatione in Palatio Apoſtolico Die IV. Januarii MDCCXXIV.

B. M. Cardinalis de Comitibus Major Pœnitentiarius.

Locus ✠ Sigilli.

Jo. Dominicus Conſalvus Sac. Pœnitent. Secret.

Exemplar Auth. & impreſſum in Archivo generali Ord. Tom. Q. *num.* 9.

NOTA.

VEl, quod aliqui rationes Tituli, quo Reverendiſſimus P. Miniſter Generalis PP. Obſervantium utitur, ignorârint, vel, quod alii ex illo quandam noſtri Ordinis dependentiam â nuncupato Reverendiſſimo Patre deduxerint, varia jam ſæpius orta eſt diſſenſio. Inde, ut veritas & pax ſe invicem ſemper oſculentur, juvabit multùm, quæ ſequitur circa utrumque, epitheca.

Aſſumpſit

Aſſumpſit hunc Titulum primus de Obſervantia Reverendiſſimus P. Chriſtophorus Numeius Forolivienſis vigore Bullæ, quæ *Unionis* vocatur, & incipit *Ite in vineam &c.* Anno 1517. quo, uti P. Wadingus (a) recenſet, Summus Pontifex Leo X. Reverendiſſimum P. Bernardinum de Prato Cherienſem, Conventualem, *ab Officio Miniſtri Generalis abſolvit*, eidemque ſatum P. Chriſtophorum cum traditione ſigilli ſubſtituit. Vario quidem niſu poſtea RR. PP. Conventuales hanc Pontificiam diſpoſitionem reformari, ſeu ad primævum Religionis uſum reduci ſollicitabant, &, licèt cauſa acriùs ſub Urbano PP. VIII. ab iis urgeretur, fuit tamen à S. Congregatione Rituum contra Eos deciſum ſequenti

(a) *Tom.* 16. *edit. novæ fol. mihi* 49.

DECRETO.

RELIGIONIS S. FRANCISCI.

CUM Procurator Generalis Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci ſex abhinc annis ægrè ferret, Miniſtrum Generalem de Obſervantia in præteritum uſum fuiſſe, & impræſentiarùm uti Titulo, & Sigillo cum inſcriptione Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, recurſum habuit ad Sanctiſſimum, ſupplicans mandari reformari hujuſmodi Titulum, tanquam non legitimè dicto Miniſtro Generali de Obſervantia competentem. Et ſupplicatione per Sanctiſſimum ad hanc Sacram Rituum Congregationem remiſſâ; Eadem Sacra Congregatio diſcuſſionem hujus negotii ad referendum uſque de Anno 1625. commiſit Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Muto, coram quo firmato dubio de conſenſu ambarum partium; An Titulus Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, quo inſignitur Miniſter Generalis Obſervantium, ſit reformandus? utrâque parte ſæpe ſæpius in facto, & jure, deſuper informante, & auditâ; ad relationem ejuſdem Eminentiſſimi Cardinalis Muti, cauſâ acerrimè in plena Congregatione diſcuſſâ, Sacra Rituum Congregatio reſpondit: Nihil innovandum, & Miniſtrum Generalem de Obſervantia legitimè uſum fuiſſe, & uti poſſe Titulo, & Sigillo cum inſcriptione Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum. Et ita ſervari mandavit Die 22. Martii 1631.

C. Epiſcopus Portuen. Card. Pius.

Locus ✠ Sigilli.

T. Tegrimius Epiſc. Aſſiſien. Secret.

Exempl. impreſ. in Typographia R. Cam. Apoſt. in Arch. gen. Ord. Tom. F. *num.* 44.

Titulus tamen, novo hoc adminiculo Reverendiſſimo P. Miniſtro Generali PP. Obſervantium adjudicatus, nullatenus impedit, vel tollit in noſtro P. Generali Titulum *Miniſtri Generalis totius Ordinis FF. Minorum Capucinorum*: nec etiam quid juriſdictionis Reverendiſſimo P. Miniſtro Generali de Obſervantia in noſtrum Ordinem confert, vel unquam contulit, præſertim, cum hic jam in ſuo primævo partu ab omni prorſus Patris Miniſtri Generalis PP. Obſervantium jure fuerit exemptus, ita quidem, ut ab illo tempore talem habuerit, vel adhuc habeat dependentiam ab Ordine PP. Obſervantium, qualem Ordo Eorum habuit, vel habet ab Ordine noſtro.

Ex quo etiam factum eſt, ut pro mutatione Tituli, Decreto S. Pœnitentiariæ præfixi, & dependentiam aliquam innuentis, Æmulo concurſu Patres noſtri laboraverint.

BENEDICTUS XIII.

Romanus, Ordinis Prædicatorum, Fr. Vincentius Maria, S. R. E. Cardinalis Urſinus antea dictus, Romæ XIX. *Maii* MDCCXXIV. *Summus Pontifex creatus. Obiit* XXI. *Febr.* MDCCXXX. *poſtquam Sediſſet Annos* V. *Menſes* VIII. *dies* XXIV.

B. Felicis â Cantalicio, â PP. Clemente XI. Sanctorum Confeſſorum Canoni jam aliàs adſcripti, Canonizationem promulgat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei Memoriam.

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut, quæ Romanus Pontifex in plenario Conventu Venerabilium Fratrum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, unanimi eorum conſilio communicato, ſanxit & definivit, licèt poſtea ob ejuſdem Pontificis obitum Literæ Apoſtolicæ de his conſcriptæ non fuerint, ſuum tamen conſequantur effectum.

Recolendæ memoriæ anteceſſor noſter Clemens Papa XI. ut frigeſcentem Chriſtianorum pietatem ad Domini cultum accenderet, ſervorum Dei exempla, qui virtutum magnitudine olim claruerant, in ſummo Romanæ Eccleſię Candelabro lucentia, pro ſua paſtorali ſollicitudine exponere ſtatuit, Beatique Felicis à Cantalicio Ordinis Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui Capucini appellantur, geſtis omni præconio memorandis, & ſignis, quæ Deus ob ejus merita ediderat, in examen vocatis, de illo Sanctorum faſtis adſcribendo providè cogitavit.

Felix ineunte ſæculo XVI. circa annum Chriſti Domini MDXIII. in finibus Reatinorum humili loco natus, ab ipſa adoleſcentia futuræ virtutis argumenta, in dies animum ejus ad Summi Dei cultum excitantia, manifeſtavit. Literarum planè rudis, agriſque colendis deditus, ex ſibi prælectis veterum Patrum geſtis, auſterioris vitæ, qua illi excelluerant, amore captus, inſtitutum eorumdem Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui Capucini appellantur, voto ſuo complendo aptiſſimum cenſuit, cui plurimo gaudio, in Laicorum ordine nomen daturus, Romam ex patria ſua Cantalicio profectus eſt. Hîc religionem ingreſſus Anno MDXLIII. toti Urbi per quadraginta & eò amplius Annos ſummè Chriſtiana morum innocentia, & ſimplicitate, aſperrimæque pœnitentiæ & vitæ genere ſe admirandum exhibuit. Rigidum ſui Ordinis inſtitutum per omnia obſervâſſe nequaquam contentus, plurima alia ultro ſibi ſervanda pro Dei amore, quo flagrabat, diu noctuque propoſuit. Conſcientiæ Viri Dei moderatores, Dominici Corporis ſumptionem ter illi ſingulis hebdomadis peragere ſolito, per totos quindecim ante dormitionem annos, ob ejus ardentiſſimum charitatis fervorem, quotidianam divinæ menſæ perceptionem concedere, ſanctum exiſtimârunt; ad quam ſine uberrimo lacrymarum imbre nunquam acceſſit. Laſſo corpori nullam requiem indulſit, illud jejuniis præter ſuam regulam, ſupraque communem uſum ſibi præſcriptis, duriſque flagellis caſtigans, nudis pedibus per Urbem eleemoſinas pro Fratribus reficiendis quotidie corrogaturus, incedere; ferreis quoque annulis ad lumbos præcinctus celebriores Urbis Baſilicas obire conſuevit; palam etiam viſus cum Beato Confeſſore Philippo Nerio ſui contemptu & humilitate certare. Vitæ ſuæ termino ſemel atque iterum prænunciato, viſâque inter cœlitum choros Deiparâ Virgine, plenus dierum & meritorum in cœnobio ad radices Quirinalis Sanctè, ſuaviterque Spiritum Deo reddidit XV. Kalendas Junias Anni MDLXXXII. tota Urbe ad Servi Dei cadaver in ſacra æde expoſitum confluente, per ejus preces divinam opem imploratura, vel ob jam acceptam per ejus merita, Deo grates actura. Ipſi quoque Sanctæ mem. Anteceſſores noſtri Romani Pontifices Sixtus V. & Gregorius XV. ut Beati Viri precibus ſe apud Deum commendarent, ad ejus ſepulchrum inviſendum palam accedere viſi ſunt.

Tantæ Sanctitatis famâ Dei nutu in dies magis prodeunte, piæ recordationis Anteceſſor noſter Urbanus Papa VIII. qui novam diſciplinam ob Dei ſervos, in Beatorum & Sanctorum Canonem referendos, veteri addiderat, Beatum Felicem novæ ſubeſſe noluit, ejuſque virtutes ad receptam ſanctionum Apoſtolicarum normam cum miraculis, ob ejus invocationem patefactis, ritè probavit, Servique Dei nomen in ſacras tabulas Martyrologii Romani Pontificio diplomate relatum eſt, Miſsâ pariter & Officio in Felicis honorem celebrari permiſſis. Poſtmodum per alios felicis mem. Romanos Pontifices Anteceſſores Noſtros Innocentium X. & Clementem XI. novis miraculis, quæ poſt Felicem, Beatorum numero adſcriptum, contigerant, comprobatis, idem Papa Clemens Beatum Virum in Sanctorum Canonem, ſtatutâ die referendum, Apoſtolica Auctoritate pronunciavit. Quare univerſis, quæ ex S. R. E. Conſtitutionibus, Ritibus, Canonibus, & Decretis, in Beati Felicis virtutum, & miraculorum examine, & approbatione agenda erant, Sanctè peractis, idem Clemens magnæ ſolemnitatis

nitatis diem Dominicam, Sanctiſſimæ Trinitati ſacram, xi. Kalendas Junias anni Dominicæ Incarnationis MDCCXII. ſui Pontificatus XII. tanto actui, & cœremoniæ perficiendæ futuram eſſe voluit: quem actum, omnium maximè ſolemnem, Regum, & Principum obſecrationes ab Apoſtolica Sede obſequentiſſimè tantò antea popoſcerant.

Itaque Clemens præſtitâ die in Sanctam Beatorum Petri, & Pauli Baſilicam magno apparatu, & celebritate proceſſit: ubi in plenario S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Conventu, repetitis pro Beato FELICE in Sanctorum Canonem referendo humillimis ad Deum precibus, & Paracliti Spiritûs gratiâ enixè invocatâ, ad honorem Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis, Fideique, & Religionis Catholicæ amplificationem, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, toto eodem Conventu uno ore approbante, & conſentiente, beatæ mem. FELICEM à Cantalicio, de cujus ſanctitate, virtutumque Chriſtianarum, & ſignorum magnitudine cumulatè conſtiterat, unà cum Confeſſore & Pontifice Pio Papa V., Confeſſore non Pontifice Andrea Avellino, Virgineque non Martyre Catharina à Bononia, Sanctorum Confeſſorum non Pontificum Canoni adſcribendum eſſe definivit, eundem FELICEM Sanctorum Confeſſorum Canoni adſcriptum deinceps ab univerſis Chriſtifidelibus, ùt verè Sanctum, ubique colendum, honorandum, invocandumque decrevit; in ejus honorem ſacras ædes, & altaria, ubi incruentum ſacrificium Deo offeratur, conſtrui & dicari; & quotannis xv. Kalendas Junias, quo die obdormivit in Domino, ſolemnem ejus memoriam, ùt Sancti Confeſſoris, piè recoli poſſe ſancivit. Denique gratiis Deo cum exultatione actis, quod Sanctum Confeſſorem FELICEM cum ceteris jam memoratis in conſpectu omnium gentium honorificari, & militantem Eccleſiam tam inſigni gloria decorari voluiſſet; in ejuſdem Confeſſoris, & ceterorum laudem ſolemni oratione cantatâ, in Ara maxima ſupra Confeſſionem Beati Petri Apoſtolorum Principis, unà cum eorundem Sanctorum commemoratione, Miſſæ Sacrificium celebravit, ſingulìſque Catholicis, qui tantæ cœremoniæ intererant, plenariam peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem largitus eſt.


Ne verò de hujuſmodi ſolemni definitione, & ſanctione Apoſtolica, cœteriſque præmiſſis, propterea, quod de illis per eundem Clementem, aut ejus Succeſſorem felicis memoriæ Innocentium XIII. Prædeceſſores Noſtros Litræ decretales conſcriptæ non fuerint, unquam poſſit impoſterum quomodolibet hæſitari; Nos, qui utrique, diſponente Domino, licèt immeriti, in Cathedra Beati Petri ſucceſſimus, volumus, & Apoſtolica Authoritate ſtatuimus, ut decretum, ſanctio, definitio, adſcriptio, relatio, conceſſio, ceteraque hactenus memorata, à jam dicta die xi. Kalendas Junias anni MDCCXII. ſuum conſequantur effectum, ac ſi de illis ab eodem Clemente revera Literæ decretales eadem die conſcriptæ, & promulgatæ fuiſſent, ùt ſuperius enarratur. Volumus etiam, ut præſentes Literæ Noſtræ ad probandum decretum, ſanctionem, & definitionem, adſcriptionem, relationem, conceſſionem, cæteraque præmiſſa undequaque ſufficiant, neque alterius cujuſcunque probationis, & ſolemnitatis adminiculum ad id amplius requiratur.

Cæterùm, quia difficile foret, has noſtras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, adferri, volumus, ut earundem exempla, etiam typis impreſſa, manu publici Notarii ſubſcripta, ſigilloque alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem ubique fidem obtineant, quam hæ noſtræ obtinerent, ſicubi eas exhiberi vel oſtendi contigeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, definitionis, ſanctionis, adſcriptionis, relationis, ſtatuti, conceſſionis infringere, aut ei temerario auſu contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXIV. pridie nonas Junias, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



† Ego Franciſcus Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Barberinus.

†

† Ego

† Ego Petrus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellarius.
† Ego Laurentius Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Corſinus.
†
† Ego Joſeph Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.
†
† Ego Thomas Tit. Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Presbyter Cardinalis Rufus.
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
† Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Albanus, S.R.E Camerarius.
† Ego Ludovicus Tit. S.Silveſtri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. S. Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Marcellinus Tit. S.Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Melchior Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
† Ego Bernardinus Tit. Sancti Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis Scottus.
†
†
† Ego Nicolaus Tit. Sanctorum Nerei, & Achilei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. Sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Priſcæ Presbyter Cardinalis Belluga, & Moncada.
† Ego Joſeph Tit. Sanctæ Suſannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†.
† Ego Joannes Baptiſta Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Salernus.

†
† Ego Alvarus Tit. S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
†
† Ego Joannes Baptiſta Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Proſper Tit. Sancti Chryſogoni Presbyter Cardinalis Mareſuſcus.
†
† Ego Nicolaus Tit. Sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coſcia.
†
†
†
†
† Ego Benedictus Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Joſeph Renatus Sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis.
† Ego Laurentius Sanctę Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Columna.
† Ego Curtius S. Euſtachii Diac. Cardinalis Origus.
† Ego Fabius Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.
† Ego Carolus Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Marinis.
† Ego Julius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Alexander Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
†
†
†
†

P. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*

Viſa.

De Curia J. Archiep. Anciranus.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Bulla formata in Arch. gen. Ord. Armario Authentica.

N O T A.

PAupertas Ordinis fuit tardatæ hujus promulgationis cauſa, cum enim Bulla notabili pecuniarum taxâ pro more redimi deberet, & Religio illi ſolvendæ par non eſſet, expeditio illius manſit ſuſpenſa. Informatus deſuper Sanctiſſimus Pontifex, non ſolùm taxam ad 300. Scuta limitari, verùm etiam eum Miſſarum numerum Patri Procuratori Generali conſignari diſpoſuit, quarum ſtipendium, ſeu eleemoſyna pecuniaria ſummam trecentorum Scutorum adæquaret. Ordini noſtro dum Sanctiſſimus inſigne hoc beneficium in Sancto præſtitit, Sanctum, & ipſum, quantùm coleret, pluribus actibus patefecit; non ſolùm enim ordinarit, ut Magiſtratus Romanus omni triennio, Calicem argenteum, & 4. Intortitia in cultûs homagium S. Felici ad ejus Aras in Eccleſia noſtra Romana offerret, & ut Ordo Officium, & Miſſam propriam, infrà videndam, de Sancto diceret; conceſſit, verùm etiam Altare Cellæ, in qua Sanctus per quadraginta annos habitavit, perſonaliter Anno 1726. die Sancto Sacrâ, conſecravit.

Quæ omnia in Mnemoſynon gratitudinis, quâ Ordo noſter hoc, & alia ſpecialia Beneficia, ab hoc Sanctiſſimo Papa recepta, æviternaliter proſequi debet, appoſitum eſto. Con-

Conſtitutiones S. mem. Urbani VIII. fol. 97. & Alexandri VII. fol. 106. poſitas, circa Bibliothecas confirmat, & Miniſtro Provinciali, ac Diffinitoribus conjunctim, Libros duplicatos, ſeu ſuperfluos commutandi, ac aliis Provinciæ Bibliothecis applicandi facultatem largitur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod dudum fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædeceſſor noſter, ad ſupplicationem tunc exiſtentis Procuratoris Generalis dicti Ordinis, ne libri, quinterna, folia, ſive impreſſa, ſive manuſcripta, ad Bibliothecas Conventuum ejuſdem Ordinis ſpectantia inde ſub quovis quæſito colore, prætextu, vel occaſione extraherentur, vel aſportarentur, ſub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis, per contrafacientes incurrendis, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, interdixit, & prohibuit: permiſit tamen Miniſtris Provincialibus, & Definitoribus Ordinis hujuſmodi conjunctim procedentibus, ut per eorum Sindicos, earundem Bibliothecarum libros, dicto Ordini inutiles, cum aliis utilibus, de licentia tamen illorum, qui eoſdem libros, ùt præfertur, donâſſent, aut eorum hæredum, ſi extitiſſent, permutare poſſent, & aliàs, prout in ipſius Urbani Prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die xx. Julii MDCXXXVIII. expeditis, uberiùs dicitur contineri: Et ſubinde rec. mem. Alexander Papa VII. etiam Prædeceſſor noſter, per alias ſuas pariter in ſimili forma Brevis die III. Julii MDCLVI. expeditas Literas ſimilem prohibitionem fecit, præterquam Fratribus prædicti Ordinis, qui quidem libros è Bibliothecis hujuſmodi reſpectivè de Superioris, ſeu Bibliothecarii, pro tempore exiſtentis licentia extrahere, & eis pro communi Conventuum, & particulari Fratrum Ordinis prædicti uſu in ſuis cellulis, Fratribus quoque ejuſdem Ordinis verbum Dei prædicantibus, qui etiam extra ſuos Conventus uti poſſent, ſed finito uſu hujuſmodi ſubitò ad dictas Bibliothecas ſub pœnis ſupradictis reportare deberent, & aliàs, prout in prædictis Alexandri Prædeceſſoris literis fuſiùs aſſeritur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, inter libros, qui in dictis Bibliothecis collocati ſunt, aliquot ſint duplicati, ſive ſuperflui, qui in aliis Bibliothecis ejuſdem Ordinis exiſtunt neceſſarii, & vice verſâ eveniat, quod in illis, in quibus deſunt libri, qui in aliis ſuperflui ſunt, alii libri repeŕiantur ſuperflui, quibus ejuſmodi Bibliothecæ indigerent, dictus verò modernus Procurator Generalis utilitati earumdem Bibliothecarum conſulere cupiens, Miniſtris Provincialibus, & Definitoribus Ordinis præfati conjunctim procedentibus, libros duplicatos, ſive ſuperfluos aſportandi, & applicandi aliis Bibliothecis ſuarum reſpectivè Provinciarum, quæ ſimilibus libris indigeant, facultatem à Nobis concedi; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ùt infrà indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum modernum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, nunc, & pro tempore exiſtentibus Miniſtris Provincialibus, & Definitorio conjunctim pariter procedentibus, libros duplicatos, ſeu ſuperfluos prædictos â Bibliothecis ſuarum reſpectivè Provinciarum, in quibus collocati reperiuntur, extrahere, & aſportare liberè, & licitè, abſque ullius cenſuræ, vel pœnæ, in ſupradictis Urbani, & Alexandri Prædeceſſorum literis quovis modo appoſitæ, ſeu comminatæ incurſu poſſint, & valeant, ita tamen, ut libri, ſic extrahendi illic in Bibliothecis earumdem Provinciarum, illis indigentium collocari, nec inde ſub pœnis prædictis extrahi, vel aſportari debeant, licentiam, & facultatem, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus prædictis Urbani, & Alexandri literis ac, quatenus opus ſit, piæ mem. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum pariter noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciarum, Conventuum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo rôbore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Auguſti MDCCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apoſt. Reg. Aug. 1727. fol. 649. de quo Breve format. in Archivo generali Ordinis Tom. Q. num. 37.

N O T A.

AD ſollicitandas haſce Literas Apoſtolicas compulit P. Procuratorem Generalem nimius Conventuum particularium ad Curiam Romanam recurſus, quo Apoſtolica Libros inutiles & ſuperfluos commutandi facultas poſcebatur. Inde, cum neceſſitati jam generaliter proviſum ſit, nullum Breve, quod pro particulari Bibliotheca obtentum eſt, Tomo, Provinciarum Bullas & Brevia complectenti inſeretur, niſi ſpecialis id exigat ratio; præſertim, cum talia Brevia particularia, Brevibus generaliter Ordini datis, aliquoties præjudicent, aut aliàs ſupervacanea ſint. Præterquam, quod eorum expeditio Miniſtros Curiæ æquo afficiat tædio &c.

Quod Fratres Infirmi, Indulgentias in Sacello Valetudinarii lucrari poſſint, concedit.

Beatiſſime Pater.

Libellus Supplex. PRocurator Generalis Capucinorum Sanctitati Veſtræ humiliter exponit, quod, cum Fratres Infirmi & Convaleſcentes è Valetudinario aliquoties non poſſint deſcendere ad Eccleſiam Conventûs, privati maneant Indulgentiis, qui ibi acquiruntur, & ita inferioris, ſeu infelicioris conditionis exiſtant, quàm Fratres ſani, qui æquè in propriis, ac aliorum Eccleſiis ad hunc effectum ſe transferre poſſunt. Quapropter charitate erga Infirmos motus Sanctitati Veſtræ ſupplicat, quatenus concedere dignetur, ut Fratres hujuſmodi viſitando Sacellum Infirmarii, aliaque præſcripta opera peragendo, lucrari poſſint omnes Indulgentias, quæ ſucceſſivo tempore in Ordinis Eccleſiis obtineri poſſunt.

Quam gratiam &c.

Annuimus die 24. April. 1715.

Benedictus Papa XIII.

Orig. in Arch. gen. Tom. Q. num. 39.

N O T A.

CUm autem Infirmi Fratres aliquando degant in locis, ubi Infirmarium cum Eccleſia propria non extat, aut aliàs ita graviter decumbant, ut è cella exire nequeant, fuit ad novas inſtantias à Sanctiſſimo Papa gratia ampliata, & conceſſum, ut tam Fratres quàm Moniales in talibus caſibus in cellis Indulgentias lucrari poſſent, prout videre eſt ſeq. fol. 170.

Non obſtante Anni Jubilæi generali Indulgentiarum ſuſpenſione, Indulgentias pro ſecunda die Auguſti, pro feſtis Sancti P. Franciſci, ac Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ in Eccleſiis Provinciarum Ultramontanarum acquiri poſſe indulget.

Sanctiſſimus Dominus Noſter.

BENEDICTUS PAPA XIII.

AD humillimas ſupplicationes P. Procuratoris, & Commiſſarii Generalis Ordinis Minorum Capucinorum Sancti Franciſci, Indulſit, *ut in omnibus Eccleſiis FF. Ordinis Capucinorum Provinciarum Germaniæ, Galliarum, & Hiſpaniarum: exceptis tamen illis Eccleſiis, quæ ſunt in Diœceſibus Galliarum, quarum Epiſcopi ſunt Refractarii, acquiri valeat Indulgentia Plenaria pro die ſecunda Menſis Auguſti, pro Feſto Sancti Franciſci de Aſſiſio, ac pro Feſto Conceptionis B. Mariæ Virg. Immaculatæ, non obſtante univerſali ſuſpenſione Indulgentiarum. Die* IX. *Junii* MDCCXXV.

Coſmus de Hieronymis Secretarius.

Locus ✠ Sigilli.

Orig. in Arch. gen. Ord. Tom. Q. num. 41.

NO-

N O T A.

ALia de hac Aſſisienſi Indulgentia notabit *verb. Portiunculæ Indulgentia* Index generalis, ad quam Lectorem remitto. Gratia autem Provinciis Ultramontanis pro tribus diebus conceſſa, fuit & poſtea ad Italiam, quoad Fratrum, & Monialium Eccleſias pro eodem Feſto Conceptionis extenſa, uti mox videbitur.

PP. Miniſtro, & Procuratori Generalibus locum in Cappella Pontificia concedit.

Beatiſſime Pater.

Libellus Supplex. PRocurator Generalis Capucinorum reverenter proſtratus ad Sanctitatis Veſtræ Pedes, animatus ex verè paterno amore, quo puſillam ſuam Religionem Capucinam ſemper reſpicere dignata eſt, humiliat ad Sanctitatis Veſtræ Thronum ſuas preces, qaatenus innatâ ſuâ benignitate, & clementiâ ſuæ Religioni honorem communicare dignetur, ut Generalis, & Procurator Generalis pro tempore, in Capella Pontificia locum habeant, haud aliter, ac talis honor in primis Ordinis temporibus, PP. Conventualibus, ac poſtea ſucceſſivè PP. Minoribus Obſervantibus fuit conceſſus, prout hi, & illi hocce privilegio adhuc gaudent inſimul cum aliis Religionibus, quæ diverſo tempore, & Pontificia Benignitate talis gratiæ, pro qua ſupplicatur, participes dignæ factæ fuère. Quam Deus &c.

Cui ſupplici Libello ſuas preces, proprio charactere addidit Eminentiſſimus Cardinalis Protector Ordinis, ut ſequitur.

Pro qua reverentiſſimè etiam inſtat Cardinalis Franciſcus Barberini Protector.

Foris. *Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ Benedicto XIII.*

Pro Procuratore Generali Capucinorum.

Ex Audientia Sanctiſſimi VI. *Sept.* MDCCXXV.

Sanctiſſimus Annuit.

Et ad R. P. Archiepiſcopum Amaſenum pro executione.

F. Cardinalis Paulutius.

Orig. Italicum in Archivo gener. Ord. Tom. Q. num. 43.

Sabb. die 8. Septembris 1725.

Attento hujuſmodi Reſcripto Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Cardinalis Paulutii Sanctiſſimi D. N. Papæ Status à Secretis, petitum in Capellis Pontificiis locum Reverendiſſimis Patribus Miniſtro Generali, & Procuratori Generali Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum, poſt omnes alios Generales, & reſpectivè Procuratores Generales, qui jam tali prerogativa potiuntur, perpetuò dedimus, & aſſignavimus; hodieque manè ad interreſſendum Pontificiæ Capellæ, habitæ in Eccleſia S. Mariæ de Populo pro feſtivitate Nativitatis ejuſdem Virginis Mariæ Reverendiſſimum Patrem Petrum Mariam à Luca prædicti Ordinis Capucinorum ad præſens in Romana Curia Procuratorem, & Commiſſarium Generalem primum admiſimus: prout hæc omnia in Noſtris Pontificiis Commentariis, ſive Diariis fusè adnotantur. Executio Reſcripti.

J. B. Archiep. Amaſenus Cærem. Præf.

Propria manu quodlibet Altare Majus in omnibus noſtris Eccleſiis tribus diebus hebdomadatim, & per totam Octavam Commemorationis Defunctorum pro Animarum purgantium redemptione in perpetuum privilegiat.

Beatiſſime Pater.

PRocurator Generalis Capucinorum reverenter proſtratus ad Sanctitatis Veſtræ Pedes, tam ab experientia, quàm ex relatione ſciens anguſtias Conventuum Sui Ordinis, in quibus ſæpius numerus Religioſorum de familia aſſignatorum, vel ob Prædicationis munus, vel ob eleemoſynæ collectam, vel ob aſſiſtentiam infirmorum, vel ob alia impedimenta ita deficit, ut dubium remaneat, an Privilegio Altaris, ſub præfixo Sacerdotum numero conceſſo fruantur; & ideo ſæpius Benefactoribus, qui hocce tempore plerumque petunt Miſſas ſub conditione, ut in Altari privilegiato dicantur, debeat dari repulſa: pariterque reminiſcens alterius inconvenientis, ex renovatione Brevium Apoſtolicorum poſt quodlibet ſeptennium exorientis, ex eo, quod hæc, præſertim ea, quæ ad Provincias Ultramontanas ablegantur, vel per poſtæ gravamen, vel incuriam devient, vel etiam eorum renovatio pro tempore debito oblivioni detur; humillimè Sanctitati Veſtræ ſupplicat, quatenus concedere dignetur, ut in quacunque Religionis ſuæ Eccleſia Altare Majus pro diebus Lunæ, Mercurii, Veneris, & pro Sabbato, abſque fixo, Libellus ſupplex.

ſeu

ſeu præſcripto Sacerdotum numero, & in perpetuum privilegiatum exiſtat, exceptis illis Eccleſiis, quæ per aliorum Summorum Pontificum conceſſionem Altari privilegiato perpetuò jam ſunt decoratæ. Inſuper ſupplicat S.V., ut præſentis libelli ſupplicis Reſcriptum valeat ad vices Brevis, & quaſi deſuper expeditæ forent Literæ Apoſtolicæ. Quam gratiam &c.

Foris -- *Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII.*

Pro Procuratore Generali Capucinorum.

Reſcriptum propriæ manus.

Annuimus pro tribus diebus in qualibet hedomada in perpetuum, & etiam pro tota Octava Defunctorum.

Atteſtamur, quod hujus Libelli Supplicis Reſcriptum ſit proprio Suæ Sanctitatis charactere exaratum.

F. Card. Paulutius.

Locus ✠ Sigilli.

Originale tam Memorialis, Reſcripti, quàm manûs recognitionis in Arch. gen. Ordinis Tom. Q. num. 49.

Anno Jubilæo non obſtante, Indulgentias plenarias pro Feſto Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ, Provinciis Ultramontanis jam conceſſas, etiam ad Eccleſias tam Fratrum, quàm Monialium in Italia extendit.

Beatiſſime Pater.

Libellus Supplex. PRocurator Generalis Capucinorum paternæ Sanctitatis Veſtræ Clementiæ reverenter ſupplicat, quatenus non obſtante univerſali Indulgentiarum ſuſpenſione currentis Anni Sancti, Indulgentias plenarias Eccleſiis Conventuum ſuæ Religionis in Provinciis Ciſmontanis, pro die Feſto Sanctiſſimæ Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ, Patronæ Principalis & Protectricis totius ſui Ordinis, concedere dignetur, quatenus fideles, teſauri hujus ſpiritualis ſubſidio ſaluti animarum ſuarum abundantiùs conſulere poſſint.

Quam gratiam &c.

Die XVI. *Novembris* MDCCXXV. *Sanctiſſimus Dominus Noſter benignè indulſit, ut in omnibus Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium Ordinis Capucinorum, Provinciarum in Libello Supplici expreſſarum, acquiri valeat die Feſto Conceptionis B. M. V. Immacalatæ, non obſtante univerſali Suſpenſione Indulgentiarum pro unica vice.*

C. De Hieronymis.

Locus ✠ Sigilli.

Originale in Arch. generali Ordinis Tom. Q. *num.* 41.

Quod tam infirmi Fratres, quàm Moniales in Infirmario Indulgentias Ordinis lucrari queant, & quod Reſcriptum valeat pro Brevi, concedit.

Beatiſſime Pater.

PRocurator Generalis Capucinorum ad Sanctitatis Veſtræ pedes reverenter proſtratus, & ſtimulatus â tenerrima illa Charitate, quam Sanctitas Veſtra in paterno ſuo corde erga omnes, præſertim verò erga infirmos nutriri, diverſo jam documento probavit, humillimè ſupplicat, quatenus concedere dignetur, ut Religioſi Capucini, præ infirmitate ê lecto ſurgere, & ad Eccleſiam ad obtinendas Indulgentias, quas ſani Fratres per anni decurſum ibi lucrantur, ſe conferre non valentes, eaſdem Indulgentias in Infirmario obtinere poſſint, peragendo opera injuncta, pro ipſorum ſtatu poſſibilia, vel ea ſupplendo per alia, in quæ vel â Superiore vel â Confeſſario commutabuntur. *Libellus Supplex.*

Rogat inſuper, ut hanc eandem gratiam ad Moniales Capucinas quoque extendere, & concedere dignetur, quod Reſcriptum ad præſens

præſens Memoriale, valeat ad vices Brevis, ſeu quaſi forent deſuper expeditæ Literæ Apoſtolicæ. Quam gratiam &c.

Sanctiſſimus Annuit.

N. Cardinalis Coſcia.

Locus ✠ Sigilli.

Reg. Die 30. *Jan.* 1726.

Originale in Arch. generali Ordinis Tom. Q. *num.* 39.

DECRETO.

Sacræ Congregationis Rituum.

Lectiones ſecundi, & tertii Nocturni propriæ cum Oratione, & Miſſa propria de S. Felice approbantur.

Die XVIII. *Maii*

in Feſto

S. FELICIS A' CANTALICIO

Confeſſoris, Ordinis Capucinorum Sancti Franciſci.

Duplex ſecundæ Claſſis.

Oratio.

DEus, qui B. Felicem Confeſſorem tuum evangelica ſimplicitate, vitæque innocentia in Eccleſia tua clareſcere voluiſti, fac nos, ejus exemplis eruditos, & ſuffragiis adjutos, ad Chriſtum Jeſum, quem ipſe in terris inter ulnas accepit, feliciter prevenire. Qui tecum &c.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Communi Confeſſ. non Pont. ſecundo loco. Beatus Vir.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

FELIX à Cantalicio humilibus, ſed piis parentibus natus, à puero inter paſcendi gregis, agrique colendi exercitationes, tyrocinium vitæ ſanctioris inchoavit. Cum enim narrando audîſſet aſperrimam vitæ rationem, quam Sancti Viri duxerant in Eremo, ſtatim ſtudio æmulandæ mortificationis exarſit, & carnis vires, ne ſpiritui repugnarent, non ſolùm ruſticanis continuis laboribus, ſed vigiliis etiam, ac jejuniis domare cœpit. Ferventiori autem in Deum pietate incenſus, cum ſacris quotidie intereſſe myſteriis optaret, interdum tamen præpeditus, Eccleſiam adire non poſſet, conſultò gregem ducebat ad paſcua ſolitaria, ibique ante Crucis ſignum, quod arborum corticibus impreſſerat, crebris, cruentiſque flagellationibus innocens corpus dilaniabat. Nec defuit miraculum, quo neque officio, neque pietati deeſſet; eodem enim tempore glebas ſimul aratro vertere in agro, & Miſſæ Sacrificio in Templo adſtare viſus fuit. Diuturno igitur auſteritatis experimento probatus, ad duriorem regularis diſciplinæ palæſtram evocatus eſt. Cunctantem tamen, & ancipiti conſilio hærentem divini præſidii perſpicuum teſtimonium inflammavit, & impulit. Siquidem inter arandum, cum incitati boves in terram illum eliſiſſent, impacto, ductoque ſuper jacentis corpus vomere, quo conteri debuiſſet, ſolis veſtibus dilaceratis ſurrexit illæſus. Statim igitur Deo vocanti parendum ratus, ruſtica ſupellectili divendita, pretioque pauperibus erogato, ad Fratres Minores, quos Capucinos vocant, properè ſe contulit.

Lectio V.

IN ipſo probationis anno, magiſque adeo poſt emiſſam ſolemnem profeſſionem diffuſa in corde ipſius charitas Chriſti ad exercendas heroicas virtutes mirum excitavit incendium. Obedientiæ ſedulus cultor, Superiorum nutibus non obſequi modò, ſed explorando etiam prævertere ſatagebat. Quanto ſtudio paupertatem, quantoque odio pecuniam proſequeretur, admirabili eventu voluit Dominus eſſe teſtatum. Cum enim quodam die panem ex obedientia quærens, manticas humeris impoſitas geſtaret, intolerando autem onere præter morem, inſolitaque anxietate fatigaretur, cauſæ inſcius Servus Dei manticas ſcrutatus, nummum clam immiſſum deprehendit, quo projecto, conculcatoque, omni fatigatione levatus eſt. Caſtitatem ab incunabulis ad extremum uſque ſpiritum ſervavit illibatam, quam & vigili oculorum cuſtodia, & voluntariis corporis cruciatibus communivit, ferreo cilicio conſtrictus, & aſperrimis flagellis ter ſe ſe per noctem cruentans. Nihil avidius, quàm ludibria, & contumelias, ſuique contemptum appetebat. Cœnobii jumentum cum ſe reputaret, viliſſima quæque miniſteria ſemper arripuit. Oſtiatim mendicans pro alendis Fratribus, vicos, & plateas Urbis quadraginta annorum ſpatio nudis pedibus obivit. Celeberrimas ſeptem ejuſdem Almæ Urbis Baſilicas interulâ, ferreis annulis contextâ, ad carnem indutus, frequens inviſebat. Conſueta jejunia pro

pro ſui Ordinis inſtituto nedum exactè ſervavit, ſed ſupra communem Fratrum uſum, ſingulas quoque Quadrageſimas, Seraphici Patris jejunio conſecratas, admirabili auſteritate tranſegit, & interdum ſtatutis quibuſdam diebus ab omni prorsùs alimento abſtinuit. Lectus ejus doloris potiùs, quàm quietis erat: Rudi nempe ſarmentorum faſce capiti ſuppoſito, brevem ſomnum ſuper nudas tabulas flexis genibus carpebat.

Lectio VI.

QUamquam ſalutari odio in ſeipſum ſævire conſueverat, mira tamen in alios ſuavitate charitatis utebatur. Omnibus omnia factus, ope, & conſilio nemini defuit. Cunctis proinde charus, acceptuſque, Sanctis præſertim Carolo, & Philippo Nerio, ob evangelicam ſimplicitatem, perſpectamque innocentiam in oculis erat. Pauli V. oraculo Sanctus corpore, & ſpiritu eſt appellatus. Orationi mirificè addictus, ſecundâ noctis horâ ſæpiſſimè incænatus ad Eccleſiam feſtinabat, ibique in rerum divinarum contemplatione pernoctans, dulciſſimas frequenter extaſes paſſus eſt, & aliquando in ulnis ſuis à Virgine Matre reclinatum Puerum Jeſum deoſculari, ejuſque jucundiſſimo aſpectu, complexuque frui promeruit. Cœleſti igitur lumine ex intimo Dei conſortio magis in dies perfuſus, cordium abdita perſpexit, & futura prædixit. Gratiâ etiam miraculorum donatus, demortuum filium matri vivum reſtituit. Meritis tandem cumulatus, imminenti obitu prænunciato, lethali morbo decubuit, atque inter manus Beatiſſimæ Virginis, à qua ad cœleſtem Patriam invitabatur, Eccleſiæ Sacramentis munitus, ſupremam horam placidiſſimè clauſit feriâ ſecundâ Pentecoſtes, annos natus quatuor, & ſeptuaginta. Ejus Corpus in Eccleſia ſui Ordinis ſummâ Urbis veneratione colitur, Domino aſſiduis miraculis Servi ſui Sanctitatem illuſtrante. Quibus permotus Urbanus VIII. Felicem Beatum ritè appellavit, Clemens verò XI. inſigni celebritate Sanctorum faſtis adſcripſit.

IN III. NOCTURNO

Lectio S. Evangelii ſecundum Matthæum.
Cap. XI.

IN illo tempore reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & Terræ, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & Prudentibus, & revelaſti ea Parvulis. Et reliqua.

De Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.
Serm. 9. de verb. Dom.

Lectio vii.

OMnia ſæva, & immania, prorſus facilia, & propè nulla efficit amor. Quantò ergo certiùs, ac faciliùs ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miſeriam, quantùm potuit, cupiditas fecit? Quàm facilè toleratur quælibet adverſitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur? Non immerito ille, Vas electionis, cum ingenti lætitia dixit: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce! unde illud jugum ſuave eſt, & ſarcina levis, & ſi anguſta eſt paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Pſalmiſta: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.

Lectio viii.

SEd, quæ dura ſunt laborantibus, eiſdem ipſius miteſcunt amantibus. Propter quod ita divinæ pietatis diſpenſatione dictum eſt, ut interior homo, qui renovatur de die in diem, non adhuc ſub lege poſitus, ſed jam ſub gratia exoneratus ſarcinis innumerabilium obſervationum, quod erat reverà grave jugum, ſed duræ cervici convenienter impoſitum, facilitate ſimplicis Fidei, & bonæ ſpei, & Sanctæ Charitatis, quidquid moleſtiarum exteriori homini forinſecus intuliſſet ille Princeps, qui miſſus eſt foras, interiori gaudio fieret leve.

Lectio ix.

NIhil enim tam facile bonæ voluntati eſt, quàm ipſa ſibi: & hæc ſufficit Deo. Quantumlibet ergo ſæviat iſte Mundus, veriſſimè Angeli, nato in carne Domino, clamaverunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia, qui natus erat, ſuave jugum eſt, & ſarcina levis. Et ſicut dicit Apoſtolus: Fidelis Deus, qui nos non ſinit tentari ſupra id, quod poſſumus ferre: Sed facit cum tentatione etiam exitum, ut poſſimus ſuſtinere.

MISSA

MISSA
IN FESTO
S. FELICIS A' CANTALICIO

Confeſſoris Ordinis Capucinorum Sancti Franciſci.

Duplex ſecundæ Claſſis.

Introitus. *Reg.* 1. *Cap.* 2.

DOminus pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat. Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Allel. All.

Pſalm. 68. Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & vivet anima veſtra: quoniam exaudivit pauperes Dominus. Gloria Patri &c.

Oremus.

DEus, qui Beatum Felicem Confeſſorem tuum evangelica ſimplicitate, vitæque innocentia in Eccleſia tua clareſcere voluiſti, fac nos, ejus exemplis eruditos, & ſuffragiis adjutos, ad Chriſtum Jeſum, quem ipſe in terris inter ulnas accepit, feliciter pervenire: Qui tecum &c.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Coloſſenſes. *Cap. iii.*

FRatres, induite vos, ſicut electi Dei Sancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, & humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes invicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis adversùs aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore: & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes, & commonentes voſmetipſos Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.

Graduale. Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis.

Et retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus.

Alleluja alleluja. *Pſalm.* 30. ℣. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit miſericordiam ſuam mihi in Civitate munita. Alleluja.

Tempore Paſchali. Alleluja alleluja. *Pſ.* 26. Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini. Allel.

℣. *Pſalm.* 67. Paráſti in dulcedine tua pauperi Deus. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

IN illo tempore: Reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & Terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelâſti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, niſi Pater: Neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.

Offertorium.

Honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Alleluja.

Secreta.

ADeſto votis noſtris, clementiſſime Deus, ut hæc oblatio ſalutaris, quæ in honorem B. Felicis perſolvitur, ad delictorum noſtrorum veniam impetrandam in odore ſuavitatis aſcendat. Per Dominum noſtrum &c.

Communio.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Tenui eum, nec dimittam. Alleluja.

Poſtcommunio.

EXuberet, quæſumus Domine, in cordibus noſtris percepti gratia Sacramenti, quæ nos B. Felicis Confeſſoris tui imitatione purificet, atque interceſſione communiat. Per Dominum &c.

ORDINIS CAPUCINORUM.

S*Ac. Rituum Congregatio, ad humillimas preces P. Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum, nomine etiam totius Religionis, ſupraſcriptas Orationem, & Lectiones II., & III.*

Nocturni proprias, necnon Miſſam S. Felicis Capucini ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Card. Barberino Ponente diligenter reviſas, correctas, & in Sac. Rituum Congregatione per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Cardinalem Picum, loco ejuſdem Eminentiſs. Barberini abſentis relatas approbavit, & in Feſto ipſius Sancti cum Officio ſub Ritu ſecundæ Claſſis ab univerſo præfato Ordine utriuſque ſexûs in poſterum recitari, ac celebrari poſſe benignè conceſſit. Die XXV. *Maii* MDCCXXVI.

Card. Franciſcus Barberinus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus Sac. Rit. Cong. Secr.

NOTA.

OFficium cum Miſſa de eodem Sancto, pro majore Sæcularium commodo mutatum, fuit poſtea ad totam Italiam, ejuſque Inſulas adjacentes, ſub Clemente XII. extenſum, prout infrà videre erit.

Ordini, jus Tertiarios recipiendi competere, & receptos omnibus & ſingulis privilegiis & gratiis, Ordini Tertiariorum, â quocunque Miniſtro Generali Minoritano dependentium conceſſis gaudere poſſe & debere, declarat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei Memoriam.

RAtio Apoſtolici miniſterii, Nobis, licèt immeritis, â Chriſto Domino injuncti, exigit, ut litigia & diſcordias, quæ, humani generis hoſte zizania ſuperſeminante, Ordines regulares, ad cœleſtium meditationem incumbentes, aliquando perturbant, omni cura evellere ſtudeamus, ne Dei cultus in ſacris Viris frigeſcat, inque animis ſæcularium, qui eos inter ſe diſſidentes conſpiciunt, ſcandala propterea exoriantur.

Nuper admodum in Tertiariis, de *Pœnitentia* appellatis, ſub regimine Fratrum Minorum Beati Franciſci, aliàs â regulari Obſervantia nuncupatorum, viventibus, ſpirituale ſolatium, & pietatis fervorem augere ſtuduimus Apoſtolicis Literis noſtris, quæ incipiunt: *Paterna Sedis Apoſtolicæ providentia &c.* Romæ vulgatis Anno Domini MDCCXXV. IV. Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno ſecundo: quibus literis immunitates, gratias, privilegia & indulta, ab Anteceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus eiſdem Tertiariis conceſſa, renovavimus & confirmavimus, ut alacriùs & ſanctiùs Deo famulari pergerent. Sed poſteà non ſine admiratione, atque animi noſtri moleſtia inde ortas altercationes audivimus, eaſdemque noſtras literas, quæ unos Tertiarios, Fratribus Minoribus, â regulari Obſervantia nuncupatis, ſubjectos reſpiciunt, contra mentem noſtram ad alios Tertiarios, ſub regula quidem Beati Franciſci Deo famulantes, ſed ſpeciali nota dignos, inque iiſdem literis noſtris minimè nominatos, aut comprehenſos, perperam detortas fuiſſe intelleximus: qui ſanè Tertiarii Fratribus Minoribus, â regulari Obſervantia nuncupatis, nullo modo ſubſunt; ſed Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui Capucini appellantur, â quo, & ab ejus ſecundariis Miniſtris, in rebus ſpiritualibus directi, omnino dependent, atque Habitum religioſum accipiunt.

Propterea huic errori & incommodo pro noſtra auctoritate & ſollicitudine proſpicere cupientes, eorundem Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui Capucini appellantur, jura & privilegia, ſæpe in judiciis contradictoriis coram Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, conſultationi de rebus Epiſcoporum & Regularium præpoſitis, plenè diſcuſſa, Pontificioque Oraculo, ac Literis Apoſtolicis à felicis recordationis Clemente Papa XI. Anteceſſore noſtro confirmata, atque approbata; Nos præſentibus, perpetuum robur in poſterum habituris, poſt maturam deliberationem, motu proprio, & ex certa ſcientia, ad tollendas quaſcunque diſcordias, iterum munimus & approbamus, confirmantes omnia jura, immunitates, facultates, prærogativas, gratias, indulta & privilegia Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui Capucini appellantur, competentia in conferendo eodem ſcapulari & cingulo Tertiariis ſibi ſubjectis, quæ omnia ei olim fuerunt adjudicata, ejuſdemque Clementis Papæ XI. literis confirmata, quarum tenor talis eſt.

Clemens Papa XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManârunt nuper âCongregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, ad favorem

rem dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Regni Sardiniæ, tria Decreta, videlicet:

I. In cauſa, vertente inter Patres Minores Capucinos Regni Sardiniæ ex una, & Patres Minores de Obſervantia ejuſdem Regni, ſeu &c. partibus, ex altera, de & ſuper infraſcripto dubio, nempe: an Patribus Capucinis Regni Sardiniæ liceat diſpenſare, ſeu diſtribuere Habitum, ſeu ſcapulare parvum cum cingulo Sancti Franciſci ſæcularibus utriuſque ſexûs in propriis domibus, & ſub juriſdictione Ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii, ſeu Tertii Ordinis; eoſque dirigere in ſpiritualibus juxta Regulas dicti Tertii Ordinis in propriis Eccleſiis, in caſu &c.

II. Sac. Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo Gabriellio cenſuit, ac declaravit, competere Patribus Capucinis facultatem conferendi ſcapulare cum cingulo S. Franciſci. Romæ die XVI. Nov. MDCCIII.

III. Et die XXIX. Februarii MDCCIV. denuo auditis Religionibus Patrum Minorum de Obſervantia, & Patrum Minorum Capucinorum S. Franciſci, referente eodem Eminentiſſimo Gabriellio, Eminentiſſimi Patres cenſuerunt, perſiſtendum eſſe in deciſis ſub prædicta die XVI. Novembris MDCCIII. Romæ &c.

IV. Die verò VI. Martii ejuſdem anni MDCCIV. tertia vice propoſitâ Causâ per eundem Eminentiſſimum Gabriellium ad preces Procuratoris Generalis Commiſſarii Curiæ Minorum de Obſervantia, & Procuratoris Generalis ſtrictioris Obſervantiæ Sancti Franciſci, eadem Sacra Congregatio cenſuit ac decrevit, extradendum ſupradictum Decretum. Romæ &c.

C. Card. Carpineus.

Locus ✠ Sigilli.

V. Cum autem, ſicut pro parte dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſe Decreta hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ Patrocinio communiri plurimùm deſideret; Nos, ipſum modernum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & â quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Decreta præinſerta, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium; Decernentes eaſdem præſentes Literas firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari: non obſtantibus Conſtitutionibus, ac Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Martii MDCCIV. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Itaque haſce Literas Clementis Papæ XI. Authoritate Noſtra iterum Nos confirmantes, ſtatuimus, & declaramus, Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum Beati Franciſci, qui Capucini appellantur, & ſecundariis Superioribus, ab eodem Miniſtro Generali dependentibus, tanquam veris & legitimis filiis Beati Franciſci, convenire, & competere in quocumque loco, Civitate, Provincia, & Regno, etiam, ubi alii Tertiarii ejuſdem B. Franciſci jam ſunt, erigere, inſtituere & fundare Tertium Ordinem Beati Franciſci pro quibuſcunque piis & devotis perſonis ſæcularibus utriuſque ſexûs, atque hujuſmodi Tertii Ordinis profeſſoribus Beati Franciſci ſcapulare ſive Habitum cum cingulo conferre, in rebus ſpiritualibus eos dirigere, in tertia regula Beati Franciſci obſervanda privatim & publicè docere, & inſtruere, ut pietatis, & virtutum Deo gratos, & uberes fructus, benedicente Domino, emittant.

Ad hæc volumus & declaramus, prædictos Tertiarios, ſeu Tertii Ordinis Beati Franciſci pro-

profeſſores, ſub Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, ejuſque ſecundariis Superioribus, omnino gaudere, atque uti poſſe, & debere omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus, & prærogativis, per hanc Sanctam Apoſtolicam Sedem Ordini Tertiariorum, â quocumque Miniſtro Generali dependentium ſub ſuo capite, qui unus eſt Beatus Franciſcus, aliâs conceſſis. Volentes præterea, ut viciſſim quilibet Tertiarii ejuſdem Ordinis Minorum Beati Franciſci, præmiſſis gratiis gaudentes, ad eos tranſire licitè & validè poſſint, quorum ſtatum ſaluti Animæ ſuæ aptiorem & utiliorem in Domino, eſſe cognoverint. Prædicta verò univerſa ita, & non aliter judicari, & firma atque inconcuſſa ab omnibus haberi ſtatuimus, non obſtantibus Ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, aliiſque contrariis quibuſcunque: quibus, quatenus opus eſt, derogamus, eaque annullamus, proque annullatis, derogatis & nullis hac in re haberi volumus; pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendam, aliaſque cenſuras pro noſtro arbitrio iis interminantes, qui contraire, vel temerario auſu ea impugnare præſumpſerint, quæ hac noſtra Apoſtolica Conſtitutione firmamus, atque decernimus: ob cujus plenam, perfectamque obſervantiam, auctoritate noſtra præcipimus Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorumdem Vicariis & Miniſtris, ut pro horum executione tuenda, auctoritate ſua vigilent, invocato etiam, ſi opus fuerit, ad hoc auxilio brachii ſæcularis.

Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus ex Secretariis Miniſtri, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, ſive Notarii publici ſubſcriptis, & ſigilli officii ejuſdem Miniſtri, vel Procuratoris Generalis ipſius Ordinis, vel cujuſcunque perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, declarationis, confirmationis, innovationis, conceſſionis, Decreti, voluntatis, præcepti, & derogationis infringere, aut ei temerario auſu contraire, vel ſubreptionis, aut obreptionis notam impingere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Septingenteſimo vigeſimo ſexto nono Kal. Junias, Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

P. Card. Prod. *F. Card. Oliverius.*

Viſa. *De Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.*

Lucas Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Exempl. impreſſa, & Authentica varia in Arch. gen. Ord. Tom. Q. num. 63.

N O T A.

Quæcunque à nobis uſque ad emanatæ hujus Conſtitutionis tempus, in ſubſidium noſtri juris producebantur, variâ ſemper contradictione fuêre impetita. Decretum ſub Paulo Papa V. emanatum & fol. 63. poſitum, à quodam ejuſdem Summi Pontificis Brevi (variè quidem citato, hucuſque tamen non viſo) infirmatum, & Conſtitutiones Clementis X. fol. 125., & Clementis XI. fol. 144. non niſi ad particulares Provincias arctatas fuiſſe, nonnulli prætendebant, imò Liber, intitulatus *Officialis Curiæ Eccleſiaſticæ*. (a) & ex eo *Commentaria ad Conſtitutiones Apoſtolicas* (b) Habitum Tertii Ordinis conferre, Nobis à Sede Apoſtolica *abſolutè* interdictum eſſe, ſub citato variorum revocatorum Decretorum cumulo vulgavêre, dum econtra alii, nobis quidem hoc jus competere aſſerebant, ſed limitatè, & cum reſtrictione, ubi ipſi ſcilicet, Conventus non haberent. Inde, ut Religio noſtra contra omnia eludentis æmulationis artificia jus ſuum quieta exercere poſſet, à Sanctiſſimo hoc Pontifice ſuprapoſitam Conſtitutionem obtinuit. Non defuêre tamen, qui vix è prælo prodeuntem impugnabant, eidemque per aliam Conſtitutionem in favorem RR. PP. Obſervantium, priùs jam editam, videlicet IV. Idus Decembris 1725. incip. *Paterna* (*) derogatam fuiſſe, & Tertiarios à nobis veſtitos, nullo Ordinis privilegio potiri, diſſeminabant. Quapropter P. Procurator Generalis, pro reprimenda hac nova, & omni alia tentatione, Mentem Sanctiſſimi, utriuſque Conſtitutionis Conditoris, ſupplici, per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Barberinum, Ordinis Protectorem porrecto libello exquiſivit, habitô deſuper ſequenti Reſcripto.

(a) *Cap.* 52. *num.* 10. *fol. mibi* 406.

(b) *Tom.* 4. *fol. mibi* 265. *col.* 1.

(*) *Exhibet hanc Conſtit. Bullar. Rom. Tom. XII. fol. mibi* 49.

Ex Audientia Sanctiſſimi Die 24. Menſis Septembris 1726.

Sanctiſſimus annuit declarationi, quòd per Conſtitutionem Sanctitatis Suæ favore Patrum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia non fuit derogatum Privilegiis Ordinis Capucinorum veſtiendi, & admittendi ad Profeſſionem Tertiarios ejuſdem Ordinis.

N. Cardinalis Coſcia.

Locus ✠ Sigilli.

Orig. in Archivo generali Ordinis Tom. Q. num. 63.

Imò

Imò in Conſtitutione ſua incip. *Qui pacem loquitur &c.*(*) Tertiarios noſtros omnibus Tertio Ordini annexis, & conceſſis Apoſtolicis prærogativis, & Indulgentiis, non obſtante Conſtitutione *Paterna* frui, expresſè, & per hæc verba declaravit.

Præterea quaſcunque Indulgentias, Indulta, Privilegia, prærogativas, favores, exemptiones, libertates, extenſiones, & conceſſiones tam in genere, quàm in ſpecie in memorata Conſtitutione incip. Paterna &c. *Tertiariis Fratrum Minorum de Obſervantia tributas, & per alias ſuperiùs indicatas ad Tertiarios Fratrum Minorum Conventualium, & Capucinorum, eorumque Superiores extenſas, & ampliatas, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, & quatenus opus ſit, ipſis Fratribus Conventualibus, & Capucinis, eorumque Tertiariis..... de novo concedimus.*

[*] *Videtur, & hæc Conſtit. in eodem citati Bullarii Tom. fol. mihi* 290.

Jure noſtro, & noſtrorum Tertiariorum per ſuperiùs allegatum Reſcriptum, & hanc declarationem noviter ſtabilito, factum fuit pacis, & quietis ſilentium, uſque dum Clemens XII. ad ſupremum Eccleſiæ regimen fuit ſublimatus, & ob motas à variis Epiſcopis contra Tertiarios, qui jura ſua plus ęquo magnificabant, querimonias, æquè Conſtitutionem *Paterna &c.* PP. Obſervantium, ac noſtram *Ratio Apoſtolici Miniſterii &c.* revocavit.

Exceptioni in Conſtitutione revocante non attendentes alii, Conſtitutionem noſtram indefinitè revocatam, & conſequenter omne jus circa Tertiarios recipiendos nobis ſublatum eſſe aſſerebant; dum econtra ſibi alia Pontificia Brevia ſuffragari aſtruebant..

Eos falli, oſtenſum quidem fuit ex ipſius Bullæ revocantis tenore, & clauſula, quâ ſolùm privilegia, Epiſcopalem juriſdictionem lædentia revocari, ac alia omnia ad terminum juris communis, ſeu ſtatum, in quo ante Bullam revocantem tales gratiæ, & facultates extiterant, reduci, & reducta eſſe declaratur, prout innuunt verba Conſtitutioni ita inſerta: *Decernimus de omnibus, & ſingulis prædictis Literis & Conſtitutionibus, quæ ab eodem anteceſſore noſtro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in iiſdem contentis, eam deinceps deciſionem ac judicium, etiam in foro conſcientiæ habendum, quod, ſive ex jure communi, ſive ex Concilio Tridentino, ſive ex Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive aliàs legitimè habebatur, antequam eædem Literæ, & Declarationes ab eodem Benedicto conceſſæ fuiſſent, perinde, ac ſi illæ non emanâſſent: ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum, ac terminum omnia ſuperiùs enuntiata, omnino reducimus, & reducta eſſe volumus &c.*

Nihilominùs, cum incautæ non ceſſarent vexationes, cautè, & providè alia, & univerſaliſſimis terminis concepta Conſtitutio à Papa Clemente XII. fuit impetrata, quam videre eſt infra, & intra hujus Summi Pontificis Conſtitutiones, & à qua colophonem omnibus diſſidiis impoſitum jam eſſe, ſperare oportet.

Ut per Octavam, Corporis Chriſti nuncupatam, in omnibus Ordinis Eccleſiis, Sanctiſſimum Sacramentum exponatur, & ad diei crepuſculum Matutinum cum Laudibus, durante expoſitione, cantetur, ordinat.

Ex Secretaria Status Die 15. *Januarii* 1727.

MEns Sanctiſſimi Domini Noſtri eſt, ut PP. Capucini laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem ſequentes, in eorum Eccleſiis quotidie per Octavam Feſti de Corpore Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Sanctiſſimum Sacramentum exponant, & expoſitione durante, veſpere ante ſignum Salutationis Angelicæ Matutinum cum laudibus, aliàs media nocte cantari ſolitum cantent. Hujus interea datur notitia Patri Procuratori Generali, quatenus eam omnibus Ordinis Provincialibus communicet, & plenæ Pontificiæ voluntatis executioni invigilet &c.

N O T A.

UT memoria inſtituti Auguſtiſſimi Sacramenti quotannis ſolemniore cultu perageretur, & Fideles ad præſtandum perſonalis devotionis penſum, ſpiritualis lucri præmio allicerentur, loco diſtributionum materialium, quæ in Eccleſiis Cathedralibus diſpenſantur exiſtentibus in horis Canonicis nocturnis, pariterque diurnis, Summi Pontifices Urbanus IV. Martinus V. & Eugenius IV. eis, qui hujuſmodi horis in hac ſolemnitate perſonaliter in Eccleſiis interforent, ſtipendia ſpiritualia, Apoſtolicâ largitione conceſsêre. Cum autem propter noſtri Ordinis uſum, dicendi Matutinum mediâ nocte, populus potiorem Indulgentiarum partem, Officio Matutini annexam, lucrandi copiam non haberet, Sanctiſſimus Dominus Papa Benedictus, hocce, in noſtra vaſta, & in ſola Europa ultra 1800. Eccleſias numerante Religione, ad crepuſculum diei pro Feria ſequente, juxta aliarum Eccleſiarum conſuetudinem, dici ordinavit.

Indulgentiæ autem, quas memorati Summi Pontifices conceſsêre, juxta extractum ex Eorum Bullis, ſunt ſequentes:

Urbanus IV. Bullâ incip. *TRANSITURUS -- omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui Matutinali Officio Feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua idem celebrabitur, interfuerit, centum: qui verò Miſſæ, totidem: qui autem in primis ipſius Feſti Veſperis interfuerint, ſimiliter centum: qui verò in ſecundis, totidem: illis verò, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorii Officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipſarum, quadraginta: illis autem, qui per Octavas illius Feſti Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum Horarum Officiis interfuerint, centum dies ſingulis octavarum ipſarum diebus..... de injunctis ſibi pænitentiis relaxat.*

Martinus V. ſicut reverentiæ, & devotionis exercitia, pro veneratione hujus Sacramenti firmare ſummopere concupivit, ita ampliore ſpiritualis recompenſationis impendio, fideles ad hæc animavit, & Bullâ ſuâ

ſuâ - *INEFFABILE &c. emanata* 1429. - *Verè pænitentibus, & confeſſis, qui, & quoties in ipſius Sacramenti profeſto jejunium, vel loco illius, aliud pium, juxta ſuorum Confeſſorum conſilia, opus fecerint, centum; & qui præmiſſa in Eccleſiis, quibus illa celebrari contigerit, Officiis interfuerint ...... pro Matutinali ducentos, & pro Miſſæ Officiis totidem: ac pro qualibet veſperarum, etiam ducentos: reliquarum verò horarum, videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorii Feſti octuaginta. Rursùs autem in quibuslibet octavarum diebus, pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, ſimiliter centum: nec non reliquarum horarum Officiorum hujuſmodi, quadraginta: illis præterea, qui Proceſſiones, in quibus Vivificum Sacramentum dicto Feſto, juxta præfatarum Eccleſiarum ritus deferetur, continuò ſecuti fuerint, ac quibuslibet in Feſto, & Octavarum diebus hujuſmodi pro pace, & tranquillitate Eccleſiæ Miſſas devotè celebrantibus, pro ſingulis ipſarum, nec non aliis in eodem Feſto Euchariſtiæ Sacramentum devotè ſumentibus, etiam centum, ſingulis annis ...... de injunctis eis pænitentiis miſericorditer relaxat.*

Eugenius IV. verò in Bulla ſua: *Excellentiſſimum &c.* emanatâ 1433. pro frequentiore hujus Sacramenti veneratione, non ſolùm relaxationes, & conceſſiones prædictas Apoſtolici robore munimimis confirmavit; ſed præmiſſis relaxatis diebus, alios totidem dies, pariformiter ab ipſis fidelibus conſequendis adjecit.

Indulgentiæ hæ ita diſperſæ, & confuſæ, ſi ad ſummarium calculum, Synodo Diœceſanæ Abbatiæ Farfenſis Anno 1685. habitæ inſertum, & à Clericato (*a*) citatum perfectiùs reducantur, ſunt ſequentes. (a) *Tom. Deciſion. de Euchariſt. fol. mihi* 265.

I. Qui in Vigilia Feſti jejunat, vel ad vices Jejunii aliud pium opus, juxta Confeſſarii conſilium, peragit, lucratur 200. dies Indulgentiarum.

II. Qui in ipſo Feſto interfuerit Matutino, 400.

III. Qui Miſſæ ipſius diei, 400.

IV. Qui Veſperis ejuſdem diei, 400. pro primis, & totidem pro ſecundis.

V. Qui horis Canonicis diei ſolemnis, id eſt Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorio, 160. dies.

VI. Qui interfuerit Matutinis infra Octavam, toties quoties 200. dies.

VII. Qui Veſperis infra Octavam, 200. dies.

VIII. Qui Miſſæ infra Octavam, 200. dies.

IX. Qui horis Canonicis aliis ipſius Octavæ, toties quoties 80. dies.

X. Qui aſſiſtet Proceſſioni diei Feſti, 200. dies.

XI. Qui, vel ipſo die Feſti, vel per Octavam, Sacramentum devotè ſumpſerit, vel ſi ſit Sacerdos, Miſſam celebraverit, 200. dies.

Quantumvis autem Officium per Octavam dicatur de Sanctis, quorum annua memoria tunc recurrit, Indulgentiæ tamen ex Papæ Joannis XXII. Decreto, quod Gavantus in antiquo M. S. ſe legiſſe ait (*b*) valent, ac ſi dictum foret de Venerabili. (b) *Tom.* I. *Sect.* 6. *c.* 22.

F. Hartmannum Brixinenſem Miniſtrum Generalem, facultate Apoſtolicâ Provincialem & duos Diffinitores ſine Capituli concurſu (neceſſitate tamen, vel Provinciarum commodo id exigente) conſtituendi communit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

PRoſpero, felicique Provinciarum, & Domorum Regularium Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum regimini, & gubernio, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere cupientes, ac de dilecti Filii Hartmanni à Brixia Miniſtri Generalis dicti Ordinis fide, prudentiâ, rerum agendarum peritiâ, pietate, charitate, integritate, vigilantiâ, & religionis Zelo plenam in Domino habentes fiduciam, Eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Hartmanno Miniſtro Generali, ut in viſitatione Ordinis præfati in ſingulis ipſius Ordinis Provinciis, in quibus ſecundùm Deum, propriæque ſuæ conſcientiæ lumen id neceſſarium, opportunumvè eſſe cenſuerit, per ſe ipſum, independenter à Capitularibus, & Vocalibus unum Miniſtrum Provincialem, & duos ex quatuor Definitoribus eligere, ſeu deputare liberè, & licitè poſſit, & valeat, plenam, & amplam facultatem, & poteſtatem, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impartimur, ita tamen, ut Venerabilem Fratrem noſtrum Franciſcum, Epiſcopum Oſtienſem S. R. E. Cardinalem Barberinum nuncupatum, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem, electionis, ſeu deputationis Miniſtrorum Provincialium, & Definitorum hujuſmodi teneatur quamprimum reddere certiorem. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis earumdem Provinciarum Fratribus, & Perſonis, cæteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut Miniſtros Provinciales, & Definitores, vigore præſentium, ab eodem Hartmanno Miniſtro Generali pro tempore electos, ſeu deputatos reſpectivè recipiant, & admittant, illiſque pareant, & obediant, ac illorum ſalubria monita, & mandata humiliter

liter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent; Nos enim irritum decernimus, & inane, ſi quid ſecùs ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum quarumlibet, aliiſvè quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel aliâ quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die III. Martii MDCCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Mart. 1727. fol. 76.

N O T A.

IN PP. Miniſtrorum Generalium Serie, quæ ad finem hujus Tomi dabitur, occupat P. Hartmannus locum trigeſimi noni & ex Natione Teutonica primi. Hic de illuſtri Baronum de Hildprand Domo tranſlatus ad Capucinos, vitæ ſuæ rationem ad virtutis amuſſim ſemper compoſuit. Mirus Evangelici Miniſterii fervor cum in illo micaret, prima ſuæ Provinciæ pulpita conſcendit, & utili vocis libertate, ad quam ingritas vitæ Eum erexerat, myſteria Dei diſpenſavit. In ſumma Ordinis noſtri Specula Anno 1726. collocatus, viſitavit Hiſpaniam, Galliam, & Germaniam, ubi Regularis Obſervantiæ cultum forti conſtantique Zelo firmavit, & ad exemplum Summi Sacerdotis Oniæ ſe omnibus exhibuit *Virum bonum*, *verecundum viſu*, *modeſtum moribus*, *& eloquio decorum*. Eum in Hiſpania Rex Catholicus cætui Magnatum, quos *Grandes* vocant, aggregavit, in Gallia Rex Chriſtianiſſimus per totum Regnum honorari voluit, & in Germania Imperator Auguſtiſſimus tenerrimi affectûs amplexu excepit. Rex Regum autem, cujus Majeſtatem in Patria, adhuc Miniſter Generalis, publico & ſolemniſſimo Jubilææ Miſſæ Sacrificio adoravit, ſtolâ immortalitatis (uti piè credere licet) Anno 1734. Eum veſtivit.

Eidem ſimilem facultatem Guardianos in actu celebrationis Capitulorum eligendi, aliàſque in curſu Viſitationis Commiſſarios, ſeu Miniſtros Provinciales, etiam ad triennium duraturos inſtituendi largitur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUpientes proſpero, felicique Provinciarum, & Domorum Regularium Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum regimini, & gubernio, quantùm cum Domino poſſumus, opportunè conſulere, ac dilectum Filium Hartmannum à Brixia, Miniſtrum Generalem ejuſdem Ordinis ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de ipſius Hartmanni Miniſtri Generalis prudentia, charitate, integritate, religinis Zelo, & rerum agendarum peritia plurimùm in Domino confiſi, eidem Hartmanno, ut in actu celebrationis Capitulorum Provincialium dicti Ordinis pro tempore faciendæ, aliquibus ex eiſdem Domibus, quæ Guardianis deſtitutæ ſint, de ipſis Guardianis, idoneis tamen, & prout meliùs in Domino expedire arbitrabitur, providere, ac inſuper in Viſitatione Ordinis præfati in illis ipſius Ordinis Provinciis, in quibus majores diſſenſiones, & factiones eſſe repererit, Commiſſarios, ſive Miniſtros Provinciales, etiam ad triennium duraturos, Auctoritate noſtra Apoſtolica conſtituere, & deputare liberè, & licitè poſſit, & valeat, ita tamen, ut Venerabilem Fratrem noſtrum Franciſcum Epiſcopum Oſtienſem, S. R. E. Cardinalem Barberinum nuncupatum, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem conſtitutionis, & deputationis Commiſſariorum, ſeu Miniſtrorum Provincialium hujuſmodi certiorem quamprimùm reddere teneatur, eadem auctoritate, tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis earumdem Provinciarum, & Domorum Regularium Fratribus, & Perſonis,

nis, cæteriſque, ad quos ſpectat, ut Commiſſarios, ſive Miniſtros Provinciales, necnon Guardianos dictarum Domorum Regularium vigore præſentium, pro tempore deputatos recipiant, & admittant, illiſque pareant, & obediant, ac illorum ſalubria monita, & mandata recipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Decernentes nihilominus irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis Provinciarum, & Domorum Regularium hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & Conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die III. Martii MDCCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. & fol. ſuperiùs notato.

NOTA.

Facultates in ſupra poſito duplici Brevi Apoſtolico mentionatæ primâ vice datæ fuerunt P. Antonio à Mutina, uti videre eſt ſuprà fol. 89. & 92. & ab illo tempore ſine exceptione cuilibet P. Miniſtro Generali uſque ad P. Hartmannum incluſivè conceſſæ, uti Brevium in Archivo Generali aſſervatorum acervus exhibet. Eas autem P. Bonaventura à Ferraria non petiit, cum à viſitationis faciendæ debito, ob Apoſtolici Concionatoris munus fuerit exemptus, aliterque Ei in vices talium Brevium, pro gubernii ſui auctoritate proviſum. De quo & de quibus plurima infrà.

P. Angelicum Viglini, Provinciæ Neapolitanæ Alumnum, Epiſcopum Tropeenſem conſtituit.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Angelico à Neapoli Electo Tropien. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolatûs Officium, meritis licèt imparibus Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini Divina diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui populum, ſuæ curæ creditum, ſciant non ſolùm doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, auctore Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare.

Sanè Eccleſia Tropeen. ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio perſonæ idoneæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti facienda, ad Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Carolum Hiſpaniarum Catholicum & Romanorum Regem in Imperatorem electum ratione Regni Neapolis, cujus ipſe Carolus Rex in Imperatorem electus etiam Rex exiſtit, ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, ſpectare & pertinere dignoſcitur, & cui bonæ memoriæ Joannes Laurentius Hanez ultimus ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Joannis Laurentii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum expreſsè profeſſum, de legitimo Matrimonio ex Catholicis & honeſtis Parentibus in Civitate Neapolitan. ortum, ſexagenario majorem, à pluribus annis in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutum, qui munera Concionatoris, Theologiæ Lectoris, Confeſſarii plurium Monaſteriorum Monialium, & Præfecti Sacrarum Miſſionum, nec non Vicarii Provincialis tuæ Provinciæ Neapolitan. ſumma cum laude exercuiſti, & ad præſens Conſultor & Examinator Synodalis Archiepi-

ſcopi

ſcopi ejuſdem Civitatis Neapolitan. exiſtis, fidemque Catholicam juxta articulos jam pridem à Sede Apoſtolica propoſitos expreſsè profeſſus fuiſti, quemque præfatus Carolus Rex in Imperatorem electus Nobis ad hoc per ſuas Patentes literas nominavit. . . . .

Reliqua mutatis mutandis uti ſuprà fol. 143.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo vigeſimo octavo Pridie idus Aprilis Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Ex Arch. Vaticano.

N O T A.

PRævênit Dominus P. Angelicum benedictionibus dulcedinis, quâ varia, & in Apoſtolico Diplomate recenſita Provinciæ munia obivit, & Fratrum animos in ſui amoris obſequium captivavit. Inter clauſtrales tamen limites non poterat ita arctari operarius Illius Spiritus, quin ad Sæculares ſeſe diffunderet, Eum ſuæ conſcientiæ arbitrum, & agoniæ aſſiſtentem certatim ambientes. Ut hujus lenitatis uſu & Sanctimoniales gaudere poſſent, San. mem. Benedictus Papa XIII. ſpeciali facultate, omnia quaſi earum Monaſteria Neapoli exiſtentia libero ejus ingreſſui aperta eſſe voluit. In his dum nominis omen, morum ſuorum gravitate expreſſit, & extra illa bonæ converſationis exempla, hinc inde ſparſit, Eminen. D. Cardinalis & Archiepiſcopus Franciſcus Pignatellus, Eum Examinatorum Synodalium Senatui adjunxit, Auguſtiſſimus Imperator Carolus VI. ſuum Conſiliarium nominavit, & San. mem. Papa Benedictus ad Mitram Tropeenſem deſtinavit, quam Anno 1731. ſub cinere mortis occultavit.

Ex documentis è Provincia Neapolitana Romam tranſmiſſis.

Carolum de Spinoſa de Eccleſia Tricalenſi ad Antverpienſem transfert.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Carolo de Spinoſa nuper Epiſcopo Tricalenſi, in Epiſcopum Antverpienſem electo Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ROmani Pontificis, quem Paſtor ille Cæleſtis & Epiſcopus animarum poteſtatis plenitudine ſibi traditâ Eccleſiis prætulit univerſis, ſollicitudo requirit, ut circa cujuslibet Eccleſiæ ſtatum ſic vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumſpectam, nunc per ſimplicis proviſionis effectum, quandoque verò per miniſterium translationis accommodæ, prout perſonarum, locorum, & temporum qualitas exigit, & Eccleſiarum utilitas perſuadet, Eccleſiis ſingulis Paſtor accedat idoneus, & rector providus deputetur, qui populum ſibi commiſſum ſalubriter dirigat, & informet, ac bona Eccleſiæ, ſibi creditæ, non ſolùm gubernet utiliter, ſed etiam multimodis efferat incrementis.

Sanè Eccleſia Antverpien., ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio perſonæ idoneæ, Romano Pontifici, pro tempore exiſtenti facienda, ad Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Carolum Hiſpaniarum Catholicum, ac Romanorum Regem, in Imperatorem electum, ratione Ducatûs Brabantiæ, cujus ipſe Carolus Rex in Imperatorem electus, etiam Dux exiſtit, ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, ſpectare dignoſcitur; & cui bonæ mem. Petrus Joſephus Franchen de Sierstorff Epiſcopus Antverpienſis, dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Petri Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem hujuſmodi Eccleſiæ celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te, Epiſcopum nuper Tricalenſem, Ordinis Capucinorum, qui fidem Catholicam juxta articulos, jam pridem à Sede Apoſtolica propoſitos expreſsè profeſſus fuiſti, quemque prædictus Carolus Rex in Imperatorem electus, Nobis ad hoc per ſuas Patentes literas nominavit, conſideratis grandium virtutum meritis, quibus perſonam tuam illarum largitor Altiſſimus multipliciter inſignivit, & attendentes, quod Tu, qui Eccleſiæ Tricalenſi hactenus laudabiliter præfuiſti, munus Conſecrationis ſuſcepiſti, & Pontificalia exercuiſti, Confirmationis Sacramenta miniſtrando, aliaſque functiones peragendo, Eccleſiam Antverpienſem prædictam ſcies, & voles, ac poteris, auctore Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare, direximus oculos noſtræ mentis: intendentes igitur tam dictæ Eccleſiæ Antverpienſi,

verpienſi, quàm ejus gregi Dominico ſalubriter providere, Te, licèt abſentem, à vinculo, quo Eccleſiæ Tricalenſi, cui tunc præeras, tenebaris, de Fratrum eorumdem conſilio, & Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine abſolventes, Te ad Eccleſiam Antverpienſem prædictam, de ſimili conſilio, Apoſtolica Auctoritate transferimus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Antverpienſis Tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, liberamque tibi ad dictam Eccleſiam Antverpienſem tranſeundi licentiam tribuendo, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod dexterâ Domini tibi aſſiſtente propitiâ, prædicta Eccleſia Antverpienſis per tuæ circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad dictam Eccleſiam Antverpienſem cum gratia noſtræ benedictionis accedens, curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudenter, quod exinde ſperati fructus proveniant, & tuæ bonæ famæ odor ex tuis laudabilibus actibus latiùs diffundatur, dictaque Eccleſia Antverpienſis Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberiùs conſequi merearis. Volumus autem, quòd Tu Sacrarium Sacrâ Suppellectili ad Pontificalia exercenda ſufficienter inſtruas, conſcientiam tuam ſuper hoc onerantes, Tibique prætereà injungimus, quod Conſtitutionem Noſtram ſuper Habitu, & tonſura Prælatorum Regularium editam, obſervare tenearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo vigeſimo octavo Decimo octavo Kal. Julii Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Bulla formata in Arch. Curiæ Epiſc. Antverpienſis, de qua Copia Auth. in Arch. Ord. Tom. A. A. *num.* 18.

N O T A.

Vivit adhuc digniſſimus Antiſtes, &, quod laudis ejus compendium eſt, vixit, & vivit ſemper Deo, & Eccleſiæ: Deo, dum pro illius amore omnia reliquit, quæ ex prænobili Familia de Spinoſa, hæreditario jure ſperare debebat ampliſſima: Eccleſiæ, dum non ſolùm, ceu Miſſionarius Apoſtolicus per 20. Annorum intervallum in partibus Hollandiæ pro illius decore, Zelo Zelatus eſt, verùm etiam immediatè poſt ſuam Translationem de Eccleſia Tricalenſi ad Antverpienſem, ceu Viſitator Apoſtolicus, potentem Monaſterii N. Abbatem, Conſtitutionem *Unigenitus* ſubſcribere renuentem, potenter cum duobus aliis Religioſis dejecit, & ad aliud Ordinis ſui Cœnobium relegavit. Vitâ Deo, & Eccleſiæ ita conſecratâ, & gloriæ ſuæ merita ſemper ampliat, & omnes Apoſtolici Præſulis partes explet, Deo, & Eccleſiæ dilectus:

Indulgentiam plenariam pro Feſtis Sanctorum Jacobi à Marchia, ac Franciſci Solani Ord. PP. Min. Obſervantium pro Eccleſiis Fratrum, ac Monialium reddit perpetuam.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injunctæ nobis Divinitùs Apoſtolicæ ſervitutis ratio poſtulat, ut Cœleſtium munerum theſauros, diſpenſationi noſtræ à Domino creditos, fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris, Sanctorum in Cœlis cum Chriſto regnantium venerationem, excitandamque, & confovendam erga illos Fidelium devotionem, ac ad animarum ſalutem ſperamus in Domino profuturum. Supplicationibus itaque dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcunque Conventuum, ac Monaſteriorum tam Fratrum, quàm Monialium dicti Ordinis tam hactenus erectis, quàm in poſterum quandocunque erigendis, & ubicunque locorum exiſtentibus, in Sanctorum Jacobi à Marchia, ac Franciſci Solani Feſtis diebus à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die ex prædictis id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futu-

ris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Julii MDCCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

F. Cardinalis Oliverius.

Breve formatum in Archivo gen. Ord. Tom. R. *num.* 10.

Indulgentiam ſimilem pro Feſto Conceptionis B. Virg. Mariæ Immaculatæ tam in Eccleſiis Fratrum, quàm Monialium perpetuò largitur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem Cœleſtibus Eccleſię theſauris, pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quàm Monialium dicti Ordinis ubicunque exiſten. die Feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſium extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ſeu Procuratoris Generalis dicti Ordinis obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Decembris MDCCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Pro D. F. Card. Oliverio.

C. *Archiepiſcopus Emiſſenus.*

Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. Q. *num.* 53.

Ven. Dei Servum, & Martyrem

B. FIDELEM, A' SIGMARINGA

Suevum, Provinciæ Helveticæ Filium Beatorum albo inſerit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

BEatorum Martyrum, quos nec tribulatio, nec anguſtia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec perſecutio, nec gladius á Charitate Chriſti ſeparare potuerunt, ſed loricâ Fidei indutos, ac mucrone ſpiritûs (quod eſt Verbum Dei) accinctos, bono certamine peracto, curſuque feliciter conſummato, victores poſt agonem coronâ juſtitiæ donavit in Cœlis juſtus Judex, glorioſos triumphos, ac trophæa in terris celebrari, devotaque fidelium veneratione honorari decet; ut, qui Sanguinis ſui pretio immortalitatem emerunt, illuſtriaque invictæ conſtantiæ, fortitudinis, ac virtutis ſuæ exempla reliquerunt, infirmitatem noſtram, inter Sæculi tentationes laborantem, aſſiduâ ſuâ apud Deum, cui in Stolis candidis die, ac nocte ſerviunt in Templo ejus, interceſſione juvare, ac roborare dignentur. Quam in rem pro Paſtorali noſtro munere, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini Divinâ diſpoſitione præſidemus, propenſis Studiis incumbentes, flagitantia id ipſum Orthodoxorum Regum, & aliorum Chriſtifidelium vota libenter exaudimus, prout ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Chriſtianæ Religionis decus, Fideique Catholicæ incrementum, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltationem cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire.

Cum itaque maturè, diligenterque diſcuſſis, & perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum proceſſibus, de hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia confectis ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii Dei Servi FIDELIS à SIGMARINGA Presbyteri expreſsè profeſſi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franci-

ſci Capucinorum nuncupatorum, qui olim à ſuis Superioribus Regularibus in Præfectum Sacrarum Miſſionum, quæ in partibus Rhætorum, authoritate eo tempore exiſtentium ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei Præpoſitorum tunc primùm inſtitutæ fuerant, deſtinatus, cum in hoc munere Hæreticorum converſioni eximiam, indefeſſamque operam navaret, ab iis vario telorum genere in odium ipſius Fidei Catholicæ anno MDCXXII. crudeliter trucidatus, palmam Martyrii accepiſſe aſſerebatur, ac ſuper ſignis, prodigiis, & miraculis, quæ ad manifeſtandam mundo finalem illius perſeverantiam à Deo edita, & patrata fuiſſe dicebantur; prædicta Congregatio Cardinalium coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum Suffragiis, cenſuerit poſſe, quandocunque Nobis videretur, Eundem Dei Servum publicè Beatum nuncupari cum ſolitis indultis.

Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Catholici, & Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Eliſabethæ Chriſtinæ earumdem Hiſpaniarum Catholicæ, ac Romanorum Reginæ, ejus Conjugis, necnon Venerabilium itidem Fratrum Noſtrorum negotiis Propagandæ Fidei hujuſmodi Præpoſitorum, aliorumque dictæ S. R. E. Cardinalium, ac quamplurium Germaniæ Antiſtitum, & Procerum, totiuſque præfati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum, & nominatim Maximiliani à Wanghena, ejuſdem Ordinis Profeſſoris, hujuſque Cauſæ Poſtulatoris ſupplicationibus, Nobis, & huic Sanctæ Sedi ſuper hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de ſupradictæ Congregationis Cardinalium conſilio, & aſſenſu, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut præfatus Servus Dei FIDELIS A SIGMARINGA in poſterum BEATI nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferendæ) exponantur, Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo quotannis die felicis ejus tranſitûs, ſeu alia die non impedita, illam immediatè ſequenti, recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Communi unius Martyris juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani.

Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus duntaxat in Univerſo Ordine Minorum Sancti Franciſci Capucinorum utriuſque Sexûs, quem idem Dei Servus Martyrio illuſtravit, in loco de Sigmaringa Diœceſis Conſtantien. Provinciæ Moguntin., in quo natus eſt, in Oppido, Civitate nuncupato, Friburgi dictæ Diœceſis, ubi Regularem Profeſſionem emiſit, diuque verſatus fuit, in Civitate Curien. ubi ipſius Corpus, ac Pago Veldkirchii Curienſis Diœceſis, ubi ejus Cranium, reſpectivè aſſervantur, ab omnibus utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus. qui ad horas Canonicas tenentur, & quantùm ad Miſſas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Eccleſias, in quibus Feſtum peragetur, confluentibus.

Præterea primo duntaxat anno à datis hiſce literis, & quoad Indias à die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando in Eccleſiis Ordinis, Loci, Oppidi, Civitatis, & Pagi præfatorum Solemnia Beatificationis ipſius Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori, die, ab Ordinariis reſpectivè conſtituta, poſtquam tamen in Eccleſia Lateranen. de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia, pro qua re diem XXIV. currentis menſis Martii aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis *de non cultu* editis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, ut ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XII. Martii MDCCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

F. Card. Oliverius.

Exemp. impreſſa & authent. in Arch. gen. Ord. Tom. L. *num.* 52.

N O T A.

Eodem anno facultas Officium, & Miſſam de B. Martyre dicendi ad Ordinem noſtrum, & expreſſa in ſuprapoſito Diplomate loca reſtricta, ad totum Ordinem Minoritanum fuit extenſa ſequenti Decreto.

ORDINIS S. FRANCISCI.

CUM ex parte Patris Fr. Maximiliani à Wanghena Ordinis Minorum Capucinorum Sancti Franciſci, & Cauſæ Canonizationis B. Fidelis à Sigmaringa Poſtulatoris pro extenſione Officii prædicti

cti Beati ad Univerſum Ordinem S. Franciſci, prout Ordini Minorum Capucinorum ex Indulto Apoſtolico indultum fuit; Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII. humillimè ſupplicatum fuerit, Sanctitas Sua hujuſmodi inſtantiæ annuendo, dictum Officium B. Fidelis â Sigmaringa in Univerſo Ordine S. Franciſci utriuſque Sexûs, ſervatis tamen Rubricis Breviarii, & Miſſalis Romani, ſub ritu Duplici Majori in poſterum juxta petita recitari, & Miſſam reſpectivè celebrari indulſit, atque conceſſit die 3. Decemb. 1729.

Nicol. Card. Coſcia Pro-Præf.

Locus ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſc. Apamenus Sac. Rit. Cong. Secret.

Fuit & poſtea Anno 1733. Decreto Sac. Rit. Congregat., â PP. Clemente XII. approbato conceſſum, ut Beati Martyris Elogium Martyrologio Romano insereretur, ut ſequitur:

Octavo Kalendas Maji.

Seviſii in Rhetia

BEATI FIDELIS A' SIGMARINGA.

Ordinis Minorum Capucinorum, qui illuc ad prædicandam Catholicam fidem miſſus, ab Hæreticis interemptus, Martyrium conſumavit.

URBIS, ET ORBIS.

Supraſcriptum Elogium B. FIDELIS A' SIGMARINGA Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Capucinorum S. Franciſci primi ex Miſſionariis Sac. Cong. de Propaganda Fide ab Hæreticis in odium Fidei interempti, ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Cienfuegos examinatum, & in Sac. Rit. Cong. per me Secretarium relatum, Sac. eadem Congregatio approbavit, & ad inſtantiam P. Fr. Maximiliani à Wanghena hujuſmodi Cauſæ Poſtulatoris in Martyrologio Romano in poſterum imprimi poſſe cenſuit, ſi SS. D. N. viſum fuerit. Die 17. Jan. 1733.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione Sanctitas Sua benignè annuit. Die 21. ejuſdem Menſis, & Anni 1733.

A. F. Card. Zondadari Pro-Præf.

Locus ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus Sac. Rit. Cong. Secret.

Utriuſque hujus Decreti exemplaria impreſſa & Auth. in Arch. gen. Ordinis Tom. L. num. 52.

CLE-

CLEMENS XII.

Florentinus, Laurentius S. R. E. Cardinalis Corſinus antea dictus, Romæ XII. *Julii* MDCCXXX. *Summus Pontifex creatus. Obiit* VI. *Februarii* MDCCXL. *poſtquam ſediſſet Annos* IX. *Menſes* VI. *Dies* 25.

Fr. Bernardinum de Aſtis, Provinciæ Taurinenſis Alumnum, in Archiepiſcopum Eccleſiæ Turritanenſi præficit.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei Dilecto Filio Bernardino de Aſtis Electo Turritanenſi Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Divina diſponente clementia, cujus inſcrutabilis providentiæ ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicæ Dignitatis Solio, meritis licèt imparibus, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias aciem noſtræ conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo, nedum Apoſtolici favoris auxilium adhibemus, ſed de illis propenſiùs cogitare Nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores præficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam, & providentiam circumſpectam ſalubriter dirigant, & informent, ac bona ipſarum Eccleſiarum non ſolùm gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis.

Sanè Metropolitana Eccleſia Turritanen., quæ de Jure Patronatùs Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Victorii Amadæi Sardiniæ Regis illuſtris ex Privilegio Apoſtolico, cui non eſt adhuc in aliquo derogatum, fore dignoſcitur, & cui bonæ memoriæ Conſtantius à Sancto Ludovico Archiepiſcopus Turritanenſis, dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Conſtantii Archiepiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellectâ, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Turritanenſis celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, Paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Turritanenſi perſonam habilem, ac etiam fructuoſam, cum Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum expreſsè profeſſum, de legitimo Matrimonio, & Catholicis, Nobilibuſque Parentibus in Civitate Aſtenſi ortum, quadragenario majorem, à pluribus annis in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutum, qui Concionatoris, Lectoris, Cuſtodis, Diffinitoris, ac Provincialis munia laudabiliter exercuiſti, quemque prædictus Victorius Amadæus Rex Nobis ad hoc per ſuas literas præſentavit, & de cujus Religionis Zelo, vitæ munditia, morum honeſtate, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicum virtutum donis, fide digna apud Nos teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debitâ meditatione penſatis prædictæ Eccleſiæ Turritanenſi de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica Auctoritate providemus, Teque illi in Archiepiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Turritanen. Tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, firma ſpe, fiduciâque conceptis, quod Dexterâ Domini Tibi aſſiſtente propitiâ, prædicta Eccleſia Turritanen. ſub tuo felici regimine regetur utiliter, proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa Turritanenſis Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & Sedis Apoſtolicæ Benedictionem, & gratiam exinde uberiùs conſequi merearis. Volumus autem, quod Tu, antequam Regimini, & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Turritanen. Te in aliquo immiſceas, in manibus Venerabilium Fratrum Noſtrorum Archiepiſcoporum Calaritanenſis, & Taurinenſis, & Bonanenſis Epiſcopi, ſeu alicujus eorum, Fidei Catholicæ profeſſionem juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, & ſic à Te emiſſæ profeſſionis formam, ad Sedem eandem intra legitima tempora tranſmittere omnino tenearis, quibus, & eorum cuilibet per alias noſtras literas mandamus, ut ipſi, vel eorum aliquis à Te Fidei profeſſionem hujuſmodi recipiant, ſeu recipiat. Volumus etiam, quod Theologalem Præbendam ad præſcriptum Concilii Tridentini inſtituas, Montemque pietatis erigi cures, conſcientiam tuam ſuper iis onerantes. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo Trigeſimoſexto, Nonas Octobris Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Exempl. in Arch. Ord. gen. Tom. A. A. *n.* 19.

N O T A.

HAbuit meritiſſimus hic Pontifex, pro Patria, Aſtam, Galliæ Ciſalpinæ Urbem in Liguria, & pro Patre Herculem Thomam Marchionem Cortanſerii &c. ex conſpicua Rotariorum Familia, Torquatum ſupremi Ordinis B. V. Mariæ Annunt. Equitem, Sardiniæ Pro-Regem &c. Mars dum Pedemontum acriùs turbabat, deſeruit Muſas, & per decennium militiæ incubuit, ex merito virtutis Martialis ad Officia cohortis primaria evectus. Pace reſtitutâ, primogenituræ paternæ Domûs & deliciis aulæ Regiæ valedixit, & ad Capucinorum Clauſtra conceſſit. Ceſenæ in Provincia Bononiæ, annò probationis expletò, & curſu ſtudii in ea abſolutò, Provinciæ Pedemontanæ aggregatur, in qua Concionatoris, Lectoris, Guardiani, Definitoris, & bina vice Miniſtri Provincialis munera omnibus numeris adimplevit. Tandem ad nominationem Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis, & Sardiniæ Regis Victoris Amadæi gl. mem. Archiepiſcopus Eccleſiæ Turritanæ, Sardiniæ, & Corſicæ Primas &c. renuntiatus eſt. Oneri Archiepiſcopalis muneris vigili adhuc Zelo ſeſe impendit, & connexos huic titulos, virtute ſuâ in ſe reddit illuſtriores.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii

Capucinos à Teſtatoribus nominatos, capaces eſſe juris nominandi Perſonas ad pia Subſidia Dotalia, declaratur.

Die 18. *Auguſti* 1731.

Papien. Subſidii Dotalis.

IN Teſtamento, quod Anno MDCCXIII. fecit Præpoſitus Syrus Andreas Vezzolus, hæredes ſcriptæ fuerunt Moniales S. Martini, adjectâ lege, ut ex redditibus omnium bonorum exiſtentium in Territorio Vogheræ ultra Padum, diſtribuerentur in Civitate Papienſi Subſidia Dotalia pauperibus, piis, honeſtiſque Puellis, ſervato tamen quotannis diſtributionis ordine per ſingulas Parochias ejuſdem Civitatis. Quòd ſi deeſſent Puellæ præſtitutis conditionibus præditæ, quidquid reliquum eſſet, cedere voluit commodo piæ Domûs Puellarum Orphanarum. Optavit prætereà Teſtator P. Guardianum Capucinorum, & Pro-Miniſtrum Hoſpitalis majoris ejuſdem Civitatis præeſſe rationibus ineundis annuorum proventuum, curamque adhibere, ut ejus voluntas diligenter ſervetur. Utrique autem eorum contulit jus nominandi ad unum ex memoratis Subſidiis.

Cum hæc Subſidia Dotalia Anno MDCCXXX. aſſignari deberent Puellis Parochiæ S. Nicolai, P. Guardianus Capucinorum Die VII. Novembris ſuperioris Anni per ſchedulam deſtinavit unum ex dictis Subſidiis Annæ Minopriæ, dummodo ea per Parochi teſtificationem docuiſſet de qualitatibus à Teſtatore requiſitis.

Verùm, quia Die IX. Junii ejuſdem Anni Epiſcopus edixerat, ut Parochi eas tantùm Puellas haberent pro idoneis ad Subſidia Dotalia aſſequenda, quæ cum ſuis Parentibus in eorum Parochia permanerent, & in quas non caderet ſuſpicio, quod Parochiam illam fraudulenter adierint, ut ſubſidia Dotalia nanciſcerentur, hinc Parochus Eccleſiæ S. Nicolai renuit edere teſtificationem, quam Anna Minopria poſtulabat; hæc enim Puella eſt Filia Joſephi commorantis in Parochia S. Mariæ in Pertica, ſed jam inde à Menſe Martio dicti Anni MDCCXXX. moram faciebat domi Auguſtini Muſanti, ejus Conſobrini, vitam degentis in Parochia S. Nicolai.

Itaque in Congregatione habita Die XXI. Aprilis currentis Anni diſceptata fuerant duo, quæ ſequuntur, Dubia.

I. *An Electio Puellæ Oratricis ad Subſidium Dotale, de quo agitur, ſit exequenda? Et quatenus negativè.*

II. *An P. Guardianus Capucinorum Papiæ poſſit devenire ad novam Electionem alterius Puellæ, ſeu potius, an dictum Subſidium ſine alia nominatione ejuſdem Guardiani ſit amplificandum favore unius ex Puellis Orphanis Conſervatorii Papiæ in caſu &c.*

Reſcriptum verò fuit: Ad primum *Negativè*. Ad ſecundum *Subſidium applicandum eſſe favore Conſervatorii, & ad mentem*. Illud autem, quod ad hanc mentem pertinet, inferiùs explicabitur.

Inſtante Annâ Minopriâ revocantur hodie ad trutinam eadem Dubia. Putat enim illa ſe verè eſſe cenſendam Parochianam Eccleſiæ S. Nicolai, propterea, quod annuente Patre, cujus vires impares erant alendis ſeptem Filiis, ſe contulerit octo Menſibus ante collationem Subſidii Dotalis ad Domum Conſobrini, qui ei, quaſi Filiæ ſuæ, alimenta ſe ſubminiſtraturum ſpopondit, quouſque vel nuptias inire, vel Religioſæ cuipiam Familiæ nomen dare poſſet. Quamobrem infert Oratrix ſe non ideo tranſiiſſe ad Parochiam S. Nicolai, ut per fraudem, & malitiam obreperet ad Subſidium Dotale debitum ſuperiore Anno Puellis illius Parochiæ, ſed potiſſimum, ut aleretur à Conſobrino, nullam propriam ſobolem habente,

utque

utque apud ipſum conſtitueret fixum, & permanens domicilium. Id autem comprobatur teſtimonio, tum ipſorum Patris, & Conſobrini, tum etiam alterius propinqui. Conſonat quoque declaratio ab eadem Oratrice edita, dum ritè interrogata fuit à Curia Epiſcopali occaſione ſubortæ quæſtionis, an ea eſſet deſcribenda in libro ſtatûs Animarum Parochiæ S. Nicolai? quam quidem quæſtionem diremit eadem Curia, decernens deſcriptionem eſſe faciendam, ſed hunc in modum: *Anna Minopria Filia Joſephi habitantis in Parochia S. Mariæ in Pertica, tranſlata ad ædes Auguſtini Muſanti, ſui, uti illa dicit, Conſobrini ante Paſcha Anni currentis* MDCCXXX.

Denique afferebatur etiam pro eadem Anna Statutum Civitatis Papienſis, cujus verba ſunt hæc: *Statuimus, quod quælibet perſona Civitatis Papiæ intelligatur, & ſit, & eſſe cenſeatur cum omnibus de Familia ſua de, & in illis Porta, & Parochia, in qua, vel in quibus pro majori parte anni ipſa Perſona communiter, & ipſe cum Familia ſua ingreditur, & regreditur ſuæ habitationis Domum, quoad honores, & onera.*

At contra Annam urget teſtificatio Parochi dictæ Eccleſiæ S. Nicolai, nec non alterius Presbyteri, eum adjuvantis in exercitio Curæ Animarum, aliorumque trium teſtium, per quam contendit Pia Domus Puellarum Orphanarum ſatis conſtare, Annam tranſmigrâſſe in Domum Muſanti non alio conſilio, quàm, ut Subſidium Dotale aſſignandum Puellis Parochiæ S. Nicolai obtineret, & hunc in finem curâſſe antea, ut in aliam Domum ejuſdem Parochiæ exciperetur, promiſsâ hoſpiti alimentorum mercede; quam ſanè perſolvi iſidem conſueviſſe Auguſtino Muſanti (ut dicti Teſtes ajunt) veroſimile ob ejus paupertatem eſt.

Accedit ad hæc, quod ſub initium Menſis Aprilis currentis anni idem Auguſtinus Muſantus aliam Domum conduxit in Parochia S. Mariæ de Pertica, in qua etiam domicilium habebat ſuperioribus annis; nam in alia Parochia S. Nicolai moram fecit ſolùm à Menſe Martio MDCCXXX. uſque ad Kal. Aprilis vertentis anni. Anna autem eodem Menſe Aprilis rediit per aliquot dies ad Domum Patris ægroti, ſed poſt ejus obitum iterum petiit Domum Muſanti, in qua etiamnum manere aſſeritur.

Venio nunc ad Clauſulam: *Ad mentem*: quæ Reſcripto adjecta fuit. Subiit animos Eminentiſſimorum Patrum dubitatio, num P. Guardianus Capucinorum ſit capax juris nominandi ad hujuſmodi Subſidium Dotale, an verò obſtet inſtitutum Ordinis, ideoque ſit providendum ſaltem in futurum?

Porro de Fratribus Minoribus extat Conſtitutio Clementis V. in Clementina: *Exivi de Paradiſo*, §. *Cupientes igitur de Verb. ſignif.*: quæ hæc habet: *Amplius, cum non ſolùm, quod malum eſſe dignoſcitur, ſed omne, quod ſpeciem mali habet, ſit à viris perfectis ſpecialiter evitandum: ex talibus autem aſſiſtentiis in Curiis, & inſtigationibus, cum de rebus agitur, in ipſorum commoda convertendis, creduntur veriſimiliter ex his, quæ foris patent, (de quibus habent homines foris judicare) in ipſis rebus Fratres aſſiſtentes aliquid quærere tanquam ſuum: nullo modo debeant hujuſmodi voti, & regulæ profeſſores ſe talibus Curiis, & litigioſis actibus immiſcere, ut & teſtimonium habeant ab iis, qui foris ſunt, & puritati ſatisfaciant voti ſui, ac evitetur per hoc ſcandalum proximorum. Verùm etiam dicti Ordinis Fratres non ſolùm à receptione, proprietate, dominio, ſeu uſu ipſius pecuniæ, verùm etiam à contrectatione qualibet ipſius, & ab ea ſint penitus alieni, quemadmodum ſæpedictus Prædeceſſor noſter in declaratione hujuſmodi Regulę planè dixit: cum dicti Ordinis profeſſores pro nulla re temporali poſſint in judicio experiri, prædictis Fratribus non licet, nec competit, quin potius conſideratâ ſui puritate ſtatûs, debent ſibi ſcire interdictum, quod hujuſmodi executionibus, & diſpoſitionibus ſe exponant, cum hæc ſæpiùs abſque litigio, & contrectatione, vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri. Verumtamen in his exequendis dari conſilium ipſorum ſtatui non obſiſtit, cum ex hoc ipſis circa bona temporalia nulla juriſdictio, ſive actio in judicio, ſive diſpenſatio tribuatur.*

Ex hac autem Pontificia ſanctione multi graves Doctores inferunt, Fratribus Minoribus non ſolùm minimè licere fungi officio Exequutorum ultimarum voluntatum, ſed nec etiam exercere munus, ſibi à Teſtatore commiſſum eligendi pauperem, cui ſubſidia ab eo relicta tribuantur, ùt hanc ſententiam propugnantes refert *Sanchez ad præcep. Decal. lib. 6. cap. 11. num. 28. ad 32.*

Alii verò exiſtimant vetitum quidem eſſe dictis Fratribus quodcunque officium, quod cum rerum temporalium adminiſtratione, vel pecuniæ contrectatione conjunctum ſit: at eorum inſtitutis non repugnare, quod actum charitatis expleant, inveſtigando, quinam ſint magis digni, quibus detur pium ſubſidium, juxta mentem Teſtatoris, eoſque eligendo, vel nominando, cum ab his terminis procul abſit omnis ratio prohibitionis, iiſque potius conveniat limitatio, quæ habetur in poſtremis verbis memoratæ Conſtitutionis, declarantis, non prohiberi, quò minus tales Religioſi officium gerant conſultoris in piis legatis exequendis. Itaque hanc ſententiam probabiliorem affirmat *Sanchez loco citato num. 82.* Et in ſpecie electionis pauperum Puellarum à Teſtatore commiſſæ Guardiano Capucinorum

pro

pro obtinendis Subſidiis Dotalibus : eandem opinionem tuetur *Card. de Luc. de Teſtam. diſc. 56. num.* 10. ſubjiciens ſe pro certo habere, ita fuiſſe judicatum in quadam cauſa Spoletana, quæ coram Auditore Cameræ agitabatur.

At in cauſa *Nullius, ſeu Montis Caſini diſtributionis Subſidiorum Dotalium* relatâ in hac Sac.Cong.*die* XXIV.*Sept.*MDCCXXIX. ſuppoſitum fuit, Capucinos iſtiuſmodi electionem exercere non poſſe; nam, quamvis in hoc articulo minimè vertetur quæſtio tunc propoſita, in facti tamen narratione hæc habentur: *Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium ſub die 28. Septembris 1696. ad ſupplicationem Ordinarii Caſſinenſis, ac inhærendo ejus antiquis Decretis, declaravit Patres Capucinos eſſe incapaces hoc munere diſtribuendi dotes, illudque ſpectare ad prædictum Ordinarium. In vim hujus Decreti cenſuit Curia Caſſinenſis eaſdem Dotes diſtribuere, prævia affixione Edictorum, exindeque conſideratis requiſitis Puellarum concurrentium.* Cumque Sac. Congreg. edidiſſet deciſionem dubiorum, quæ verſabantur circa modum eligendi Puellas, & circa conditiones in eis requiſitas, deinde in confirmatione ejuſdem deciſionis, factâ die XXVIII. Jan. MDCCXXX. addidit hæc verba: *Ordinarius, ſeu ab eo deputatus aſſiſtat, & omnia faciat loco P. Guardiani Capucinorum, ſervata forma Teſtamenti.*

In dubium quoque venire aliàs contigit, an ſuſtineretur Jus nominandi Presbyterum ad Cappellaniam, quod quidam Teſtator in perpetuum detulerat Guardiano Capucinorum. Quare *in Comachen. Electionis*, propoſito hoc Dubio: *An nominatio P. Guardiani Capucinorum ſuſtineatur, & cui ex nominatis ſit adjudicanda Cappellania?* Sac. Congreg. die XXIX. Dec. MDCCXXII. quoad priorem illius Dubii partem diſtulit reſolutionem. Neque verò poſtea redintegrata fuit diſcuſſio ejus quæſtionis, quia ſimul deciſum fuerat Cappellaniam ſpectare ad eum Sacerdotem, qui electus fuerat non ſolùm à dicto P. Guardiano, ſed etiam à P. Superiore S. Auguſtini, quibus conjunctè facultatem hanc tribuerat Teſtator.

Cæterùm, etiamſi Sac. Congr. providendum cenſeret circa futuros caſus, id tamen, niſi aliud obſtet, non videretur detrimentum ullum afferre poſſe Annæ Minopriæ, quæ ad Subſidium Dotale nominata fuit à P. Guardiano, exiſtente in poſſeſſione nominandi jam inde ab Anno MDCCXIII. juxta notata per *Paſſerin. de ſtat. Homin. Tom.* 2. *Quæſt.* 177. *Art.* 2. *num.* 124. *& ſeq.*

Dignentur igitur EE. VV. decernere: *An ſtandum ſit, vel recedendum à deciſis die* XXI. *Aprilis* MDCCXXXI?

Recedendum à deciſis. (*)

(*) *Reſolutio S. Congregationis.*

Domus Orphanorum cum ex hac deciſione ſibi præjudicium timeret, ab illa recedi, & primam ſub XXI. Aprilis MDCCXVXI. confirmari ſupplicavit, quod Sacræ Congregationi ita fuit propoſitum.

Die primâ Decemb. MDCCXXXI.

Papien. Subſidii Dotalis.

Juxta facti ſpeciem fuſiùs expoſitam in folio Congregationis habitæ die XVI. Auguſti exeuntis anni, Anna Minopria contendebat ſibi competere Subſidium Dotale, ad cujus aſſecutionem electa fuerat anno MDCCXXX., quo ſcilicet anno hujuſmodi ſubſidia aſſignanda erant Puellis Parochiæ S. Nicolai. Ex diverſo autem pia Domus Puellarum Orphanarum, quam Teſtator in hoc emolumento ſubſtituit, quoties deeſſent Puellæ, conditionibus ab eo præſcriptis pollentes, exiſtimabat illud ſibi eſſe adjudicandum, propterea, quod dicta Anna non haberet verum, propriumque Domicilium in Parochia S. Nicolai, ſed divertens â Patre alibi morante, migraverit ad eam Parochiam ad tempus, & ex induſtria, ut Subſidium Dotale obtineret, deinde ad Paternam domum reverſura.

Itaque die XXI. Aprilis diſceptatum fuit: *An electio Puellæ Oratricis ad Subſidium Dotale, de quo agitur, ſit exequenda?* Et Sacra Congregatio reſpondit, *Negativè, & ſubſidium applicandum eſſe favore Conſervatorii*: Verùm causâ rurſus propoſitâ die XVIII. Auguſti, reſcriptum fuit. *Recedendum eſſe â deciſis.*

In hoc autem Reſolutionum conflictu, Pia Domus Orphanarum timens, ne per hoc exemplum facilis atque aperta tradatur via eludendi Mentem Teſtatoris, & fruſtrandi ſubſtitutionem ipſius piæ Domûs, poſtulat perpenſis iterum rationum momentis deliberari. *An ſit ſtandum in primo, vel in ſecundo loco deciſis?*

In ſecundo loco deciſis, & amplius, & in poſterum ſervetur Edictum Epiſcopi. (**)

(**) *Reſolutio S. Congregationis.*

Ex foliis Sac. Congreg. Concilii

N O T A.

Prolixior debet hic fieri digreſſio, cum obſcurior aliquibus debeat videri cauſæ diſcuſſio. Fuit illa ternâ vice in Sacra Concilii Congregatione ventilata, & quidem prima vice, die ſecunda

Aprilis 1731. quin tamen primæ propoſitionis narratio verbatim hîc extendatur, cum eam ſuprà collocata ſubſtantialiter contineat cum ſua deciſione, quæ ad duo, tunc poſita quæſita, data fuit, prout ſequitur.

Ad primum, negativè.

Ad ſecundum, Subſidium applicandum eſſe favore Conſervatorii, & ad Mentem.

Circa quæ duo verba, *ad Mentem* quæ ſolùm partes Capucinorum involvunt, ſciendum eſt, quod occurrente caſu, quo laconicè id, quod in S. Congregatione tractatur, explicari nequit, aut aliàs circa connexa cauſæ reſtet aliqua dubietas, Hæc deciſioni addere ſoleat, *ad Mentem*, quæ dein vel per Reverendiſſimum D. Secretarium pateſcit, vel in nova cauſæ propoſitione enucleatur, prout contigit in hac ipſa cauſa Papienſi, in qua, ſub die 18. Auguſti ejuſdem anni 1731. uti ſuprà, repropoſitâ, detectum fuit, quod Eminentiſſimos Patres in prima deciſione ſubierit dubitatio, an Capucinis ineſſet capacitas nominandi puellas ad talia ſubſidia? Cumque rationes in diſtributo tunc folio in horum favorem adductæ, Eminentiſſimo Senatui viderentur ſolidæ, prodiit deciſio.

Recedendum à deciſis.

Quæ in ampliore, & genuino ſuo ſenſu dicit, quod electio Puellæ Oratricis ad Subſidium Dotale, de quo agitur, ſit exequenda; & conſequenter ſubſidium hujuſmodi non ſit applicandum favore Conſervatorii, ac nominatio Patris Guardiani, ceu legitima ſubſiſtat.

Quod & in tertia cauſæ propoſitione fuit confirmatum per Decretum.

Standum in ſecundo loco deciſis, & amplius, & in poſterum ſervetur Edictum Epiſcopi.

In qua clauſula verba, *& amplius* indicant, eſſe mandatum, quod cauſa hæc, non amplius debeat proponi &c.

Attento proin graviſſimo Sac. Congregationis judicio nemo amplius carpere poteſt praxin, quâ Capucini juxta diſpoſitiones teſtamentarias Puellas ad Subſidia Dotalia, vel, ex paritate rationis, Sacerdotes ad Beneficia, vel Juvenes ad Seminaria &c. nominant, ſeu ſimpliciter eligunt, omni alia actione, ſtatui eorum difformi, ſemotâ.

Nemo quoque in hujus cauſæ relatione, etiam illa, quæ jus Capucinorum non attingunt, hîc poſita eſſe, ſuccenſeat. Factum hoc fuit ex motivo, ne, dum quædam mutila viderentur, doloſè aliqua, juri noſtro adverſantia, fuiſſe reſecta, cenſeretur.

Alia autem exempla, quæ jus hujuſmodi coadjuvant, monſtrabit Index generalis *Verb. Jus nominandi &c.*

Indulgentiam plenariam pro Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium in Feſto Commemorationis Sacrorum Stigmatum, S.P. Franciſco impreſſorum ad futura tempora perpetuat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CÆleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem fidei noſtræ credidit Divina dignatio, libenter erogamus, cum ad fovendam, excitandamque Fidelium devotionem ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Supplicationibus itaque Dilecti Filii Bernardini à Sancto Angelo in Vado Procuratoris, & Commiſſarii Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, favorabiliter aſſenſum præbere cupientes, omnibus utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Domorum tam Fratrum, quàm Monialium ubique exiſtentium ejuſdem Ordinis, die Feſto Commemorationis Impreſſionis Sacrorum Stigmatum, quibus dictus Sanctus Franciſcus in Monte Alverniæ Redemptionis Noſtræ Signis, mirâ Dei gratia decoratus fuit, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXX. Auguſti MDCCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. Q. num. 62.

DE-

DECRETO.

Sacræ Congregationis Indulgent. &c. præpoſitæ, à Sanctiſſimo approbato declaratur, quod Eccleſiæ, Capellæ & Oratoria publica in Reſidentiis, & Miſſionum Hoſpitiis gaudeant Indulgentiis generaliter Ordini conceſſis.

ORDINIS FF. CAPUCINORUM.

CUM pro parte Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum, Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, humillimè ſupplicatum fuerit pro declaratione dubii: an Eccleſiæ, Capellæ, & Oratoria publica in Reſidentiis, & Hoſpitiis Miſſionum præfati Ordinis gaudeant Indulgentiis, generaliter conceſſis omnibus Eccleſiis Ordinis ejuſdem? Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita, die XXVII. Maji MDCCXXXII. cenſuit gaudere, dummodo tamen Eccleſiæ, & Oratoria ſint publica, & fixa, & ad quæ confluant fideles ad ſacrum audiendum, & ad recipienda Eccleſiæ Sacramenta. Quibus relatis per me infraſcriptum Secretarium ſub die undecima Junii ejuſdem anni Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ XII. Sanctitas ſua benignè approbavit.

Card. Picus Præfectus.

Locus ✠ Sigilli.

J. Archiepiſc. Tyren. Secret.

Exempl. Authent. in Arch. gen. Ord. Tom. Q. num. 63.

Conſtitutionem fel. rec. Clementis IX. de Reſidentia Diffinitorii Generalis Romæ innovat, ac perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robore communit; ut Hoc quacunque hebdomada bina vice ſaltem, ad definienda S. Religionis negotia congregetur, ſtatuit: Quid in caſu, quo quis Diffinitor Generalis ad nativam Provinciam rediret, agendum ſit, præſcribit: &, ut nullum Curiæ Romanæ Tribunal, ſeu Congregatio cauſam, vel litem, in Diffinitorio Generali priùs non deciſam, recipiat, ſub nullitate actorum prohibet.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoris officii, quod authore Domino gerimus, ſolicitudo Nos admonet, ut Chriſtifidelium, qui è fluctibus Sæculi in arctioris Religionis portum confugerunt, ſalubri regimini, qnantùm Nobis ex alto conceditur, proſpicere jugiter ſtudeamus.

Dudum ſiquidem occaſione Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Anno MDCLXVII. in Alma Urbe noſtra celebrati, inter alia plurima Decreta pro felici dicti Ordinis gubernio cum conſenſu, & approbatione omnium Vocalium in eo congregatorum facta, & ſtabilita, expreſsè ſtatutum, ac ordinatum fuit, quod Diffinitores Generales ejuſdem Ordinis in Urbe præfata reſiderent, quibus pro urgentibus, & gravioribus negotiis Religionis communis foret commiſſio generalis, facta Procuratori Generali per Miniſtrum Generalem, ita, ut procederent inſimul, & conjunctim uſque ad Capitulum Generale Ordinis hujuſmodi, ac poſtmodum omnia, & ſingula Decreta præfata per relationem bon. mem. Hieronymi, dum viveret, S. R. E. Cardinalis Farneſii nuncupati, dicti Ordinis apud Sedem Apoſtolicam Protectoris à fel. record. Clemente Papa IX. Prædeceſſore noſtro approbata, & confirmata fuerunt, prout in ipſius Clementis Prædeceſſoris literis, deſuper in ſimili forma Brevis die IX. Septembris ejuſdem anni MDCLXVII. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſo, & ad verbum inſerto habere volumus, uberiùs continetur.

Cùm autem, ſicut Venerabilis Frater Noſter Franciſcus Epiſcopus Oſtien., & Veliternen. S. R. E. prædictæ Cardinalis Barberinus etiam nuncupatus, Ordinis præfati apud Nos, & eamdem Sedem ſimiliter Protector, Nobis nuper expoſuit, enarrata Ordinatio, ſeu Diſpoſitio circa Diffinitores Generales nuſquam, vel parum hucuſque obſervata fuerit, eo quod ipſi Diffinitores aſſueti vivendi rationi, ac moribus in ſuis Provinciis vigentibus, & ad illos Urbis præfatæ ægrè ſeſe accommodantes procurabant, facileque obtinebant à Romanis Pontificibus, Prædeceſſoribus Noſtris licentiam revertendi in proprias Provincias, unde factum eſt, ut omnis diſcuſſio, ac definitio negotiorum, majoris etiam momenti dicti Ordinis fere ſemper ſita eſſet in arbitrio ſolius Miniſtri Generalis, pro tempore exiſtentis, vel Procuratoris Generalis, qui, abſente eodem Miniſtro Generali deputatur juxta conſuetudinem ejuſdem Ordinis in Commiſsarium Generalem pro Ultramontanis, ſi Miniſter Generalis in Italia, Italicis autem Provinciis, ſi ultra

Montes extiterit; experientiâ verò compertum fuerit, perniciofum, ac rationi minimè conſentaneum eſse, quod Superiores, ſive Prælati majores dicti Ordinis deſtituantur ope, & auxilio, quæ accipere poſsent à Diffinitoribus Generalibus præfatis, à quibus, utpote gnaris rerum, ac morum ſuæ Nationis multùm juvari poſsent ad negotia certiùs, maturiùſque definienda, minùſque deceat Officium dictorum Diffinitorum Generalium propè otioſum, & inutile jacere, contra mentem Conſtitutionum, & antiquam Ordinis prædicti obſervantiam, ac proinde dilecti Filii modernus Miniſter, & duo Diffinitores Generales, in Urbe præfata de preſenti exiſtentes, unà cum aliquot aliis præſtantibus, ac ætate provectioribus Religioſis ejuſdem Ordinis coram ipſo Franciſco Epiſcopo Cardinale congregati, unanimiter cenſuerint, aliquod huic rei remedium, antequam in Capitulo Generali dicti Ordinis propediem celebrando electiones fiant, adhibendum fore. Quare memoratus Franciſcus Epiſcoqus Cardinalis Nobis humiliter ſupplicavit, quatenus in præmiſſis opportunè providere, &, ùt infrà, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ejuſdem Franciſci Epiſcopi Cardinalis votis, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſupradictam Ordinationem in Capitulo Generali anni MDCLXVII. quoad Diffinitores Generales editam, ùt præfertur, & prout illam concernunt Clementis Prædeceſſoris literæ præfatæ, auctoritate Apoſtolica, ac tenore præſentium confirmamus, pariter, & approbamus, & quatenus opus ſit innovamus, illique perpetuæ, ac inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus. Præterea volumus, atque ſtatuimus, quod ipſa Commiſſio Generalis Procuratori Generali impertiri ſolita, in poſterum ab eo in urgentibus, & gravioribus negociis Religionis unà cum dictis Diffinitoribus Generalibus ſimul, & collegialiter unitis exerceatur, quodque hoc Diffinitorium, cui communis erit Commiſſio Generalis, bis ſaltem qualibet hebdomadâ congregari debeat cum eodem Procuratore Generali, qui illius congreſſibus præſideat, pro definiendis hujuſmodi negociis urgentibus, & gravioribus pro tempore occurrentibus, quæ tam à Procuratore Generali, quàm ab unoquoque ex Diffinitoribus Generalibus præfatis proponi poſſint, & in caſu cujuſvis inter eos diſcrepantiæ procedatur per ſecreta Suffragia, quemadmodum in Diffinitorio Generali ſervatur.

Si quis autem ex Diffinitoribus Generalibus prædictis in Urbe reſidere nolit, aut propter aliquod legitimum impedimentum non poſſit, privatus remaneat omnibus privilegiis, & prærogativis, quibus uti Diffinitor Generalis hujuſmodi potiebatur, & tunc per ipſum Diffinitorium Generale cum conſenſu Miniſtri Generalis alius Diffinitor Generalis, ex eadem tamen natione, eligatur, & in illius locum cum iiſdem privilegiis, & prærogativis ſubſtituatur, ac ſubrogetur, ut Diffinitorium ſemper integrum ſit, & completum. Inſuper, ut dicti Diffinitores Generales eò magis invitentur, & alliciantur ad reſidendum in Urbe præfata, quò operam ſuam obſequiis propriæ Religionis, ejuſque negociis tractandis ac decidendis impenſiùs addictam, & continuò navandam fore cognoverint: Nos inhærentes ejuſdem Ordinis Conſtitutionibus, quibus præſcribitur, recurſum, & appellationem interponendos eſſe gradatim à Guardianis ad Miniſtros Provinciales, & ab his ad ipſum Miniſtrum Generalem, ejuſque Diffinitorium, antequam cauſæ, & lites ad alia Tribunalia extra dictum Ordinem deferantur, omnibus & ſingulis Romanæ Curiæ Tribunalibus, Judicibus, Officialibus, & Miniſtris, ac quibuſvis, etiam Venerabilium Fratrum Noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Congregationibus, ne iſtiuſmodi cauſas, & lites recipiant, & cognoſcant, niſi, juxta modum ſuperiùs expreſſum, in dicto Diffinitorio Generali prius agitatæ, & definitæ fuerint, ſub pœna nullitatis actorum, & quoad Religioſos recurrentes, ſeu appellantes, qui præmiſſis contravenerint, ſub gravibus noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis arbitrio infligendis pœnis, auctoritate præfata, harum ſerie prohibemus.

Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inconcuſsè obſervari, iiſque reſpectivè pleniſſimè ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis præfati, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem,

tem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ, in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die v. Maji MDCCXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Maji 1733. fol. 14. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. R. *num.* 4.

N O T A.

NAſcebatur circa hanc Conſtitutionem aliquando dubium ob verba: *Si quis autem ex Diffinitoribus Generalibus prædictis in Urbe reſidere nolit..... privatus remaneat omnibus privilegiis, & prærogativis..... Et tunc per ipſum Diffinitorium Generale, cum conſenſu Miniſtri Generalis alius Diffinitor Generalis, ex eadem tamen Natione, eligatur*: Fuitque ab aliquibus prætenſum, quòd, & eadem ſubſtitutio alterius Diffinitoris Generalis fieri deberet, caſu, quo aliquis Diffinitor Generalis è vivis diſcederet, (ſicuti contigit cum RR. PP. Cyrillo à Cubla Hiſpano, Antonio à Palazzuolo Neapolitano, & Jordano Waſſerburgenſi Germano) ob verba Conſtitutionis ſubſequentia: *Ut Diffinitorium integrum ſit, & completum.* Ex Oraculo autem, facto Reverendiſſimo Patri Bonaventuræ à Ferraria Miniſtro Generali à Pontifice, qui Conſtitutionem hanc edidit, ſubſtitutio prætenſa in caſu mortis locum non habet, reſervaturque in tali caſu jus eligendi alium Diffinitorem Generalem Capitulo Generali, debentque illa verba: *Ut Diffinitorium integrum ſit &c.* intelligi, non de integritate numeri, id eſt, quod debeant ſemper eſſe ſex Diffinitores Generales, ſed de integritate loci, id eſt, quòd omnes Diffinitores Generales, qui pro tempore exiſtunt, integrè Romæ cohabitent, & non per regiones, & Nationes unus, aut alter eorum ſit diſperſus.

D E C R E T O.

Sacræ Rit. Congregationis Ordinariæ, â Sanctiſſimo approbato, in Cauſa Canonizationis B. Seraphini de Aſculo Laici, de virtutibus tam Theologicis, quàm Cardinalibus in gradu heroico conſtare, declaratur.

A S C U L A N A

C A N O N I Z A T I O N I S.

B. Seraphini de Aſculo Laici Profeſſi Ordinis Minorum Capucinorum S. Franciſci.

SIgnatâ per ſan: mem: Clementem PP. XI. anno MDCCXII. commiſſione reaſſumptionis Cauſæ Canonizationis B. SERAPHINI de ASCULO in ſtatu, & terminis, in quibus reperiebatur, ac approbato ſub die 11. Martii MDCCXIX. annuente eodem Summo Pontifice die XIX. Aprilis dicti anni, Cultu publico in vim Indultorum Apoſtolicorum præfato BEATO exhibito, ſive caſu excepto à Decretis San: mem: Urbani PP. VIII., diſcuſſa poſtmodum fuit, & approbata ſub die XIV. Decembris MDCCXX. validitas proceſſuum, auctoritate Apoſtolica confectorum ſuper Virtutibus, & Miraculis in ſpecie dicti BEATI; ſucceſſivè conceſſis Officio, & Miſſa in illius honorem ſub Ritu Duplici pro toto Seraphico Minorum Ordine Sancti Franciſci, pro Civitate, & Diæceſi Aſculana, ac pro Terra Montis Granarii, Patriâ ejuſdem BEATI, nec non facta translatione illius Sacri Corporis ab Altari, in quo jacebat, ad aliam Cappellam, in Eccleſia PP. Capucinorum, Civitatis Aſculi, conſtructam ſumptibus propriis Marchionis Joannis Baptiſtæ Caucci; vigore poſtmodum reſolutionis Congregationis particularis nonnullorum EE. DD. Cardinalium, à SS. D. N. Clemente PP. XII. deputatæ, & enixè ſupplicantibus Adm R. P. Petro Maria â Luca Ex-Procuratore Generali Ordinis Capucinorum, ac prænominato Marchione Joanne Baptiſta Cauccio hujus Cauſæ Poſtulatoribus, diſcuſſum fuit in Sac. Rituum Congregatione Ordinaria, abſque interventu Conſultorum infraſcriptum dubium: *An conſtet de Virtutibus ejuſdem B. SERAPHINI tam Theologalibus, ſcilicet Fide, Spe, & Charitate in Deum, & Proximum, quàm Cardinalibus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque reſpectivè annexis in gradu heroico, in caſu, & ad effectum, de quo agitur?* Sac. eadem Congregatio audito in ſcriptis, & in voce Reverendiſſimo Promotore Fidei, reſcribendum cenſuit; Ita conſtare de Virtutibus prædictis Theologalibus, & Cardinalibus, ut tutò procedi poſſit ad diſcuſſionem Miraculorum, ſi SS. D. N. viſum fuerit. Die IX. Martii MDCCXXXIII.

Factaque per me Secretarium de prædictis SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua prædictam reſolutionem confirmavit, & approbavit. Die XIX. ejuſdem menſis, & anni MDCCXXXIII.

A. F. Card- Zondadari Pro-Præf.

Loco ✠ Signi.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apam. S.R.C. Sec.

Exempl. Typis Cameræ Apoſt. impreſſa in Arch. gen. Ord. Tom. R. *num.* 50.

NO-

N O T A.

UT Decreta, quæ in ſuperius poſito vocantur, & cauſam hujus Beati principaliùs concernunt, neminem lateant, ea hic ſubjungere viſum eſt.

D E C R E T U M.
D E C U L T U P U B L I C O
A S C U L A N A.

Canonizationis B. SERAPHINI de Aſculo, ſeu de Monte Granario Laici Profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum.

COnſtructo Auctoritate Apoſtolica in cauſa Canonizationis B. SERAPHINI prædicti proceſſu ſuper Cultu publico, eidem BEATO præſtito, ſive ſuper caſu excepto à Decretis ſan. mem. Urbani PP. VIII. ejuſque examine ad inſtantiam Poſtulatorum hujuſmodi cauſæ per Eminentiſſimum & Reverendiſſimum D. Cardinalem Barberinum Ponentem in Sac. Rit. Congregatione propoſito, diſcuſſoque dubio : An Sententia Judicis à Sac. Congregatione lata ſuper caſu excepto à Decretis ſan. mem. Urbani PP. VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur? *Sac. Eadem Rit. Congregatio, audito prius tam in ſcriptis, quàm in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, cenſuit, procedi poſſe ad ulteriora, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 11. Martii 1719.*

Factâque per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit Die 19. Aprilis ejuſdem anni 1719.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſc. Liparitanus S. R. C. Secret.

D E C R E T U M.

De validitate Proceſſuum, Auctoritate Apoſtolica ſuper virtutibus & miraculis confectorum.

A S C U L A N A, S E U F I R M A N A.

Canonizationis Beati Seraphini à Monte Granario Laici Profeſſi Ordinis Capucinorum.

AB Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Cardinali Barberino propoſitâ ex Diſpenſatione Apoſtolica in Sac. Rituum Congregatione Ordinaria abſque interventu Conſultorum Cauſâ Beati Seraphini prædicti, diſcuſſoque in ea dubio : An conſtet de validitate Proceſſuum Auctoritate Apoſtolica, & Ordinaria in Civitatibus Aſculana, & Firmana conſtructorum, Teſtes ſint ritè, & rectè examinati, ac jura legitimè compulſata in caſu? &c. *Sac. eadem Rituum Congregatio tàm in ſcriptis, quàm in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore priùs audito reſcribendum cenſuit : Conſtare de validitate Proceſſuum Auctoritate Apoſtolica, & non conſtare de validitate Proceſsûs Auctoritate Ordinaria, ſi Sanctiſſimo D. N. viſum fuerit, Die 14. Decembris 1720.*

Factâque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 18. ejuſdem Menſis, & Anni 1720.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſc. Liparitanus S. R. C. Secret.

D E C R E T U M.

De Officio & Miſſa.

B E N E D I C T U S P A P A XIII.

CUM attenta approbatione publici Cultûs, vigore Indultorum Apoſtolicorum B. SERAPHINO de Aſculo Ordinis Minorum Capucinorum præſtiti, ſeu caſûs excepti à Decretis ſan. mem. Urbani PP. VIII. factâ in Congregatione Sacrorum Rituum ſub die 11. Martii 1719., annuente poſtmodum die 19. Aprilis dicti anni ſan. mem. Clemente PP. XI. ex parte, & ad inſtantiam Marchionis Joannis Baptiſtæ Caucci dictæ Cauſæ Poſtulatoris, Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto PP. XIII. ſupplicatum fuerit, quatenus concedere dignaretur, ut in poſterum, ſingulis annis, in honorem prædicti BEATI die 12. Octobris, anniverſariâ illius obdormitionis in Domino, tam in toto Seraphico Ordine Minorum S. Franciſci, quàm etiam in Civitate, & Diæceſi Aſculana, ubi Sacrum ejuſdem BEATI Corpus requieſcit, & colitur, ac in Terra Montis Granarii Firmanæ Diæceſis, ubi natus fuit, recitari poſſet Officium, & celebrari Miſſa de Communi Confeſſoris non Pontificis, ſub ritu duplici, ab omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus utriuſque Sexûs, qui ad Horas Canonicas tenentur.

Sanctitas Sua, cum prius recognoſci, ac perpendi fecerit à Reverendiſſimo Carolo Alberto Cavalchino Archiepiſcopo Philippenſi Fidei Promotore ſupplicem libellum, Eidem Sanctitati Suæ porrectum, ac ſcripturas omnes ſuper hujuſmodi inſtantia jam pridem exaratas, & impreſſas, cum animadverſionibus Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Cardinalis Lambertini, tunc Fidei Promotoris, ac reſponſionibus ad eas per Poſtulatores datis, & nihil in illis à dicto Archiepiſcopo Philippenſi inventum fuerit, quod hujuſmodi inſtantiæ obſtare poſſet, Officium & Miſſam in honorem B. SERAPHINI prædicti pro die 12. Octobris, juxta petita, ſervatis tamen Rubricis Breviarii, & Miſſalis Romani, benignè indulſit, atque conceſſit Die XVIII. Menſis Julii MDCCXXIX.

Exemplaria Typis Cameræ Apoſt. impreſſa, & Authenticata cum aliis ad cauſam hanc ſpectantibus in Arch. gen. Ord. Tom. R. *num.* 50.

P. Bo-

F. Bonaventuram à Ferraria Miniſtrum Generalem, ob Apoſtolici Concionatoris munus, ab obligatione viſitandi Provincias eximit, Eique alios Viſitatores pro caſu neceſſitatis in vices conſtituendi, facultatem largitur.

CLEMENS PAPA XII.

A tergo. *Dilecto Filio Bonaventuræ á Ferraria Miniſtro Generali Ordinis FF. Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum.*

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis Zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales.

Cum itaque, ſicut accepimus, Tu Apoſtolici Concionatoris munere præpeditus, regulari viſitationi Provinciarum, & Conventuum tui Ordinis per Te ipſum incumbere nequeas, Nos de tua prudentia, charitate, integritate, religionis zelo, & rerum agendarum peritia plurimùm in Domino confiſi, Teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium tantùm conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, Tibi, quem à dictæ Viſitationis exercitio opportunè diſpenſamus, Viſitatores ejuſdem Ordinis eligendi, eoſque ad reſpectivè Provincias mittendi, qui tuas vices gerant, cum conſuetis facultatibus, de more eiſdem Viſitatoribus concedi ſolitis, quas tamen Tu moderari, & ampliare, prout neceſſitas exegerit, & communi Religionis bono in Domino expedire arbitraberis, liberè, & licitè poſſis, & valeas, tenore præſentium, licentiam concedimus, & impertimur.

Mandantes propterea in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis Provinciarum, & Conventuum hujuſmodi Fratribus, & Perſonis, cœteriſque, ad quos ſpectat, ut Viſitatores, vigore præſentium pro tempore deputatos recipiant, & admittant, illiſque pareant, & obediant, ac illorum ſalubria monita, & mandata recipiant, humiliter, & efficaciter adimplere procurent, decernentes nihilominus irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, Provinciarum, & Conventuum hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Auguſti MDCCXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apoſt. Reg. Aug. 1733. fol. 3. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. AA. *num. 26.*

N O T A.

COmmuni quidem divinæ Providentiæ conſilio hucuſque nobis ſemper fuit proviſum de Viris, quorum induſtrio Zelo, Religio noſtra, copiosè ſuper faciem orbis effuſâ Religioſæ Profeſſionis Sobole multiplicata, *& poſita eſt in ſuperbiam Sæculorum*, ſingulare tamen, & novum fuit divinæ dignationis opus, dum in illa plantavit P. Bonaventuram Barberinum à Ferraria, ſuprà memoratum, utpote, cui cum illo *ſecundùm nomen ejus venerunt bona*, perennis monumenti fidei committenda.

Inter clariora multiformis gratiæ chariſmata, quibus Deus Illum cumulatè exornavit, ſpecialiùs ſemper in eo reſplenduêre, Donum Prædicationis, & Spiritus Regularis Obſervantiæ.

Donum Prædicationis ita illuſtre fuit, ut non ſolùm ad prima Italiæ pulpita, Nomen Domini circumtulerit, in iiſque *palam fecerit diſciplinam doctrinæ ſuæ*, verùm etiam à gl. mem. Innocentio PP. XIII. in Sacri Palatii Apoſtolici Concionatorem fuerit ſelectus. Spiritu Regularis Obſervantiæ autem, ita ſemper agebatur, ut non ſolùm Provincia Bononienſis omnia honoris munia ei contulerit, ſed etiam Comitia noſtra Generalia Anno 1726. Illum Definitorem Generalem, & Anno 1733. Miniſtrum Generalem (in mea Serie quadrageſimum) promulgaverint.

Apoſtolicum, & Regularem laborem, communi applauſu continuatum, ut San. mem. Clemens PP. XII. remu-

remuneraretur, Archiepiſcopatum Urbinatenſem Anno 1739. Ei obtulit. Qui autem jam aliàs hujuſmodi Sacerdotia recuſaverat, etiam ab hocce eximi gratus rogavit.

Nihilominus, dum honores humilis rejecit, ampliores lubens ſuſcepit labores, munus Examinatoris Epiſcoporum aſſumendo, & præhabito Conſultoris Sac. Rit. Congregationis officio, Conſultoratum Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis adjungendo.

Quæ omnia hucuſque exercuit, & adhuc exercet, Populo Romano, Curiæ Vaticanæ, Eminentiſs. DD. Cardinalibus, & Summis Pontificibus ſemper charus, & acceptus. Populo Romano, cujus affectum, morum ſuorum lepore, & candidæ virtutis illicio ad ſe rapit: Curiæ Vaticanæ, quæ in Ejus oraculis & votis, elevatæ Sapientiæ acumen commendat. Eminentiſs. DD. Cardinalibus, quorum dum nonnulli Illum ad confidentiæ conſilia vocant, alii familiarioris amicitiæ favore proſequuntur: Summis Pontificibus, Innocentio XIII. Benedicto XIII. & Clementi XII., inter quos Benedictus ſuæ erga illum æſtimationis ſenſa iteratis, & inſolitis honorariis comprobavit, Eumque ad Apoſtolicas ſuas Conciones publico prælo ſubiiciendas, vario ſtimulo, oblatoque etiam expenſarum peculio, ſæpius incitavit: Innocentius, & Clemens autem, præter diverſa Pontificiæ benevolentiæ ſpecimina Ei, dum in agone contendebant, ſua Fata commiſere. Utrique etiam pari exitu, hoc officium impendit, cum uterque ſub manibus ejus exſpiraverit, diſpari tamen cura & tempore, cum Clemens XII. Eum (præter uſum) ſolum ſibi aſſiſtentem voluerit, & per octo dies, quibus ſuæ reſolutionis tempus expectabat, â ſe elongari non permiſerit.

Fratrum animos dein plenè poſſedit, cum ſe omnibus ſemper exhibuerit Miniſtrum in multa patientia, charitate non ficta, & ſuavitate prorſus miranda. Benedixit etiam Deus illius gubernio, fecitque illud verè glorioſum, dum ſub eo Ven. Dei Servus Joſephus â Leoniſſa Beatorum Syllabo fuit adſcriptus, & ejuſdem cauſa Canonizationis ſignata, cauſa Canonizationis B. Seraphini de Aſculo novo Decreto promota, Cauſa Beatificationis Ven. Dei Servi Fr. Bernardi à Corleone reaſſumpta, & illa de Ven. Servo Dei Laurentio â Brundiſio in Sacra Rituum Congregatione inducta: Dum in Sacello collaterali Baſilicæ Lateranenſis in tabula Altaris Sancti Barbati Epiſcopi imagines BB. Fidelis â Sigmaringa, & Joſephi a Leoniſſa, quorum Beatificationis Solemnia in dicta Baſilica fuère peracta, udo tectorio pingi curavit, Jus deciſum Ordinis typis vulgari, & Bullarium compilari ordinavit, Archivium generale à pulvere otii purgari, & in meliorem ordinem redigi juſſit, plures Literas Apoſtolicas tam pro Ordinis decore, quàm emolumento procuravit, & ea Romæ reſidendo egit, quæ aliàs, illo Provincias circumeunte, effici haud potuiſſent.

Specialem de Eo laudis memoriam fovere debet Provincia Romana, cui (præter diverſa alia beneficia) ex Pontificio ſui Apoſtolici Miniſterii Stipendio in Conventu Præneſtino, Bibliothecam exquiſitâ librorum copiâ formatam, Apoſtolicâ facultate reliquit, ac ipſum memoratum Conventum plurium Cellarum appendice ampliavit.

Servet Deus ad plurium annorum iliades hunc Virum, quem Religioni dedit in ornamentum, & Bonum, & qui ad exemplum Sacerdotis Simonis *in vita ſua ſuffulcit domum, & in diebus ſuis corroborat* Religionis *Templum*.

Eundem Fr. Bonaventuram à Ferraria, Miniſtrum Generalem ob idem Apoſtolici Pulpiti Miniſterium à communibus Conventûs oneribus eximit, &, ut Anteceſſorum ſolitis exemptionibus potiatur, Ei indulget.

CLEMENS PAPA XII.

A tergo. *Dilecto Filio Bonaventuræ â Ferraria Miniſtro Generali Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum.*

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu præter oneroſum Generalatûs Officium, Apoſtolici Concionatoris munere decoratus reperiris, idemque non ſine diurna animi exercitatione explere valeas, cupiaſque propterea opportunè tibi in præmiſſis à Nobis provideri, &, ut infrà, indulgeri.

Nos Te ſpecialis favoris gratiæ proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentiùm tantùm conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut expoſcente neceſſitate, præſertim quoad tempus præcedens conſuetas Conciones, eòque magis quoad illud, cum ejuſmodi Conciones tempore Adventûs, & Quadrageſimæ in Palatio Noſtro Apoſtolico habere debes, iiſdem exemptionibus à communibus Conventûs oneribus, quibus Apoſtolici Concionatores tui Ordinis uſi, potiti, & gaviſi fuerunt, ſeu uti, frui, & gaudere potuerunt, & debuerunt, pari modo, uti frui, & gaudere liberè, & licitè poſſis, & valeas, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, præfati Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis.

vatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Auguſti MDCCXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Auguſti 1733. *fol.* 4. *de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom.* AA. *num.* 27.

F. Vincentium Bragadenum, Provinciæ Venetæ Profeſſum ad Infulas Scardonenſes promovet.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei Dilecto Filio Vincentio à Venetiis electo Scardonen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatûs Officium, meritis licèt imparibus, Nobis ex Alto commiſſum, quo Ecclefiarum omnium regimini, divina diſpoſitione, præſidemus, utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur, & ſolertes, ut, cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolùm doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, Authore Domino, ſalubritèr regere, & feliciter gubernare.

Sanè Eccleſia Scardonen., quæ de Jurepatronatûs Dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis, & Reipublicæ Venetiarum vigore indulti fel. rec. Alexandri PP. VIII. Prædeceſſoris Noſtri, dotationem præſcribentis, ſpectare dignoſcitur, & cui bo. mem. Nicolaus Tomaſich Epiſcopus Scardonen. dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Nicolai Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum Naturæ perſolvit Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Scardonen. celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Scardonen. Perſonam utilem, ac etiam fructuoſam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te, de legitimo matrimonio ex Catholicis, & Nobilibus Parentibus Venetiis natum, ętatis tuæ quadraginta, & ultra annorum, Fratrem expreſsè profeſſum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, & in Sacro Preſbiteratûs Ordine à pluribus annis conſtitutum, quem prædicti Dux, & Senatores Nobis ad hoc per ſuas patentes literas præſentârunt, & de cujus nobilitate generis, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicum virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, eidem Eccleſiæ Scardonen. de Perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum acceptâ, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica Authoritate providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Scardonen. Tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, prædicta Eccleſia Scardonen. ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudentèr, quod Eccleſia ipſa Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque pręter æternæ retributionis præmium, Noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberiùs conſequi merearis: Nos enim Tecum, ut, etiamſi doctoratûs gradu inſignitus non ſis, nihilominus, quia ſufficienti doctrina præditus, & ad dictam Eccleſiam Scardonen. regendam, & gubernandam habilis, & idoneus eſſe dignoſceris, illam regere, & adminiſtrare liberè, & licitè valeas, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictæ Eccleſiæ Scardonen. etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, Apoſtolica Authoritate prædicta, tenore pręſentium de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Volumus autem, quòd Tu, antequam regimini, & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Scardonen. Te in aliquo immiſceas, in manibus Venerabilium Fratrum noſtrorum Patriarchæ Venetiarum, & Epiſcopi Clodien., ſeu alterius eorum, Fidei Catholicæ profeſſionem

juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, emittere, & ſic a Te emiſſæ profeſſionis formam, ad Urbem infra legitima tempora, cum Tui, ac Patriarchæ, & Epiſcopi, aut alterius eorum ſubſcriptione tranſmittere omnino tenearis, quibus, & eorum cuilibet per alias noſtras literas mandamus, ut ipſi, vel eorum alter, à Te ſidei profeſſionem hujuſmodi recipiant, ſeu recipiat. Præterea etiam volumus, quod Tu Theologalem, & Pœnitentiariam præbendam, ac Seminarium ad præſcriptum Concilii Tridentini inſtituas, Montemque Pietatis erigi cures, conſcientiam tuam ſuper his onerantes: & inſuper, quod de triennio in triennium Sedem Apoſtolicam per authentica documenta docere tenearis de Statu ipſius Eccleſiæ Scardonen., & præſertim de redditibus ejuſdem Eccleſiæ Menſæ Epiſcopalis, ita, ut cautum ſit illos conſtituere integram annuam ſummam 1500. ducatorum illius monetæ, & cætera omnia impleta eſſe, quæ per Decretum fel. rec. Innocentii PP. XII. etiam Prædeceſſoris noſtri diſponitur, juxta decretum aliàs factum in particulari Congregatione rerum Conſiſtorialium. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, Quarto Kal. Octobris Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Regiſt. lib. 2. *Anni* IV. *Pontificatus Sm̃i Domini Noſtri Clementis PP. XII. fol.* 210. *de quo exemplar in Arch. gen. Ord. Tom.* AA. *num.* 28.

N O T A.

Claret hic Prælatus genere, Religione, & virtute: Claritati generis teſtimonium dat Sereniſſima Venetiarum Reſpublica, quæ Eum noſcit germen illius Bragadeni Stipitis, ex quo Rami Senatorii honoris, & militaris Sagi fœcundâ ſemper ſerie pullulârunt. Claritatem Religionis comprobat votum, quo Deo ſeſe ligavit, & vi cujus leges Ordinis noſtri ſervat, dum extra eum extat. Claritatem virtutis commendat Scardona, Liburniæ Urbs, & Dalmatiæ Inſula, dum Illum Epiſcopum ſine crimine, & de claritate in claritatem, in via juſtorum procedentem laudat.

D E C R E T U M

Sac. Congregationis Rituum.

De Commiſſione reaſſumendæ cauſæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei P. Laurentii â Brunduſio, olim Generalis, approbat, & ſignat.

B R U N D U S I N A

Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Laurentii à Brunduſio Sacerdotis Ordinis Minorum Capucinorum.

Ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Pico Cauſæ Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Laurentii â Brunduſio Ponente, ex diſpenſatione Apoſtolica, in Sacra Rituum Congregatione ordinaria abſque interventu Conſultorum propoſito, ac diſcuſſo infraſcripto dubio: *An ſit ſignanda Commiſſio reaſſumptionis Cauſæ in ſtatu, & terminis in caſu? &c.* Sac. eadem Rituum Congregatio, in ſcriptis, & in voce R. P. D. Fidei Promotore priùs audito, reſcribendum cenſuit Affirmativè, ſi Sanctiſſimo D. N. viſum fuerit Die XXVIII. Auguſti MDCCXXXIV.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo D. N. Relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, & Commiſſionem propria manu ſignavit. Die XXIV. Menſis Septembris ejuſdem Anni MDCCXXXIV.

A. F. Card. Zondadari Pro-Præf.

Locus ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus S. R. C. Secretarius.

Autograph. inter manus P. Poſtulatoris in Scrinio Cauſæ.

N O T A.

Et alia de hoc Servo Dei vide ſuprà fol. 51. & 52.

Fr. Franciſcum Antonium Correrium, Provinciæ Venetæ Profeſſum, Patriarcham Venetiarum renuntiat.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei Dilecto Filio Franciſco Antonio Correrio Electo Venetiarum Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Oneroſa Paſtoralis officii, diſpoſitione Summi Paſtoris, qui pro ſuis ovibus animam ſuam ponere non recuſavit, Nobis

(licèt

(licèt immeritis) cura commiſſa ſollicita, Nos pulſat juſtitia, cumque, interque undique confluunt negotia, quibuſve Noſter redditur animus, multiplici varietate diſtractus, ad proviſionem Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Patriarchalium, quæ vacationis incommoda deplorare noſcuntur, ſollicitè intendamus, ut eis, cum vacaverint, per noſtram Providentiam circumſpectam, Paſtores accedant idonei, & Miniſtri providi deputentur, qui Eccleſias ipſas non ſolùm gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Sanè Patriarchal. Eccleſia Venetiarum, cui bonæ memoriæ Marcus Gradenicus, ultimus illius Patriarcha, dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Marci Patriarchæ, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta; Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Venetiarum celerem & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, Paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Venetiarum Perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, cum Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te de legitimo Matrimonio, & Catholicis Nobilibus Parentibus in Civitate Venetiarum ortum, in quinquageſimo Nono tuæ ætatis, & à pluribus annis in Sacro Presbyteratûs Ordine conſtitutum, qui Ordinem Fratrum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum amplexus, & profeſſus, & quem Dilecti Filii, Nobiles Viri, Dux, & Dominium Venetiarum vigore Privilegii Apoſtolici, cui non eſt in aliquo hactenus derogatum, Nobis ad hoc per ſuas literas præſentàrunt, cuique apud Nos de Religionis Zelo, Nobilitate generis, vitæ munditia, honeſtate morum, Spiritualium Providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicum virtutum donis, quibus Perſonam tuam, illarum largitor Altiſſimus inſignivit, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos Noſtræ mentis; quibus omnibus debita meditatione penſatis, eidem Eccleſiæ Venetiarum de Perſona tua Nobis, & Eiſdem Fratribus Noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorumdem conſilio, Apoſtolica Auctoritate providemus, Teque illi in Patriarcham præficimus, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationẽ ipſius Eccleſiæ Venetiarum Tibi in ſpiritualibus, & temporalibus committendo, in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia Venetiarum ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem præfatam ſic exercere ſtudeas, ſollicitè, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa Venetiarum Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque, præter æternæ retributionis præmium, Noſtram, & Sedis Apoſtolicæ Benedictionem, & gratiam exinde uberiùs conſequi merearis. Volumus autem, quod Tu fidei Profeſſionem, juxta formam, quam ſub Bulla moſtra mittimus introcluſam, in manibus Venerabilium Fratrum Noſtrorum Paduan., & Clodien. Epiſcoporum, ſeu alterius eorum emittere, illamque ſic emiſſam, cum tui & Epiſcoporum præfatorum, ſeu alterius eorum ſubſcriptione, ad Urbem, infra præfixum tempus tranſmittere omnino tenearis, quibus & alteri eorum per alias Noſtras literas mandamus, ut ipſi à Te Profeſſionem hujuſmodi recipiant, ſeu recipiat. Volumus præterea, quod Tu Montem Pietatis erigi cures, Conſcientiam tuam deſuper onerantes.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo trigeſimo quarto Kal. Decembris Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Exemp. authent. in Arch. generali Ordinis Tom. A. A. *num.* 29.

N O T A.

EPilogat dotes hujus eximii Viri LXXVI. Regii Vatis Pſalmus Verſu 20., qui eſt: *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur: deduxiſti ſicut oves populum tuum in Manu Moyſi, & Aaron. Fuit in mari via Ejus*, dum Venetæ Claſſis Thalaſſiarcha, Anno 1716. Cornua Lunæ Odriſſiæ, quæ Inſulæ Corcyrenſi occaſum minabatur, victorioſè confregit. *Veſtigia Ejus non fuère cognita*, dum avitum Correrii Sanguinis ſplendorem, & Factorum ſuorum faſtum ſub Capucini Habitûs pœnula abſcondit, & in Domo Dei, ſeu noſtra Religione abjectus eſſe elegit.

Latère autem diu non potuit, quem conſilium Dei, Eccleſiaſtico deſtinaverat imperio. Ad hoc vocatus, dum fuit in Comitiis Venetis Anno 1734. Sereniſſimæ Reipublicæ Patriarcha, & Dalmatiæ Primas, mirâ prorſus ſorte proclamatus; quo in culmine populum Venetum, *ſicut Oves in manu*, ſeu operibus Manſueti Moyſis, & Zelantis Aaronis adhuc *deducit*, eique, quantùm dignitate præeſt, tantùm utilitate prodeſt.

Fratribus, â P. Miniſtro Generali, & Diffinitorio Generali, in Alma Urbe jam reſidente, munus Sæcularium Confeſſiones excipiendi, quocunque tempore committi poſſe, concedit.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DUdum emanârunt â recol. mem. Clemente PP. VIII. Prædeceſſore noſtro literæ in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Clemens Papa VIII.

Ad perpetuam rei Memoriam.

ALiàs fel. rec. Gregorius PP. XIV. Prædeceſſor noſter ex cauſis, tunc expreſſis, motu ejus proprio, ſua perpetuò valitura conſtitutione ſtatuit, & ordinavit, quod nullus Congregationis Capucinorum Ordinis Fratrum Minorum nuncupatorum S. Franciſci, in Laicorum utriuſque ſexûs, & Clericorum Sæcularium, quacumque dignitate, præeminentia, auctoritate, & facultate ſuffulti eſſent, confeſſionibus occupari, vel confeſſiones eorum audire deberet, etiamſi ad id faciendum â Superioribus ordinariis, ac â Protectore, aut etiam ab Apoſtolica Sede quomodolibet, & ſub quacumque verborum forma licentias eatenus obtinuiſſet, prout in ejuſdem Gregorii Prædeceſſoris literis, in forma Brevis ſub Data, die prima Junii MDXCI. expeditis, pleniùs continetur. Cum autem diverſi utriuſque ſexûs Chriſtifideles pro eorum erga dictum Ordinem, ſeu Congregationem Capucinorum devotione, cupiant Religioſis ejuſdem Congregationis confiteri poſſe, Nos illorum pio deſiderio benignè annuentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præfatas Gregorii Prædeceſſoris literas, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, ita moderamur, ut Miniſter Generalis ejuſdem Congregationis Capucinorum, & Diffinitores in Capitulo Generali congregati, & in eodem Capitulo tantùm, quibuſvis ejuſdem Congregationis Religioſis, ad Confeſſiones audiendas approbatis, ſi ipſis Miniſtro Generali, & Diffinitoribus videbitur, licentiam audiendi Sæcularium utriuſque ſexûs confeſſiones, uſque ad novi Capituli Generalis celebrationem, & non ultra, & ſic de Capitulo Generali in Capitulum Generale concedere reſpectivè poſſint, & valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenorore præſentium, facultatem concedimus, & impartimur, & quaſcumque licentias audiendi Sæcularium hujuſmodi confeſſiones, quibuſvis ejuſdem Congregationis Fratribus, ab illius Protectore, aut quocumque alio, etiam de expreſſo noſtro mandato, in perpetuum conceſſas, harum ſerie revocamus, & annullamus. Decernentes irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his, â quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præfatâ Gregorii XIV. Prædeceſſoris, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, fides adhibeatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die 11. Februarii MDCIII. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo. *D. Veſtrius Barbianus. Loco* ✠ *Annuli Piſcatoris.*

Cum autē, ſicut dilectus Filius Bonaventura â Ferraria Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupator. Nobis nuper exponi fecit, juxta quoddam Decretum noſtrum, ſive per noſtras pariter in forma Brevis expeditas literas, Diffinitorium Generale dicti Ordinis in hac Alma Urbe noſtra de præſenti reſideat, & bis in hebdomada plerumque pro diſcutiendis, & reſolvendis rebus Ordinis hujuſmodi uniatur, dictus verò Bonaventura Miniſter Generalis in dies ab Ordinariis, ac Communitatibus, & hominibus nonnullorum locorum, necnon multis honorabilibus Familiis efflagitetur, ut Fratres prædicti Ordinis Sacramentales Chriſtifidelium confeſſiones excipere poſſint, ac proinde in præmiſſis â Nobis provideri, ſummoperè deſideret. Nos ipſum Bonaventuram, Miniſtrum Generalem, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & â quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis â Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Bonaventuræ, & pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali præfati Ordinis, ut unà cum Diffinitorio Generali, hujuſmodi petitiones, ſibi ſuper præmiſſis factas expendere, &, quatenus illas congruentes, & neceſſarias repererit, præſertim in illis locis, ubi Conventus ſui Ordinis exiſtunt, & in eis cæteroquin confeſſariorum penuria viget, poteſtatem Fratribus Ordinis præfati, in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutis,

& ad

& ad audiendas Sæcularium confeſſiones ab Ordinario loci approbatis concedere, liberè, & licitè poſſit, & valeat, quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium tribuimus, & impertimur, quemadmodum in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis ſervari conſuevit. Non obſtantibus præfatâ Clementis Prædeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XIV. Maji MDCCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

F. Cardinalis Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſtol. Reg. Maji 1735. *fol.* 14. *de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom.* R. *num.* 27.

Conſtitutionem ſ. m. Urbani PP. VIII. de Filiatione Ordinis, ex vera & nunquam interrupta S.P. Franciſci Linea &c. Apoſtolicæ confirmationis munimine innovat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EA, quæ à Romanis Pontificibus, Prædeceſſoribus noſtris, pro religioſa Chriſtifidelium divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum quiete providè facta, & declarata fuiſſe noſcuntur, ut ſolidiori robore perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidio, cum id à Nobis petitur, libenter conſtabilimus.

Dudum ſiquidem felicis record. Urbanus PP. VIII. Prædeceſſor noſter, Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum fuiſſe, & eſſe ex vera, & nunquam interrupta linea, ac veros, & indubitatos Fratres dicti Ordinis Sancti Franciſci, & illius Regulæ Obſervatores, ſubque ipſius S. Franciſci Regula militâſſe, & militare decrevit, & declaravit, & aliàs, prout uberiùs continetur in dicti Urbani Prædeceſſoris literis, deſuper in ſimili forma Brevis expeditis, tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Urbanus Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlvatoris, & Domini Noſtri, qui charitas eſt, & Deus Pacis, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, inter graviſſimas, multipliceſque Apoſtolicæ Servitutis curas, in eam peculiari ſollicitudine jugiter incumbimus, ut Chriſtifideles, qui in ſortem Domini vocati, ejus obſequiis, diu noctuque mancipati ſunt, ſublatis quibuslibet dubiis, & controverſiis Altiſſimo reddant abundanter fructus ſuos; nec ab iis, quorum eſt Evangelizare pacem, & bona, veritatem verò temerè impugnando pacem cum ſcandalo puſillorum ſcindere non verentur, à ſua ſancta vocatione diſtrahantur. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Paulo Papa V. Prædeceſſore Noſtro accepto â nonnullis in dubium revocari, an Fratres Ordinis ejuſdem Sancti Franciſci Capucini nuncupati, eſſent verè Fratres Minores, & etiam, quoniam Regulam Sancti Franciſci profitentur, Filii Sancti Franciſci, cum tempore Sancti Franciſci inſtituti non fuerint? pariterque, an eorum Conſtitutiones aliquid haberent, quod Regulæ Sancti Franciſci repugnaret? idem Paulus Prædeceſſor, ſua perpetuò valitura Conſtitutione declaravit, Fratres Capucinos eſſe verè Fratres Minores, ac etiam, quamvis tempore Sancti Franciſci minimè inſtituti fuerint, cum tamen ejus Regulam profiteantur, atque eorum inſtituta congruant tam Regulæ Statutis, quàm ejuſdem Regulæ declarationibus, quæ habentur in Conſtitutione fel. rec. Clementis PP. V. Prædeceſſoris Noſtri, in Generali Concilio Viennen. edita, quæ incipit: *Exivi de Paradiſo &c.* Filios S. Franciſci: eorum præterea Conſtitutiones nihil continere, quod non ſit Regulæ Sancti Franciſci prædictæ conſentaneum, irritante etiam Decreto deſuper appoſito, & aliàs, prout in dicti Pauli Prædeceſſoris deſuper in ſimili forma Brevis, ſub die XV. Octobris MDCVIII. expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem, ſicut dilectus Filius Franciſcus Genuenſis, eorumdem Fratrum Capucinorum Procurator Generalis, Nobis nuper exponi fecit, prætextu illorum verborum, videlicet, *quamquam tempore Beati Franciſci inſtituti non fuerint*, à nonnullis in dubium revocetur, an iidem Fratres Capucini ex vera, & nunquam intermiſſa linea Sancti Franciſci originem habeant? Nos æquum, & rationi conſonum fore cenſentes, ut, qui verbo, & exemplo veros ſeſe Beati Franciſci imitatores oſtendunt, tales ab omnibus abſque ulla

ulla controverſia habeantur; attentiùſque conſiderantes, eorumdem Fratrum Capucinorum originem, ſeu principium illorum, eſſe realiter, & cum effectu computandum à tempore primævæ, & originalis Inſtitutionis Regulæ Seraphicæ, cujus obſervantiam ipſi Fratres Capucini ſemper ſine aliqua interruptione continuârunt; Eorumdem Fratrum Capucinorum quieti, quantùm Nobis ex alto conceditur, conſulere, eoſdemque Fratres Capucinos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Franciſci Procuratoris Generalis totius Ordinis, eorumdem Fratrum Capucinorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Re priùs per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, negotiis Regularium præpoſitos, maturè diſcuſsâ, de eorumdem Cardinalium conſilio, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, Fratres Capucinos præfatos, fuiſſe, & eſſe ex vera, & nunquam interrupta linea, ac veros, & indubitatos Fratres Ordinis Sancti Franciſci, & illius Regulæ obſervatores, ſubque ipſius Beati Franciſci Regula militâſſe, & ad præſens quoque militare, ſicque ab omnibus, & ſingulis cenſeri, & reputari, ac judicari debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium decernimus, & declaramus. Quocirca omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis Filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Capucinorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, eos præmiſſis omnibus, & ſingulis, juxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos deſuper à quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per Sententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravan., invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ, in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Junii MDCXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto. *V. Theatin. Loco ✠ Annuli Piſcatoris.*

Cum autem, ſicut dilectus Filius Bonaventura â Ferraria Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis, Nobis nuper exponi fecit, ipſe præmiſſa, quò firmiùs ſubſiſtant, & inviolabiliùs ſerventur, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, ſummopere deſideret. Nos ſpecialem ipſi Bonaventuræ Miniſtro Generali gratiam facere volentes, Eumque â quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis â Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertas Urbani Prædeceſſoris literas, omniaque in eis contenta, dicta auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, â quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in præinſertis Urbani Prædeceſſoris literis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. M. Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XIV. Maj. MDCCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Maji 1735. *fol.* 13. *de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom.* R. *num.* 30.

Iuris

Ituris ad Miſſiones volantes Fratribus Apoſtolicam Benedictionem, & (præter hanc) utrique Sæcularium Sexui confeſſo, & communicato Indulgentiam plenariam largitur, per modum Suffragii Defunctis applicandam.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

COeleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit Altiſſimus, libenter iis impartimur, quos pro ſua in Deum & proximos charitate, & Chriſtianæ Religionis zelo, animarum ſalutem omni ſtudio procurare intelligimus; Quo in genere, cum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Religioſos habeamus, eoſque in primis, quos dilecti filii eorundem Fratrum Superiores ob hanc cauſam hoc ipſo, & conſequentibus annis in diverſas Chriſtianæ Reipublicæ Provincias mittere conſtituerunt. Nos ſanè eorundem Religioſorum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem, & devotionem ſpiritualibus gratiis confovere, atque augere cupientes, ſupplicationibus dilecti filii Bonaventuræ à Ferraria Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, piamque Superiorum prædictorum deliberationem, quantùm cum Domino poſſumus, promovere volentes, Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Religioſis dicti Ordinis ad Miſſiones in quibuſvis locis de Ordinariorum licentiâ reſpectivè exercendas, in futurum mittendis (ubi tamen non erunt Miſſionarii Congregationis de Propagandâ fide) & aliis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam benedictionem per præſentes impartimur, necnon eiſdem verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, qui pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, Principum Chriſtianorum unione, Infidelium converſione, hæreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam etiam animabus Chriſtifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ, ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicare poſſint, miſericorditer in Domino, Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, pro una vice duntaxat pro unaquaque Miſſione, de Ordinariorum locorum licentiâ reſpectivè facienda concedimus, & elargimur: Hortantes Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Dei Prælatos, & Rectores, ac Verbi Dei Prædicatores, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, cum populus frequentior fuerit, præſentes literas, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eiſdem Religioſis favorem, & auxilium in præmiſſis præſtent. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Julii MDCCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. R. *num.* 31.

N O T A.

SUNT hæ Indulgentiæ hoc anno ultimò renovatæ, & primò ſub tali forma, ob punctum confeſſionum à Fratribus noſtris excipiendarum ex cauſa Conſtitutionis fol. 200. poſitæ in ea omiſſum conceſſæ. Earum principium, extenſionem ad Defunctos &c. exhibent ſuprà fol. 126. 136. & 137.

Quod Miniſter Generalis, aliique Superiores, ceu veri S. Franciſci Filii in quocunque loco Tertium Ordinem inſtituere, & receptos ad eum Sæculares publicè & privatim inſtruere poſſint, declarat, decernitque, quod Profeſſores tales gaudeant omnibus gratiis, privilegiis, indultis &c. quæ unquam per Apoſtolicam Sedem Tertio Ordini fuerunt conceſſa, & erunt deinceps concedenda.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolicæ ſervitutis officium, quod inſcrutabilis ſapientiæ atque clementiæ Dei altitudo humilitati noſtræ, meritis licèt, & viribus longè impari, committere dignata eſt, exigit, ut ad ea, quæ Chriſtifidelium ſub Religioſorum Virorum in Vinea Domini ſtrenuè allaborantium directione, in rebus ad pietatis, & devotionis opera, gratiaſque ſpirituales pertinentibus conducibilia eſſe noſcuntur, libenter inten-

intendamus, ſicut rerum, locorum, temporum, & perſonarum qualitate maturè perpensâ, ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

Supplicationibus itaque dilecti Filii Bonaventuræ à Ferraria Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ut ſibi, & pro tempore exiſtentibus Miniſtro Generali, & ſecundariis Superioribus ab eo dependentibus, tamquam veris, & legitimis Filiis ejuſdem Sancti Franciſci conveniat, & competat in quocumque loco, Civitate, Provincia, & Regno, etiam, ubi alii Tertiarii ejuſdem Ordinis jam reperiuntur, erigere, inſtituere, & fundare præfatum Tertium Ordinem pro quibuſcunque piis, & devotis perſonis Sæcularibus utriuſque ſexûs, atque hujuſmodi Tertii Ordinis profeſſoribus ſcapulare, ſive Habitum cum cingulo conferre, in rebus ſpiritualibus dirigere, in tertia Regula memorati Sancti Franciſci obſervanda privatim, & publicè eos edocere, & inſtruere, utque ipſi Tertiarii, à Capucinis recepti omnino gaudere, atque uti poſſint, & debeant omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, & favoribus, ac prærogativis, per Sedem Apoſtolicam Ordini Tertiariorum, à quocunque Miniſtro Generali dependentium ſub ſuo capite, qui unus eſt, idem Sanctus Franciſcus, aliàs conceſſis, vel in poſterum concedendis, tenore præſentium declaramus, & ſtatuimus.

Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſt. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, præfatorum Ordinum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ, in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Julii MDCCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. Julii 1735. fol. 4. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. R. *num.* 30.

NOTA.

Et ad ſcienda ſingula, quæ jus hoc attingunt, & aliàs circa illud contigêre, folium 176. inſpice.

Pro Dominica ſecunda, poſt Feſtum Epiphaniæ D.N.J. Chriſti, in Eccleſiis Fratrum, & Monialium Indulgentiam plenariam concedit.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quàm Monialium dicti Ordinis, ubicunque exiſtent. ſecunda Dominica, immediatè ſequenti Feſtum Epiphaniæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis Dominicæ hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſpontè oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint; utque præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ, in dignitate

gnitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ſeu Procuratoris Generalis dicti Ordinis obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Novem. MDCCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Breve form. in Arch. gen. Ord. Tom. R. *n.* 37.

Indulgentiam Plenariam pro Feſto Sanctæ Roſæ Virginis Viterbienſis, in Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium, ſub juriſdictione P. Miniſtri Generalis exiſtentium, concedit perpetuam.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AGni Immaculati, qui Sacras Virgines, Sponſas ſuas ſpiritualium chariſmatum donis multipliciter decoratas, æterno ſibi conſortio in Cœlis ſociavit, vices licèt immeriti gerentes in terris, cœleſtes Eccleſiæ theſauros, quorum diſpenſationem Nobis credidit Deus, libenter erogamus, ut fidelium erga eaſdem Beatas Virgines devotio, ejuſmodi muneribus incitata, multiplicibus in dies, benedicente Domino, proficiat incrementis. Supplicationibus itaque dilecti filii Bonaventuræ à Ferraria, Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium ejuſdem Ordinis, Juriſdictioni nunc, & pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis Ordinis hujuſmodi ſubjectarum hactenus erectis, & in poſterum quandocunque erigendis, ac ubicunque locorum exiſtentibus, die Feſto S. Roſæ Virginis Viterbienſis, nempe die quarta menſis Septembris à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis Feſti hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumpis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Decemb. MDCCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. R. *num.* 38.

Omnibus, & ſingulis Perſonis Tertii Ordinis S. Franciſci, tàm intra, quàm extra Clauſtra, ſub juriſdictione Miniſtri Generalis Capucinorum degentibus concedit per viam communicationis omnes Indulgentias, quibus fruuntur, & gaudent Confratres, & Conſorores Confraternitatis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SOllicitudo Paſtoralis Officii, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini, divina diſpoſitione, præſidemus, Nos admonet, ut paternam Religioſorum Virorum ſub ſuavi arctioris Regulæ jugo mancipatorum curam gerentes, pia illorum ſtudia gratiis, & favoribus foveamus, atque incitemus opportunis.

Cum itaque, ſicut dilectus Filius Bonaventura à Ferraria, Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ipſe omnibus utriuſque Sexûs piis perſonis, ubicunque exiſtentibus, tam intra, quàm extra clauſtra degentibus, etiam conjugatis, quæ ſub Regula Tertii Ordinis ejuſdem Sancti Franciſci militant, & quæ ſub juriſdictione pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis dicti Ordinis reperiuntur, omnes, & quaſcunque Indulgentias ab hac Sancta Sede Apoſtolica tam conceſſas, quàm in poſterum concedendas, quibus Confratres, & Conſorores Confraternitatis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo gaudent (tendentibus etiam in id precibus dilecti Filii Ludovici Benzoni Prioris Generalis ſecundò dicti Ordinis) per Nos communicari ſummopere deſideret.

Nos igitur, quò præfatus Tertius Ordo Sancti Franciſci ad majorem Dei gloriam, Religionis incrementum, & animarum ſalutem magis magiſque de die in diem augeatur, ejuſdem Bonaventuræ Miniſtri Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, Eumque à quibuſvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, enarratam communicationem Indulgentiarum prædicto Tertio Ordini Sancti Franciſci, qui militat ſub Regula Sancti Franciſci, & ſub juriſdictione pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis eorumdem Fratrum Capucinorum reperitur, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus.

Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari: Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulâ de non concedendis Indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinum prædictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus; cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XIII. Martii MDCCXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Arch. gen. Ord. Tom. R. *num.* 39.

Univerſis, & ſingulis Fratribus, Monialibus, ac Tertiariis Ordinis Capucinorum, die XXIX. Novemb. profeſſionem reſpectivè renovantibus, & orantibus &c. concedit Indulgentiam plenariam quotannis in perpetuum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, ſicut dilectus Filius Bonaventura à Ferraria Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, quod Congregatio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum die XXII. Januarii anni præteriti inter alia approbaverit, ut Feſtum Omnium Sanctorum trium Ordinum ejuſdem Sancti Franciſci utriuſque Sexûs cum Officio, & Miſsâ die vigeſimâ nonâ Novembris, in qua dictus Sanctus Franciſcus à fel. rec. Honorio Papa III. Prædeceſſore noſtro, anno MCCXXIII. per quaſdam, ſub plumbo, anno ejus octavo expeditas Literas Regulæ confirmationem reportavit, in poſterum ſingulis annis celebraretur, prout in ipſius Congregationis approbatione, deſuper emanata, pleniùs dicitur contineri: Nos ad augendam Religioſorum utriuſque Sexûs, etiam Tertiariorum ejuſdem Sancti Franciſci, devotionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris piâ charitate intenti, ac ſupplicationibus ejuſdem Bonaventuræ Miniſtri Generalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus, & ſingulis Fratribus, & Monialibus, ac etiam Tertiariis memorati Ordinis Sancti Franciſci nunc, & pro tempore exiſtentibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, quoties dictâ die vigeſimâ nonâ Novembris ſingulis annis ſuam reſpectivè profeſſionem renovârint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, ac Spirituali ejuſdem Ordinis S. Franciſci profectu, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ, in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent

forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 11. Maji MDCCXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Breve format. in Arch. gen. Ord. T. R. *n.* 40.

Circa expulſionem incorrigibilium, derogat Decretis generalibus S. m. Urbani PP. VIII., ac Innocentii PP. XII., & facultatem RR. PP. Obſervantibus deſuper à S. mem. Benedicto Papa XIII. conceſſam, noſtro quoque Ordini communicat.

Beatiſſime Pater.

Libellus Supplex. MInifter Generalis Capucinorum cum ſuo Diffinitorio Generali reverenter proſtratus ad Sanctitatis Veſtræ Pedes, humiliter ſupplicat, ut extenſionem facultatum, in hîc annexo, & in favorem Patrum Obſervantium à S. mem. Benedicto XIII. jam confirmato, libello ſupplici expreſſarum, etiam ſuæ Religioni concedere dignetur, quatenus tantò neceſſaria ejectio Fratrum Diſcolorum, & incorrigibilium, qui corpori Religionis tanta damna multifariàm cauſant, eò faciliùs executioni dari poſſit. Quam gratiam &c.

Foris. *Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ Clementi XII.*

Pro Miniſtro Generali Capucinorum.

Reſcriptum.

Die 2. Maji 1736.

Sanctiſſimus, præviis derogationibus neceſſariis, & opportunis, & præcipuè derogando Conſtitutionibus San. mem. Urbani VIII., & Innocentii XII. benignè annuit pro extenſione facultatum circa expulſionem incorrigibilium, ùt petitur, ad normam extenſionis, de qua in precibus, conceſſæ pro Religioſis Minoribus Obſervantibus S. Franciſci, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus.

N. Cardinalis Corſinus.

Locus ✠ Sigilli.

Orig. manuſcript. in Arch. gen. Tom. R. *n.* 36.

N O T A.

RElatus hîc RR: PP. Obſervantium Libellus Supplex, in lingua Italica exaratus, fuit in idiomate latino tenoris ſequentis, videlicet.

Inter alia Statuta in Capitulo FF. Minorum proximè elapſo, & Mediolani celebrato facta, communi totius Religionis conſenſu ſtabilita, & cum approbatione Sanctitatis Veſtræ jam typis impreſſa, legitur n. 4. ſupplicetur Sanctiſſimus ab Officialibus Curiæ &c. pro moderatione Bullæ expulſionis Incorrigibilium ad normam Statutorum antiquorum. *Supplicat inde nomine totius ſui Ordinis F. Joſephus Maria ab Evora Commiſſarius Curiæ, quatenus Conſtitutionibus S. mem. PP. Urbani VIII. & Innoc. XII. de hac materia emanatis, ceu talibus, quæ ſecundùm experientiæ exempla ad actum reduci non poſſunt, derogando, permittere dignetur, ut Statuta antiqua juxta tenorem folii adjuncti, & hîc infra deſcripti, poſt maturam reflexionem, & examen in Congreſſu generali concluſum obſervetur, ordinando, quod hoc, dictis Statutis cum Sanctitatis Veſtræ Reſcripto, ſine ulteriori expeditione Decreti Bullæ, Brevis &c. ſufficiat.*

Quam gratiam &c.

Folium, libello ſupplici RR. PP. Obſervantium adjunctum. In Expulſione Incorrigibilium univerſo Ordini noſtro maximè ſalubri, & neceſſarià, nedum ad religioſam pacem confovendam, atque candorem Ordinis conſervandum, ejectis Perturbatoribus, & ſcandaloſis Fratribus ſuo malo exemplo, & converſatione alios pervertentibus, & propterea à Seraphico P. N. Franciſco in ſuo Teſtamento maledictis, verùm etiam ad ipſam Regularem Diſciplinam, ubi viget, augendam, & ubi deficit, inſtaurandam, ob timorem exinde inquietis incutiendum: ſervato jure communi, Reus poſt tria delicta gravia ejuſdem, *(a)* vel diverſæ ſpeciei *(b)* intra, vel extra Clauſtra commiſſa, ſi aliquando cum iis *(c)* monitus, & punitus juridicè, vel paternaliter *(d)* fuerit, & conſtet per Juridica Acta, vel *(e)* per Provinciæ Regeſta, in Carceribus per aliquod tempus *(f)* detineatur, & examinatis Actis, aliàs factis, ſeu *(g)* ſententiis contra Reum ipſum aliàs latis, vel novis *(h)* Actis denuo confectis; Si juridicè tria gravia Delicta, ut ſuprà dictum eſt, probata ſint, à ſuo Miniſtro Provinciali, cum Provinciæ Diffinitorio Incorrigibilis declarari poſſit, non tamen expelli, niſi prius à Superiori Generali, cui Acta hujuſmodi mittenda ſunt, de Conſilio ſex graviorum Patrum, & cum Voto D. Conſultoris Sæcularis, ejectionis ſententia approbata, & confirmata ſit. Si SANCTISSIMO DOMINO placuerit.

(a) *Cùm aliqui requirant Identitatem ſpecificam Delictorum.*

(b) *Videtur aliquibus nonniſi Delicta extra Clauſtra commiſſa expulſione puniri poſſe; perinde ac ſi ea, quæ in Clauſtris patrantur, Corruptelam, & Perniciem Ordini nullam afferant.*

(c) *Ne excludantur privatæ monitiones, quæque ad Juris apices probari nequeant.*

(d) *Quandoque à S. Pænitentiaria abſoluti, ſive ab ejuſdem S. Pænitentiariæ, ſive ab Ordinis Foro moneri Delinquentes, ac puniri paternaliter ſolent.*

(e) *Ne excludantur Apoſtaſiæ, quæ, cum ob indultam à Sac. Pænitentiaria abſolutionem, vel aliam ob cauſam formali Proceſſu judicatæ non fuerint, in aliquem ſint relatæ Provinciæ librum, qui utique in Foro ea ſaltem fide gaudere debet, quæ Negotiatorum Codicibus adhibetur: SANCTOR. &c.*

(f) *Cum URBANI VIII. Conſtitutio annuam, INNOCENTII XII. ſemeſtrem Carcerationem requirat; ex Decreto autem Sacræ Congregationis memoratum Tempus, vel continuari debeat, vel interruptum redintegrari.*

(g) *Juxta enim Ordinis Conſtitutiones elapſo ſemeſtri ab exequutione ſententiæ, ſolo retento pœnali Judicio, Acta reliqua comburi debent.*

(h) *Ut Carcerationis tempore Delicta probari poſſint.*

 A Ter-

A Tergo. *Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto PP. XIII.*

Pro

Fratre Joſepho Maria ab Evora Commiſſario Generali Curiæ.

R E S C R I P T U M.

Ex audientia Sanctiſſimi 6. Decembris 1729.

Sanctiſſimus annuit, dummodo non adverſetur Conſtitutioni Univerſalis *&c.*

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Card. Lercari.

Reflectendum autem eſt circa ultimam, in folio RR. PP. de Obſervantia adductam conditionem, *ut prius â Superiori Generali, cui acta hujuſmodi mittenda ſunt, de conſilio ſex graviorum Patrum, & cum Voto D. Conſultoris Sæcularis ejectionis Sententia approbata, & confirmata ſit*, quod illa in noſtra Religione non procedat, cum attenta difficultate, quæ tam circa acta, P. Miniſtro Generali, Provincias circumeunti tranſmittenda, quàm circa ſex graviores Patres, ſecum ducendos, neceſſariò intercedit, San. mem. Urbanus Papa VIII. per Conſtitutionem, Ordini noſtro ſpecialem, Decretis ſuis generalibus derogantem & ſuprà fol. 101. poſitam, Eminentiſſimo Ordinis Protectori auctoritatem conceſſerit dandi licentiam PP. Miniſtris Provincialibus, *ut poſſint de conſenſu Patrum Seniorum ſuarum reſpectivè Provinciarum ejicere incorrigibiles â dicto Ordine, factâ prius relatione Miniſtro Generali, & habito ejus conſenſu, etiam per literas miſſivas*. Cui Conſtitutioni Ordo adhuc inhæret, nec ei per Reſcriptum Papæ Clementis XII. derogatum, cum Sanctiſſimus nec in Reſcripto, nec Diffinitorium Generale in libello ſupplici de ea mentionem fecerint.

Inde, ſi Provincia quædam, Fratris *iniqua in terra Sanctorum agentis miſereri*, & judiciali expulſione eum relinquere intenderet, neceſſe eſt, ut conditiones, hìc in numeros diſtinctæ, cumulatè concurrant.

I. Ut ejiciendus ſit reus trium Delictorum gravium vel ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei, vel intra, vel extra Clauſtra commiſſorum.

II. Ut de iis aliquando ſit monitus, & punitus, vel juridicè, vel paternè, hocque vel per acta juridica, vel per Provinciæ Regeſta conſtet.

III. Ut in carceribus per aliquod tempus detineatur, & acta, aliàs facta, ſeu Sententiæ contra ipſum aliàs latæ examinentur, vel nova acta conficiantur.

IV. Probatis juridicè, uti dictum, tribus gravibus delictis poteſt reus â ſuo P. Miniſtro Provinciali cum Provinciæ Diffinitorio incorrigibilis declarari.

V. Et miſsâ poſtea P. Miniſtro Generali relatione, habitoquè per literas miſſivas ejuſdem aſſenſu, ac ab Eminentiſſimo Ordinis Protectore licentia, ab eodem Miniſtro de conſenſu Patrum Seniorum Provinciæ ex Ordine expelli.

Praxin & texendi proceſsûs formam, quæ in Reſcripto gl. mem. Clementis XII. moderatorio non alteratur, imò juxta verba *ſervato jure communi* ſupponitur, & conſequenter ſecundùm Decretum Innocentii XII. ad Conſtitutiones, Ordinationes, & noſtri Ordinis Stylum fieri debet, fuſiùs extendit P. Ludovicus Maria Siniſtrarius de Ameno (*a*): Formulam Sententiæ autem, & alia plura de expulſione notatu digna recenſet ex eodem P. Ludovico Marcellinus de Luccia *in noſtro jure deciſo* fol. 371. & ſeq. Decreta verò San. mem. Urbani VIII. & Innoc. XII. omnes Regulares genericè concernentia, & ſuprà in Summario memorata, dabit Tomus, Bullas & Brevia &c. Clero Sæculari & Regulari communia continens.

(a) *in formul. Crim. Sect. 11. per totum.*

In omnibus Eccleſiis Conventuum, & Miſſionum Fratrum, necnon Monaſteriorum Monialium Ordinis pro vigeſima quarta Aprilis plenariam Indulgentiam impertitur.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Conventuum Reſidentiarum, & Miſſionum tam Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quàm Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis ubicunque exiſtentium, die vigeſima quarta menſis Aprilis à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium

ptennium

ptennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint, utque præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXIII. Julii MDCCXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

F. Card. Oliverius.

Orig. in pergam. cum aliis exempl. habetur ſub lit. R. *num.* 50.

RESCRIPTO.

Concedit, ut Miſſæ, quæ ex ſtatuto, & uſu Religionis pro Defunctis Summis Pontificibus, Emis Protectoribus, Principibus &c., & Superioribus Majoribus Ordinis, & Provinciarum, necnon pro Fratribus dicuntur, valeant, ac ſi forent dictæ in Altari Privilegiato.

Beatiſſime Pater.

Libellus Supplex. PRocurator Generalis Capucinorum reverenter proſtratus ad Pedes Sacri Throni Sanctitatis Veſtræ, humillimè Eidem exponit, quod à Conſtitutionibus ſuæ Religionis ordinatum ſit, ut, ſi quis Frater è vivis diſcedat, quilibet ſuæ Provinciæ Sacerdos eidem unius Miſſæ Sacrificio ad divas aras parentet, vigeatque pariter in ea conſuetudo, ut quilibet ejuſdem Religionis Sacerdos tres Miſſas pro Summis Pontificibus, pro Eminentiſſimis Protectoribus, pro Imperatore, pro Regibus, & pro iis, qui majorem Ordinis clavum moderantur, ſicut pro Principibus ſupremis reſpectivè in eorum Provinciis, ac harum Superioribus majoribus celebret; Inde Sanctitati Veſtræ humillimè ſupplicat, quatenus concedere dignetur, ut, ubi ſatisfit Miſſis memoratis, hæ valeant, ac ſi forent celebratæ in Altaribus Privilegiatis. Quam Deus &c.

Foris. *Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ Clementi XII.*

Pro Procuratore Generali Capucinorum.

Reſcriptum.

Die 16. *Septembris* 1736.

Sanctiſſimus annuit ad Septennium.

Orig. in Archivo generali Tom. R. *num.* 44.

Indulgentias, & facultates Confeſſariorum in Provinciis Ultramontanis, pro Oratione ad quadraginta horas continuatas, noctis tamen tempore interpolatas, ultimò confirmat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

AD ea, per quę Chriſtifidelium ſalus procuratur Animarum, libenter intendimus eaque favore proſequimur opportuno. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Orationem quadraginta horarum ad Animarum ſalutem augendam in Ultramontanis partibus, in Eccleſiis Civitatum, & Locorum, ubi ipſi Conventus habent, inſtituere ſoleant; Nos pium, & Sanctum, necnon Deo acceptabile opus hujuſmodi promovere cupientes, omnibus utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum hujuſmodi continuatarum (non autem niſi noctis tempore interpolatarum) de licentia Ordinariorum locorum in quibuslibet Eccleſiis dictorum locorum ſemel in anno inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium devotè interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; omnibus verò, & ſingulis Confeſſariis, ab Ordinariis locorum reſpectivè approbatis, qui in Eccleſiis prædictis occaſione dictæ Orationis ad audiendas Confeſſiones deputati fuerint, omnes, & quoſcunque utriuſque Sexûs Chriſtifideles pœnitentes, ab omnibus quibuſcumque, in præteritum uſque ad diem datæ præſentium commiſſis criminibus, & exceſſibus, etiam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervatis (hæreſis, ſimoniæ, ac duelli, & violationis clauſuræ Monaſteriorum Monialium, & recursûs ad Judices laicos contra formam Sacrorum Canonum exceptis) necnon excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis, etiam in Literis, die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, in præteritum ſimiliter uſque ad diem datæ præſentium incurſis, impoſitâ cuilibet arbitrio ſuo pœnitentiâ ſalutari, in foro conſcientiæ tantùm abſolvendi, facultatem, & auctoritatem pro prima vice tantùm, tenore præſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Generalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus

tionibus cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus quoad Indulgentiæ hujuſmodi conceſſionem ad ſeptennium proximum tantùm valituris. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Maii MDCCXXXVII. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

F. Card. Oliverius.

Breve format. in Archivo gen. Ord. Tom. R. *num.* 55.

N O T A:

INvênit, & in hac ultima renovatione Apoſtolicum hoc Breve novam oppoſitionem in Curia Epiſcopali N. quæ illud ſeu apocryphum ſuſpexit, ex eo, quod illius Tranſumpta, noſtri P. Procuratoris Generalis Sigillo muniri poſſe exprimat. Sciendum inde eſt, quod, cum Brevia Apoſtolica, Ordinem Generaliter afficientia, in Archivio Generali aſſervari debeant, P. Procurator Generalis plura illorum tranſumpta typis imprimi curet, Provinciis communicanda. Cumque hæc, ut fides eis adhibeatur, Sigillo, Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ firmata eſſe, debeant, ordinariè priùs, vel Sigillum Cardinalitium, vel Prælatitium apponebatur. Ex quo cum varias moleſtias naſci compertum eſſet, indultum, & variè in Brevibus expreſſum fuit, quod hæc etiam Sigillo P. Procuratoris Generalis muniri valerent, prout videre eſt fol. 176. col. 2. fol. 183. col. 1. &c.

Ex hac ipſa ratione, cum & Notarii publici ſubſcriptio ardua comperiretur, non ſemel conceſſum fuit, ut hujus vices, RR. PP. Miniſtri, & Procuratoris Generalium Secretarii ſupplere poſſent, prout & patet ex citato folio 176. col. 2. &c.

Pro Eccleſiis, in quibus Fratres tempore quadrageſimæ concionantur, & quadraginta horarum oratio inſtituitur, Confeſſis, & Communicatis Indulgentiam plenariam largitur, aliis autem in ſpiritu pœnitentiæ & firmo confitendi propoſito dictæ Orationi aſſiſtentibus, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis vel debitis pœnis relaxat.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD augendam Fidelium religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum continuatarum (non autem interpolatarum) præterquam in Civitatibus, & Locis Ultramontanarum partium, in quibus noctis tempore interpolari valeat, de licentia Ordinariorum locorum in Eccleſiis, in quibus per dilectos filios Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum tempore quadrageſimali Verbum Dei prædicari, & ſermones fieri contigerit, in Palmarum, vel alia Dominica ad hoc magis opportuna inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium devotè interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; Illis verò, qui Sacra Communione refecti non fuerint, ſed verè pœnitentes, & firmum propoſitum confitendi habentes Orationi quadraginta horarum hujuſmodi, ùt ſupra, interfuerint, & oraverint, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus ad Septennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſpontè oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint, utque præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Maii MDCCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

F. Card. Oliverius.

Breve format. in Arch. gen. Ord. Tom. R. *n.* 56.

Ven.

Ven. Dei Servum

JOSEPHUM A' LEONISSA

Provinciæ Umbriæ Sacerdotem, & Ordinis expreſsè profeſſum Beatificat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtorum Princeps Jeſus Chriſtus, cujus vices in terris, planè immerentes, gerimus, quemadmodum nova ſemper in Eccleſia ſua inſtaurat exempla virtutum, & de terra noſtra novos ſibi ſuſcitat, & erigit ſervos, ut collocet eos cum Principibus populi ſui, & ſolium gloriæ teneant in Cœlis, ac tanquam Stellæ fulgentes in perpetuas æternitates, illuminent hos, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis: ita Nos debitum Sacroſancti Apoſtolatûs noſtri officium ducimus, & Catholicæ Religioni magis adaugendæ, & Chriſtifidelibus ad pietatem ampliùs excitandis, in hac temporum conditione valde opportunum, ut benignitatem Dei noſtri, & memoriam ſanctitatis ejus in virtutibus, ac meritis ſervorum ſuorum extollentes, ac prædicantes, eorum præſertim debitæ venerationis cultum promovere ſatagamus, qui, poſtquam lubricum inter blandientis mundi illecebras pueritiæ iter, mira cum morum innocentia confeciſſent, arduum perfectionis curriculum ſub ſeverioris diſciplinæ inſtituto ineuntes, non ſolùm dignos in pietatis, & doctrinarum palæſtra progreſſus fecerunt, verùm etiam verbo & exemplo facem cæteris præferentes, adeo incredibili divinæ gloriæ, & animarum ſalutis procurandæ zelo exarſerunt, ut, omnes Chriſto lucrifaciendi cauſa, labores, ludibrias, verbera, cruciatus, ac mortem ipſam chriſtiana fortitudine contemnentes, tandem evolârunt ad coronam, legitimè certantibus repoſitam in Cœlis â bonorum omnium largitore Deo, qui ſervorum ſuorum agones, ac labores laudabiliter pró ſui nominis gloria completos, ſignis etiam & miraculis illuſtrare dignatus eſt. Cum itaque maturè, diligenterque diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum Proceſſibus, de Apoſtolicæ Sedis licentia confectis ſuper vitæ Sanctitate, & Virtutibus tam Theologicis, quàm Moralibus in gradu heroico, quibus Servum Dei Joſephum â Leoniſſa Presbyterum expreſsè profeſſum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & ad manifeſtandam hominibus ipſius ſanctitatem à Deo patrata fuiſſe aſſerebatur: eadem Congregatio coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit, poſſe, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari cum conſuetis Indultis: Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis nonnullorum Venerabilium Fratrum Antiſtitum, Catholicorum Principum, & Univerſitatum, necnon totius memorati Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum, & nominatim Gregorii à Roma, ejuſdem Ordinis Sacerdotis expreſsè profeſſi, hujuſque Cauſæ Poſtulatoris ſupplicationibus, Nobis & huic Sanctæ Sedi ſuper hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de ſuprà dictæ Congregationis conſilio, & aſſenſu, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut præfatus Servus Dei Joſephus à Leoniſſa in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferendæ) exponantur: Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, atque de eo quotannis die felicis ejus tranſitûs, ſeu alia die non impedita, illam immediatè ſequenti recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Communi Confeſſoris, non Pontificis, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus duntaxat in univerſo Ordine Minorum Sancti Franciſci Capucinorum utriuſque ſexûs, in loco Leoniſſæ Diœceſis Spoletanæ, in quo natus eſt, &, ubi Venerabile ipſius Corpus requieſcit, atque in Terra Amatricis Reatinæ Diœceſis, unde ad Cœlos evolavit, ab omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur; & quantùm ad Miſſas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus, ad Eccleſias, in quibus Feſtum peragetur, confluentibus. Præterea primo duntaxat anno â datis hiſce literis, & quoad Indias â die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Ordinis, Loci, ac Terræ præfatorum ſolemnia Beatificationis ipſius Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinariis reſpectivè conſtitutâ, poſtquam tamen in Eccleſia Lateranenſi de Urbe celebrata fuerint eadem ſolemnia, pro qua re diem XXII. currentis menſis Junii aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis, de non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſ-

ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique, tam in Judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XIX. Junii MDCCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

F. Card. Oliverius.

T. Patriarcha Hieroſolymitanus S. R. C. Secret.

Breve formatum inter manus P. Poſtulatoris in Scrinio Cauſæ.

N O T A.

UT triduana Beatificationis Solemnia per Provincias pari cultu, concordique cœremoniarum uſu peragerentur, fuère præſcripta Monita ſeu Articuli, quos Reverendiſſimus D. Joannes Baptiſta de Gamberuccis, Archiepiſcopus Amaſſenus, Sac. Palatii Apoſtolici Cœremoniarum Magiſter reviſos ratihabuit, & quos hîc apponi ſimilium caſuum recurſus ſuadet.

M O N I T A

In Celebrandis per Triduum ex Indulto Apoſtolico

SOLEMNIIS BEATIFICATIONIS

CUJUSCUMQUE CHRISTI MARTYRIS, SEU CONFESSORIS

Obſervanda in Eccleſiis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum.

I. Statuendi ſunt dies magis congrui per Ordinarium, & Superiorem Loci, ſeu Conventûs, ut Populus fidelis commodè convenire valeat ad Eccleſiam, præmonitus de Indulgentia Plenaria, inibi lucranda.

II. Ornanda erit Eccleſia omni meliori ſtudio, ita tamen, ut noſtri Inſtituti Paupertas, & tantæ ſimul Solemnitatis teſtimonia in eâ undequaque reſplendeant.

III. Primâ, vel aliâ die Tridui recitandum erit in Choro Officium Beati, totum de Communi, quemadmodum fuerit in Brevi Beatificationis præſcriptum, ſub Ritu Duplici Majori.

IV. Die, quo celebratur Officium, omnes Miſſæ erunt de Beato, quæ etiam à confluentibus utriuſque Cleri Sacerdotibus poterunt celebrari, ùt ex Brevi ſolet conſtare.

V. Miſſa erit pariter de Communi cum Gloria*, & Oratione, quæ fuerit lecta in Miſſa Beatificationis, & quemadmodum in eadem Miſſa dicitur* Credo*, ſic etiam in Solemniis ejuſdem Beatificationis, quæ celebrantur in Partibus, ſive extra Urbem, dicendum erit. Obſervandum tamen, quod hâc exceptâ occaſione in Miſſis de Beatis non ponitur* Credo*, ni fortè eorum Feſtum occurrat in die Dominica, vel infra aliquam Octavam, cujus ratione aliàs dicendum foret.*

VI. Prævidendum erit, ne prima dies, aut alia, in qua recitatur Officium Beati, occurrat Feſtum altioris Ritûs, ſed potiùs inferioris, quod & erit transferendum ad aliam diem, juxta Rubricas Breviarii Romani.

VII. In cæteris diebus Tridui recitatur Officium, quod occurrit in Calendario, & celebrantur Miſſæ, quæ concordant cum eodem Officio, ac una tantùm Solemnis de Beato, ob concurſum Populi &c. non omiſsâ tamen Conventuali de die, ante Solemnem de Beato.

VIII. In Miſſis concordantibus cum Officio diei, dummodo non occurrat Feſtum primæ Claſſis, præter Solemnem de Beato, quæ communiter admittitur, videtùr tolerabilis aliqua memoria, ſeu Commemoratio de eodem Beato, etiam in aliis Miſſis.

IX. Si autem ſecunda, vel tertia die Tridui occurrat Feſtum ſemiduplex, præter Solemnem de Beato, & Conventualem de die, tolerabiles judicantur nonnullæ aliæ Miſſæ de eodem Beato, ratione continuationis Solemnitatis, concurſûs Populi, Ampliationis Cultûs, Apparatûs, Indulgentiæ &c.

X. In Tribus his diebus in Eccleſia, ubi aguntur Solemnia Beatificationis nullo modo celebrandæ erunt Miſſæ de Requiem, ob diſconvenientiam, & incongruitatem, quam habent cum Feſto, quod actualiter celebratur.

XI. Hâc ſolemnis Tridui occaſione exceptâ, non permittunt Rubricæ celebrare infra Annum Miſſas votivas de Beatis, ſed tantùm feſtivas in die Natalis, ſeu felicis Obdormitionis eorundem Beatorum.

XII. Cùm nihil reperiatur apud Nos determinatum circa Exercitia, aut Functiones peragendas, vel præſtandas in honorem Beati tempore Tridui, Superiorum Provincialium, & Localium erit præſcribere ea, quæ magis in Domino opportuna judicaverint ad promovendum Cultum, fovendamque Devotionem erga Beatum, de quo celebrantur Solemnia.

Origin. in Arch. gen. Ord. Tom. R. *num.* 51.

In Ec-

In Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium pro die quarta Februarii Indulgentiam plenariam ultimò confirmat.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quàm Monialium dicti Ordinis,ubicunque exiſtentibus,die quarta menſis Februarii à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint: utque præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur, ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die ſecunda Octobris MDCCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

F. Card. Oliverius.

In iiſdem Eccleſiis ſimilem Indulgentiam pro die 12. Novembris ultimò pariter largitur.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fideliumreligionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quàm Monialium dicti Ordinis ubicunque exiſtentibus, die duodecima menſis Novembris,à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint: utque præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXXI. Januarii MDCCXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

F. Card. Oliverius.

Bartholomæum Cardinalem Ruſpoli, Magnum Ordinis Jeroſolymitani Romæ Priorem &c. Ordinis Protectorem conſtituit.

Foris *Dilecto Filio Noſtro Bartholomeo S. R. E. Diacono Cardinali Ruſpoli nuncupato.*

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM per obitum bon. mem. Franciſci S. R. E. Epiſcopi Oſtienſis Cardinalis Barberini nuncupati, Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, dum viveret, apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, Fratres prædicti Protectore deſtituti remanſerint, Nos iiſdem Fratribus de idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumſpectionis, ſingularis

prudentiæ, doctrinæ integritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris Te, ex cujus protectione, ob tuas eximias virtutes, Fratres hujuſmodi plurimum commodi & ornamenti ſuſcepturos eſſe confidimus, eorundem Fratrum, illorumque Domorum, & Locorum Regularium quorumcunque, apud Nos, & Sedem Apoſtolicam præfatam, Protectorem cum omnibus honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis ad Tui vitam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, & deputamus. Volumus autem, ut Fratres prædictos foveas, & protegas, ac Tibi in virtute S. Obedientiæ mandamus, ut Superiorum eorundem Fratrum auctoritatem, quantùm fieri poterit, conſervare cures: præpterea ipſis Superioribus regimen, & gubernium ſubditorum penitus relinquas, nec in negotiis eorundem Fratrum Te immiſceas, niſi ab ipſis Superioribus requiſitus fueris, ut in iiſdem negotiis auctoritatem tuam interponas, & tunc, ſi omnino neceſſarium fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in iiſdem negotiis exerceas, tunc id facere poſſis, ſed, quoad potueris, per Te ipſum hoc facere cures, adhibito ad ſcribendum, quando opus fuerit, in iiſdem negotiis, ſeu cauſis, loco Notarii, aliquo ex Fratribus prædictis. Mandantes propterea Superioribus, necnon univerſis Fratribus præfatis in virtute S. Obedientiæ, ut Te in eorum Protectorem, juxta tenorem præſentium recipientes, eâ, quâ debent, reverentiâ proſequantur, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Cæterùm Te in Domino hortamur, ut hujuſmodi Protectoris munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum, bonorum Operum retributorem, æternum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVI. Auguſti MDCCXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

D. Card. Paſſioneus.

Orig. in perg. aſſervat Eminentiſſimus Protector, de quo exemplar habetur in Arch. Ord. Tom. A. A. *num.* 52.

N O T A.

EMinentiſſimi hujus Cardinalis protectione *ceu corona inclyta* Religio noſtra ſeſe defacto ornatam æquè, ac munitam eſſe, eò æquius ſibi applaudit, quò magis Emin. Protectorum Anteceſſorum Zelum in Eo activiſſima æmulatione experitur unitum. Prolixiùs autem, vel de innato Eminentiæ hujus erga Ordinem affectu, vel de juſtiſſimo noſtri Ordinis erga Eminentiam ſuam debito, diſſerere hìc non vacat, cum alius Bullarii Tomus opportuniorem ad hoc ſuppeditet locum, ad quem benevolus Lector remittitur.

D E C R E T O.

Sacræ Congregationis Rituum

Facultas celebrandi Miſſam propriam, & dicendi Officium de Sancto Felice â Cantalicio cum Oratione & Lectionibus, pariter propriis, ſeu ab iis, quibus Ordo noſter utitur, diſtinctis, ad totam Italiam, & Inſulas adjacentes extenditur.

Die XXI. *Maji.*

In Feſto

S. FELICIS A' CANTALICIO.

CONFESSORIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter ea, quæ hic propria ponuntur.

Oratio.

FAc, Domine Jeſu, in ſimplicitate, & innocentia cordis noſtri nos ambulare, quorum amore de ſinu Matris inter Beati Felicis Confeſſoris tui brachia deſcendiſti. Qui vivis &c.

Lect. i. Nocturni de Script. curr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FElix à Cantalicio in Sabinis, humilibus, ſed piis Parentibus natus, à puero paſcendis Gregibus, mox & agro colendo addictus, multò impenſiùs rerum cœleſtium meditatione animum nutrire, & corpus aſſiduis vigiliis, ac jejuniis domare cœpit, Eremiticam agens vitam potius quàm ruſticam. Ferventiore autem in Deum pietate incenſus, cum non poſſet quotidie, ut optabat, ſacris Myſteriis intereſſe, Grege ad loca ſolitaria compulſo, ipſe ante Crucem arborum corticibus

cibus inciſam diu orare, ſeque acriter flagellare conſueverat; ſed & aliquando glebas in agro vertere, ſimulque ſacris in Templo adeſſe viſus eſt. Aliàs inter arandum furentibus, quos junxerat, indomitis Juvencis, humi ſtratus, & aratro ſuperducto planè proſcindendus, lacerata duntaxat veſte, ſurrexit illæſus. Quo periculo, ut ad tutiorem regularis diſciplinæ palæſtram vocanti jampridem Deo pareret, admonitus, ruſticâ ſupellectili Pauperibus diſtribui juſsâ, ad Fratres Minores, quos Capucinos vocant, properè ſe contulit. *Tu autem Domine miſerere nobis.*

Lectio v.

ADhuc tyro, necdum vota ſolemnia profeſſus, religioſæ perfectionis apicem jam attigiſſe videbatur. Obedientiæ ſedulus cultor, ad præcipientis non modò verbum, ſed etiam nutum præſto erat: Seque Cœnobii jumentum dictitans, viliſſima quæque Miniſteria ſemper arripuit, ac ludibria, & contumelias hilari vultu excipiebat. Paupertatis quàm eſſet ſtudioſus, illuſtri documento Deus ipſe declaravit. Oſtiatim enim per vicos, & plateas alendis Fratribus mendicans (quod ille munus per annos quadraginta nudis fere ſemper pedibus obivit) cum die quadam inuſitato pondere ſe opprimi ſentiret, manticam ſcrutatus, injectum clam nummum deprehendit: quo projecto, nec ſine indignatione proculcato, alacer, & levis inde abiit. Caſtitatem, quam uſque ad obitum ſervavit illibatam, ſanctus corpore, & ſpiritu, à Paulo V. propterea appellatus, vigili oculorum cuſtodia, & voluntario corporis cruciatu communivit, aſperrimo flagello ſe quotidie cruentans, ac ferreo cilicio conſtrictus, ſeptem etiam Urbis Baſilicas identidem inviſens. Jejunia Ordinis inediâ quandoque cumulavit. Lectus ejus doloris potius, quàm quietis erat: brevem quippe ſomnum flexis nuda ſuper tabula genibus, ac faſce ſarmentorum capiti ſuppoſito, carpebat *Tu autem Domine &c.*

Lectio vi.

VItæ auſteritate ſibi aſper, aliis charus, acceptuſque, ſanctis præſertim Carolo, & Philippo Nerio, ſimplicitate, atque innocentia ſemper fuit. In oratione pernoctans, dulciſſimam frequenter extaſim eſt paſſus: & aliquando in ulnis ſuis reclinatum à Virgine Matre puerum Jeſum ſuaviſſimè complecti meruit, prophetiæ gratiâ, & miraculorum clarus, demortuum etiam filium Matri vivum reſtituit. Meritis tandem in bona ſenectute cumulatus, ſecunda (ut prædixerat) feria Pentecoſtes, ad cœleſtem Patriam, Deipara invitante, lætus abiit. Ejus Corpus in Eccleſia ſui Ordinis ſumma Urbis veneratione colitur; Domino crebris miraculis Servi ſui ſanctitatem illuſtrante, quem propterea Urbanus Papa VIII. Beatorum, Clemens vero XI. Sanctorum faſtis adſcripſit. *Tu autem Domine &c.*

IN III. NOCTURNO.

Lectiones propriæ, & ſuprà fol. 168. poſitæ.

MISSA.

Pariter propria, & ſuprà fol. 169. videnda.

Totius Italiæ, & Inſularum adjacentium.

P*Orrectis Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTI Papæ XII. ſub die 3. Octobris 1738. ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinale Ruſpoli, Protectore Ordinis Minorum Capucinorum S. Franciſci enixis precibus, quibus pro extenſione Miſſæ, & Officii S. FELICIS A' CANTALICIO cum Lectionibus ſecundi Nocturni, & Oratione propriis, aliàs pro dicto Minorum Capucinorum Ordine approbatis, ad totam Italiam, & Inſulas adjacentes ſupplicatum fuit; Sanctitas Sua ex peculiaribus circumſtantiis petitæ extenſioni benignè annuit, prævio tamen examine, & reviſione prædictarum Orationis, & Lectionum propriarum, necnon aſſignatione diei pro ejuſdem Miſſæ, & Officii recitatione à Sac. Rituum Congregatione facienda; iis igitur ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Pico, in Ponentem, deputato diligenter examinatis, atque in Sac. Rituum Congregatione relatis; Sacra eadem Congregatio benignè approbavit, ac ſingulis Annis die vigeſima prima Maji in Miſſa, & Officio prædicti Sancti ab omnibus utriuſque Sexûs tam Sæcularibus, quàm Regularibus totius Italiæ, & Inſularum adjacentium, qui ad horas Canonicas tenentur, ſub Ritu Semiduplici in poſterum recitari, ac imprimi poſſe conceſſit. Die 21. Martii 1739.*

C. Card. de Marinis Præf.

Locus ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Hieroſolym. Secret.

Fr. Antonium Mariam Piſcatori, Parmenſem, Eccleſiæ Epheſinæ Archiepiſcopum præficit.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei Dilecto Filio Antonio Mariæ Piſcatori de Parma Electo Epheſin. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIvina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicæ dignitatis ſolio, meritis licèt imparibus, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias aciem noſtræ conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo, Apoſtolici favoris auxilium adhibemus, ſed de illis propenſiùs cogitare Nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores præficiantur idonei, qui commiſſos ſibi Populos per ſuam circumſpectionem providam, & providentiam circumſpectam ſalubriter dirigant, & informent, ac bona ipſarum Eccleſiarum non ſolùm gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum omnium apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantium, & in poſterum vacaturarum ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum verò Metropolitana Eccleſia Epheſin., quæ in partibus Infidelium conſiſtit, per promotionem ad Cardinalatus dignitatem Dilecti Filii noſtri Dominici, S. R. E. Cardinalis Paſſionei nuncupati, illius Archiepiſcopi, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, in qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Epheſin. perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem; Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum expreſsè profeſſum, ex Catholicis, nobilibuſque Parentibus in Civitate Parmen. ortum quinquagenario majorem, à pluribus annis Presbyterum, qui Capellani, & Concionatoris chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, ac Qualificatoris Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem in Regnis Hiſpaniarum, necnon Theologi, & Examinatoris in Nunciatura Præfatorum Regnorum Hiſpaniarum muneribus ſumma cum laude functus es, & de cujus nobilitate generis, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicum virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, Te, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Eccleſiæ Epheſin. præfatæ de Perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica Auctoritate providemus, Teque illi in Archiepiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Epheſin. Tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quòd dextera Domini Tibi aſſiſtente propitia, prædicta Eccleſia Epheſin. per tuæ circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eisdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem præfatas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudenter, quòd Eccleſia ipſa Epheſin. Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: Tuque, præter æternæ retributionis præmium, noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberiùs conſequi merearis. Nos enim Tibi, ut, quamdiu dicta Eccleſia Epheſin. ab Infidelibus detinebitur, ad illam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minimè tenearis, dicta Apoſtolica Auctoritate, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Et inſuper ad ea, quæ in tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis hac in parte ſupplicationibus inclinati, Tibi, ut à quocunque, quem malueris, Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus aliis Catholicis, Archiepiſcopis vel Epiſcopis, ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere liberè valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum à Te noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine, fidelitatis debitæ ſolito juramento, munus præfatum auctoritate noſtra tibi impendere, licitè poſſit, facultatem concedimus per præſentes. Volumus autem, & dicta

dicta auctoritate ſtatuimus, atque decernimus, quòd, niſi recepto priùs à Te per ipſum Antiſtitem juramento præfato, munus ipſum Tibi impendere, & Tu illud ſuſcipere temerè præſumpſeritis, idem Antiſtes à Pontificalis Officii exercitio, & tam ipſe, quàm Tu à regimine, & adminiſtratione tam ſpiritualium, quàm temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea etiam volumus, quòd Tu, antequam regimini, & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Epheſin. Te in aliquo immiſceas, in manibus præfati Antiſtitis fidelitatis debitæ juramentum prædictum juxta unam præſtare, ac fidei Catholicæ profeſſionem, juxta articulos jam pridem à Sede Apoſtolica propoſitos, juxta alteram formas, quas ſub diverſis Bullis noſtris mittimus introcluſas, expreſsè emittere, profeſſionemque ſic emiſſam ad Urbem intra præfixum tempus tranſmittere omnino tenearis, formam verò juramenti, à Te tunc præſtiti, Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo ſigillo munitas, per proprium Nuncium quantocius deſtinare procures. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo trigeſimo nono Decimo Kal. Julii. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

A. Card. P. Datarius.

Loc. ✠ Plumbi.

Exemp. Authent. in Arch. Ord. Tom. A. A. *n.* 52.

N O T A.

Bullæ hujus meditullium qui inſpicit, in Synopſi reperit munera, ad qua operoſa virtus hunc Antiſtitem, Marchionis S. Andreæ Filium, Provinciæ Lombardiæ Alumnum &c. in Hiſpaniis evexit. Huic ut digna gloria, laboris ſemper pediſſequa, accederet. gl. mem. Clemens Papa XII. eum ſuprapoſitâ Bullâ Archiepiſcopum Epheſinum, renuntiavit. Conſpicua quidem hæc, non tamen tota ſunt, cum in ſtadio honoris adhuc currat, Neapoli negotiis occupatus Aulæ Regiæ, quæ *opera & laborem*, quem in Angelo, vel Epiſcopo Epheſi, D. Joannes olim *ſcivit*, in noſtro Præſule, Angeli Epheſini Succeſſore, indefeſſum commendat.

Eundem Fr. Antonium Mariam, Archiepiſcopum Epheſinum, ſuum Prælatum Domeſticum, & Pontificii Solii Aſſiſtentem creat.

A Tergo. *Venerabili Fratri Antonio Mariæ Archiepiſcopo Epheſino.*

CLEMENS PAPA XII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Circumſpecta Romani Pontificis, gratiarum diſpenſatoris providentia eas conſuevit Perſonas præcipuè favoribus & gratiis proſequi, quas ſibi, & Apoſtolicæ Sedi devotas, & obſequioſas, ac plurimis cognoſcit meritis adjuvari. Hinc eſt, quod Nos Te, qui Prælatus Domeſticus noſter, & in Capella noſtra Aſſiſtens exiſtis, tuis meritis & obſequiis exigentibus, condignis favoribus, & gratiis, tituloque, & honoribus decorare volentes, & à quibuſvis excommunicationis.... .... abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro Te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium te Nobilem facimus, & creamus.... .... Nec non Te, dum in Curia præſens exiſtis, ad ſolutionem vectigalis Vini pro ſex vegetibus, de quibus pro tuo arbitrio diſponere valeas, adinſtar Cameralium, eiſdem auctoritate & tenore eximimus, & liberamus, ac liberum exemptumque eſſe volumus. Inſuper Tibi unam portionem panis, honoris nuncupati, ex Palatio Apoſtolico dietim habendam, percipiendam, & conſequendam, auctoritate & tenore præfatis concedimus, & aſſignamus. Ac Tibi tres Viros, vitæ & morum probitate, ac aliis virtutum donis commendatos, qui Noſtris & Apoſtolicæ Sedis obſequiis inſiſtere proponant, in noſtros & ejuſdem Sedis Notarios, auctoritate noſtra recipiendi, & admittendi, aliorumque noſtrorum, & dictæ Sedis Notariorum numero & conſortio favorabiliter aggregandi ...... Necnon aliàs octo Viros Nobiles, & idoneos, ac qualitatibus ad hoc requiſitis præditos Auratæ Militiæ Equites creandi, & deputandi, illarumque quemlibet, aliorum Militiæ hujuſmodi Equitum numero & conſortio favorabiliter aggregandi, ac eiſdem, ut torquem aureum, & aurata calcaria geſtare, omnibuſque privilegiis, gratiis, & indultis, ac prærogativis, quibus alii

Equites

Equites hujuſmodi utuntur, fruuntur, & gaudent, ſimiliter uti, frui, & gaudere valeant, citra tamen exemptiones à Trid. Concilio ſublatas concedendi facultatem, auctoritate & tenore præfatis concedimus & impertimur. Necnon pro Spirituali tua conſolatione, ut in privato domûs tuæ Oratorio ...... unam Miſſam pro unaquaque die .... per Te ipſum celebrare, ſeu per quemcunque Sacerdotem .... celebrari facere liberè & licitè poſſis ......

Reliqua pro more & Stylo Curiæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XVIII. Julii MDCCXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

D. Card. Paſſioneus.

Exempl. Auth. in Arch.ord.Tom. A.A. *n.*53.

DECRETUM

Sacræ Rituum Congregationis.

De Commiſſione reaſſumendæ Cauſæ Canonizationis B. Joſephi à Leoniſſa approbat, ac ſignat.

SPOLETANA.

Canonizationis Beati Joſephi à Leoniſſa Sacerdotis Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum.

PORrectis ex parte Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum, nomine etiam totius ſuæ Religionis, necnon Patris Fratris Gregorii à Roma, Sacerdotis Profeſſi ejuſdem Ordinis, ac Cauſæ Canonizationis BEATI JOSEPHI à LEONISSA prædicti Poſtulatoris, enixis Inſtantiis, quibus pro Signatura Commiſſionis reaſſumptionis hujuſmodi Cauſæ, ad effectum conſtruendi Proceſſus Apoſtolicos ſuper novis Miraculis, ad interceſſionem ipſius BEATI ab Altiſſimo patratis, poſt indultam Eidem Venerationem, ſupplicatum fuit, illiſque in Sac. Rituum Congregatione per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Ruſpoli relatis, Sacra eadem Rituum Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore audito, reſcribendum cenſuit: *Signandam eſſe Commiſſionem reaſſumptionis Cauſæ, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit.* Die V. Septembris MDCCXXXIX.

Factâque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, & prædictam Commiſſionem propria manu ſignavit. Die XI. ejuſdem Men. & An. MDCCXXXIX.

C. Card. de Marinis Præf.

Locus ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Hieroſolymitanus Secret.

Orig. in manibus P. Poſtulatoris Cauſæ.

Tempore Capituli Generalis, Indulgentiam plenariam in Eccleſiis Fratrum, & Monialium impertitur.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis Chriſti Fidelibus præſentes literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut accepimus, Capitulum Generale Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum in Eccleſia, ſeu Conventu Fratrum Ordinis hujuſmodi de Urbe, die tertia proximè futuri Menſis Junii, benedicente Domino, celebrandum ſit; Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, & ad augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus utriuſque ſexûs Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui dictam, vel aliquam aliam ex Eccleſiis tam Fratrum, quàm Monialium ejuſdem Ordinis, ubique exiſtentibus, die prædicto, & ſingulis actualis illius celebrationis diebus devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel tantùm omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus poſt celebrationem dicti Capituli Generalis minimè valituris. Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint; utque præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis

dinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXIV. Novembris MDCCXXXIX. Pontificatus Noſtri anno Decimo.

D. Card. Paſſioneus.

NOTA.

Conceſſam fuiſſe hanc Indulgentiam jam ante ſæculum, & imminente Capituli Generalis tempore ſemper poſtea innovatam, docent Brevia formata, in Archivo generali in faſciculo proprio aſſervata. Fuit autem jam ab aliquibus annis etiam ad Monialium Eccleſias extenſa.

Indulgentiam plenariam, etiam Defunfunctis per modum Suffragii applicandam, pro menſtrua Communione generali, vel in Eccleſiis Ordinis, vel extra Ordinem â Fratribus noſtris inſtituenda, ultimò confirmat.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & animarum ſalutem Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia Charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui aliquam Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ N.N., ſeu quamcunque aliam Sæcularem Eccleſiam in dicta Provincia exiſtentem, in qua Communio generalis, ſollicitudine dictorum Filiorum Fratrum dicti Ordinis, de licentia Ordinariorum locorum, & quoad Eccleſias Sæculares de illarum Rectorum conſenſu, in una ex Dominicis cujuslibet Menſis reſpectivè agetur, devotè viſitaverint, ibique Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam etiam animabus Chriſtifidelium, quæ Deo Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicare poſſint, miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium valituris. Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint; utque præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVI. Jan. MDCCXXXX. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

D. Card. Paſſioneus.

Brevia formata in Archiviis Provinciarum, in quibus devotio Communionis generalis viget.

NOTA.

PRaxis, ſeu devotum, animarumque Saluti maximè proficuum Communionis Generalis exercitium in noſtra Religione hucuſque non eſt inductum, niſi in aliquibus duntaxat (diverſarum tamen Nationum) Provinciis: hinc etiam ſuprapoſitum Indulgentiarum Breve ſingillatim pro earum qualibet renovari oportet. Originem nacta eſt hæc devotio in Urbe Romana, in qua, ut gl. mem. Paulus PP. V. tepeſcentem nonnihil ad SS. Eccleſiæ Sacramenta Civium acceſſum, oblato ſpiritualis boni lucro accenderet, in una cujuslibet menſis Dominica Indulgentiam plenariam, quam Defunctis per modum Suffragii applicari poſſe, Succeſſores Pontifices poſtea indulsêre, præſcripta pietatis opera peragentibus conceſſit.

Ad Eccleſias RR. Patrum Societatis Jeſu, in quibus hæc Communio ſolemniter, primò, & cum DD. Cardinalium concurſu fuerat inſtituta, talis illico viſus fuit pœnitentis populi confluxus ut aliquoties centum Confeſſionarii in Eccleſia Domûs profeſſæ excipiendis confeſſionibus vix ſufficerent.

Inductæ tam præclaro hoc Jeſuiticæ Societatis Zelo, quàm viſi fructûs exemplo excitæ, plures Ordinis noſtri Provinciæ hanc generalem Communionem in ſuis quoque Eccleſiis menſtruatim inſtituendi, munitam Apoſtolico Brevi facultatem impetrârunt: quo ad lapſum temporis renovato, illam eo ſemper fructu continuant, ut una ſola Provincia ultra centum quinquaginta millia Sacramentalium Confeſſionum in talibus Dominicis duntaxat, per ſeptennium excepta fuiſſe, ex collecto, Romamque miſſo Confeſſariorum calculo deprehenderit.

Notandum autem eſt, quod etiamſi pro aliarum Indulgentiarum conſecutione Sacram Synaxin in Eccleſia quacunque, ſeu ad libitum, ſumendi libertas relinquatur, pro Indulgentiis tamen hujus Communionis generalis neceſſarium ſit, ut illa in Eccleſiis, in quibus hæc *ſollicitudine Fratrum* noſtrorum peragitur, ſumatur, Apoſtolico Brevi expreſsè hoc præſcribente per verba: *ibique Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint.*

Obſer-

Obſervari inſuper debet aliud inter Indulgentias hujus Communionis generalis, & alias Indulgentias ordinarias diſcrimen, ratione temporis, quo opera præſcripta debent adimpleri, nam quoad Indulgentias ordinarias, tempus â primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei ſubſequentis determinari ſolet, pro Indulgentiis autem Communionis generalis præſcribitur dies Dominicæ duntaxat, juxta Verba Apoſtolici Brevis: *qui in una ex Dominicis cujuslibet menſis ..... devotè viſitaverint*, *ibique pias ad Deum preces effuderint &c.* hinc P. Quintanadvennas attentâ Summi Pontificis locutione, ſonuque Verborum, in Apoſtolico Brevi expreſſorum cenſet, tempus Indulgentiarum inchoari â primo puncto mediæ noctis, protendique ad punctum alterius ſubſequæ mediæ noctis. Cui opinioni tamen R. P. Gobat, quantumvis illam *veroſimilem* vocet, variis in locis contrariatur, ex ratione, quod Dominica dies veniat ſub nomine Feſti, juxta declarationem S. Rit. Congregationis apud Barboſam *Verb. Feſtum*, & ideo, ad rationem Indulgentiarum, pro Feſtis conceſſarum, & â primis Veſperis incipientium, etiam Indulgentias Communionis generalis, tempore primarum veſperarum inchoari concludit. Quam utramque opinionem in ſubſidium dubii, quod deſuper jam non ſemel emerſit, differendo adducere volui.

Ne quoque ob locorum ſeu Conventuum noſtrorum diſtantiam Fideles hoc theſauro privari contingeret, Pontificia diſpenſatione indultum eſt, ut hujuſmodi Communio, etiam in Sæcularium Eccleſiis â Fratribus noſtris inſtitui queat. Inde pluribus in locis Fratres ad Parochias vocantur, in quibus Communio eorum *ſollicitudine* celebratur, in hoc eſſentialiter conſiſtente, ut populum ad Indulgentias lucrifaciendas ſtimulent, ejuſdem confeſſiones excipiant, & communionem Sacramentalem diſpenſent. Nuncupatur autem hæc praxis *Communio generalis* ob concurſum populi, qui in locis, ubi peragitur, generatim & turmatim ad eam confluere videtur.

Eadem motiva, quæ R. P. Georgium Gobat ad hanc materiam fuſiùs tractandam induxêre, compulerunt & me ad Notam hanc prolixiùs extendendam, *quia ſum certus*, *hoc eſſe ad honorem Dei & bonum animarum in purgatorio detentarum*, *ſi ad multorum notitiam veniant ea*, *quæ ad hanc ſpectant Indulgentiam.*

Plura alia, attentione & ſcitu digna, videre libeat apud memoratos RR. PP. Quintanadvennam, Gobatum, Hautinum &c. celebres, & Scholis, ac Curiis notiſſimos Societatis Jeſu Theologos, qui ex inſtituto de hac materia agunt: Primus quidem in appendice ad ſua ſingularia, ſecundus in operum moralium Tomo ſecundo, ſeu Quirinario &c., tertius verò Libro tertio art. tertio.

SERIES
EMINENTISSIMORUM
CARDINALIUM PROTECTORUM.

I. Cardinalis Andreas de Valle, Romanus.

II. Cardinalis Franciſcus Quinnonius, Hiſpanus, Ordinis Patrum Minorum Obſervantium.

III. Cardinalis Rudolphus Pius, Carpenſis.

IV. Cardinalis Julius Roboreus, ſeu de Ruvere, Urbinas, primus, quem Religio noſtra per Apoſtolicum Breve habuit Protectorem proprium, ſeu ſingularem, de quo *fol.* 29.

V. Cardinalis Julius Antonius Sanctorius, Caſertanus, ex Epiſcopatu Cardinalis S. Severinæ nuncupatus, de quo *fol.* 35.

VI. Cardinalis Franciſcus de Jojoſa Gallus, poſtea S. Collegii Decanus, de quo *fol.* 49.

VII. Cardinalis Alexander Perettus, de Monte Alto, Sixti Papæ V. Pronepos, S.R.E. Vice-Cancellarius, de quo *fol.* 35.

VIII. Cardinalis Ludovicus Ludoviſius, Bononienſis, Gregorii Papæ XV. ex Fratre Nepos, S.R.E. Vice-Cancellarius, de quo *fol.* 70.

IX. Cardinalis Fr. Antonius Barberinus, Florentinus, Ordinis noſtri, ſan. mem. Urbani Papæ VIII. Frater ſecundùm carnem Germanus, de quo *fol.* 88., & 89.

X. Cardinalis Bernardinus Spada, Briſighellenſis, Epiſcopus Albanenſis &c., de quo *fol.* 102.

XI. Cardinalis Hieronymus Farneſius, Romanus, Legatus à Latere Bononiæ, de quo *fol.* 110.

XII. Cardinalis Carolus Bonellus, Romanus, S. Pii V. Pronepos, de quo *fol.* 114.

XIII. Cardinalis Fridericus Borromæus, Mediolanenſis, Clementi PP. X. à Secretis Statûs, de quo *fol.* 121.

XIV. Cardinalis Jacobus Roſpiglioſus, Piſtorius, Nepos Papæ Clementis IX. de quo *fol.* 124.

XV. Cardinalis Nicolaus Acciajoli Florentinus, de quo *fol.* 128.

XVI. Cardinalis Franciſcus Barberinus, Romanus, poſtea Sacri Collegii Apoſtolici Decanus, de quo *fol.* 155.

XVII. Cardinalis Bartholomæus Ruſpolus, Romanus, Magnus Ordinis Jeroſolymitani Romæ Prior, de quo *fol.* 213., & 214.; & quem ſoſpitem ad ſera tempora Deus pro Religionis voto, & bono conſervet.

Ex Ciaconio, & Tabulariis Archivii generalis Ordinis.

SYLLA-

SYLLABUS
PP. VICARIORUM,
ET
MINISTRORUM GENERALIUM.

		Annus Electionis.	Annus Reelectionis.	Annus Reelectionis.
I.	FR. Matthæus â Baſſio per acclamationem electus.	1529.		
II.	Fr. Ludovicus â Foro-Sempronio, P. Matthæo renuntianti, ceu primus Diffinitor ſurrogatus eodem anno Manſitque Vicarius Apoſtolicus uſque ad annum 1535.	1529.		
III.	Fr. Bernardinus Aſtenſis.	1535.	1546.	1549.
IV.	Fr. Bernardinus â Senis.	1538.	1541.	
V.	Fr. Franciſcus Æſinus.	1543.		
VI.	Fr. Euſebius ab Ancona.	1552.	1555.	
VII.	Fr. Thomas Tifernas ex Civitate Caſtelli.	1558.	1561.	
VIII.	Fr. Joannes Evangeliſta â Canobio.	1564.		
IX.	Fr. Marius â Foro Sarzinio.	1567.	1570.	
X.	Fr. Vincentius â Monte Ulmo.	1573.		
XI.	Fr. Hieronymus â Monte Florum.	1575.	1578.	
XII.	Fr. Joannes Maria â Tiſſa.	1581.		
XIII.	Fr. Jacobus â Foro Sarzinio.	1584.		
XIV.	Fr. Hieronymus â Politio.	1587.	1590.	
XV.	Fr. Sylveſter â Monte Leone.	1593.		
XVI.	Fr. Hieronymus â Sorbo.	1596.		
XVII.	Fr. Hieronymus â Caſtro Ferretorum.	1599.	1608.	
XVIII.	Ven. Dei Servus Laurentius â Brunduſio.	1602.		
XIX.	Fr. Silveſter ab Aſſiſio.	1605.		

XX.	Fr. Paulus â Cæſena.	1613.	
XXI.	Fr. Clemens â Noto.	1618.	
XXII.	Fr. Joannes Maria â Noto.	1625.	
XXIII.	Fr. Joannes Antonius â Mutina.	1633.	
XXIV.	Fr. Joannes â Monte Calerio.	1637.	
XXV.	Fr. Innocentius â Calatagirone.	1643.	
XXVI.	Fr. Fortunatus â Cadoro.	1650.	1667.
XXVII.	Fr. Simplicianus â Mediolano.	1656.	
XXVIII.	Fr. Marcus Antonius â Carpenedulo.	1662.	
XXIX.	Fr. Stephanus â Cæſena.	1671.	
XXX.	Fr. Bernardus â Portu Mauritio.	1678.	
XXXI.	Fr. Carolus Maria â Macerata,	1685.	
XXXII.	Fr. Bernardinus ab Aretio.	1691.	
XXXIII.	Fr. Joannes Petrus â Buſto.	1698.	
XXXIV.	Fr. Auguſtinus â Tiſana.	1702.	
XXXV.	Fr. Bernardinus â Salutiis.	1709.	
XXXVI.	Fr. Michael Angelus â Raguſio.	1712.	
XXXVII.	Fr. Joannes Antonius â Florentia.	1719.	
XXXVIII.	Fr. Bernardinus â S. Angelo in Vado, per Breve Apoſtolicum Fr. Joanni Antonio renuntianti Subſtitutus.	1721.	
XXXIX.	Fr. Hartmannus Brixinenſis.	1726.	
XL.	Fr. Bonaventura â Ferraria, Sac. Palatii Apoſtolici Concionator, Examinator Epiſcoporum, Sac. Congregationum Rituum, ac Supremæ Romanæ Inquiſitionis Conſultor.	1733.	
XLI.	Fr. Joſephus Maria ab Interamna in Umbria.	1740.	

CATA-

CATALOGUS
PP. PROCURATORUM GENERALIUM
PRÆNOTATIO.

		Annus Electionis.	*Annus Reelectionis.*	*Annus Reelectionis.*
	In Religionis primordio, Procuratorem egit Guardianus Romæ, fuitque primus ad hoc officium à Definitione deſtinatus.			
I.	Fr. Bernardinus Aſtenſis.	1538.	1541.	1552.
II.	Fr. Laurentius Reatinus.	1546.		
III.	Fr. Petrus à Civitate Ducali.	1549.		
IV.	Fr. Thomas Tifernas à Civitate Caſtelli.	1555.	1573.	
V.	Fr. Joannes Evangeliſta à Canobio, primus, qui ad hoc officium ex Provincia extera fuit aſſumptus.	1558.	1561.	
VI.	Fr. Euſebius ab Ancona.	1564.		
VII.	Fr. Bonaventura à Rhegio.	1567.		
VIII.	Fr. Hieronymus à Monte Florum.	1570.		
IX.	Fr. Joannes Maria à Tiſſa.	1575.	1578.	
X.	Fr. Franciſcus à Mediolano.	1581.		
XI.	Fr. Silveſter à Roſciano, defuncto P. Franciſco Subſtitutus.	1583.		
XII.	Fr. Hieronymus à Politio.	1584.		
XIII.	Fr. Chriſtophorus ab Aſſiſio.	1587.	1593.	
XIV.	Fr. Bonaventura à Monte Regali.	1590.		
XV.	Fr. Hieronymus à Caſtro Ferrettorum.	1596.	1605.	1618.
XVI.	Fr. Anſelmus à Monopoli, Sac. Pal. Apoſtolici Concionator, & poſtea S.R.E. Cardinalis.	1599.	1602.	
XVII.	Fr. Michael Angelus Ariminenſis.	1608.		
XVIII.	Fr. Clemens à Noto.	1613.		
XIX.	Fr. Franciſcus Januenſis, Sac. Pal. Apoſtolici Concionator.	1625.	1633.	

XX.	Fr. Felicianus Placentinus.	1637.		
XXI.	Fr. Simplicianus à Mediolano.	1643.		
XXII.	Fr. Marcus Antonius à Carpenedulo.	1650.	1656.	
XXIII.	Fr. Fortunatus à Cadoro.	1662.		
XXIV.	Fr. Bonaventura à Recineto.	1667.	1671.	1685.
XXV.	Fr. Joannes Baptiſta à Sabbio.	1678.		
XXVI.	Fr. Franciſcus à Peruſia.	1691.		
XXVII.	Fr. Franciſcus ab Aretio, Concionator Sacri Palatii Apoſtolici, & poſtea S.R.E. Cardinalis.	1698.		
XXVIII.	Fr. Bernardinus à Salutiis.	1699.	1702.	
XXIX.	Fr. Joannes Antonius â Florentia.	1709.	1712.	
XXX.	Fr. Bernardinus à S. Angelo in Vado.	1719.	1726.	
XXXI.	Fr. Petrus Maria à Luca.	1721.	1733.	
XXXII.	Fr. Sigiſmundus à Ferraria.	1740.		

ELEN-

ELENCHUS VIRORUM ILLUSTRIUM,

Qui ex Ordine ad Eccleſiaſticas Dignitates fuêre promoti.

CARDINALES.

FR. Anſelmus Marzatus, â Monopoli, Provinciæ Romanæ, de quo *fol.* 51.

Fr. Antonius Barberinus à Florentia, Provinciæ Tuſciæ Frater Germanus Urbani PP. VIII. de quo *fol.* 88.

Fr. Franciſcus Maria Caſinus, ab Aretio, Provinciæ Tuſciæ, de quo *fol.* 150.

PATRIARCHA.

Fr. Franciſcus Antonius Corrarius Venetus, Provinciæ Venetæ, & Patriarcha Venetiarum, Vivit: de quo *fol.* 198. & 199.

ARCHIEPISCOPI.

Fr. Bernardinus Rotarius, ab Aſta, ex Marchionibus Cortanſerii, Provinciæ Taurinenſis, Archiepiſcopus Turritanus, Vivit: de quo *fol.* 186. & 187.

Fr. Antonius Maria Piſcatorius Parmenſis, ex Marchionibus S. Andreæ, Prov. Lombardiæ, Archiepiſcopus Epheſinus, & Solii Pontificii Aſſiſtens, Vivit: de quo *fol.* 216. & 217.

EPISCOPI.

Fr. Emericus Sennel â Commoromio in Hungaria, Provinciæ Auſtriaco-Hungaricæ, Epiſcopus Viennenſis, de quo *fol.* 130.

Fr. Rupertus ex Comitibus de Lamberg, Provinciæ Tyrolenſis, Epiſcopus Aulonenſis, & Suffraganeus Paſſavii, de quo *fol.* 142.

Fr. Ange-

Fr. Angelus ex Comitibus d'Ognyes & d'Etres, Provinciæ Flandro - Belgicæ, Epiſcopus Ruremundenſis, de quo *fol.* 144.

Fr. Carolus ex Principibus de Hornes, Provinciæ Flandro-Belgicæ, Epiſcopus Brugenſis, de quo *fol.* 147.

Fr. Athanaſius de Meſgrigny, Provinciæ Pariſienſis, Epiſcopus Graſſenſis, de quo *fol.* 148.

Fr. Ludovicus de Mornay, Provinciæ Pariſienſis, Epiſcopus Eumenienſis, & Coadiutor Eccleſiæ Quebecenſis, de quo *fol.* 153.

Fr. Timotheus à Flexia, Provinciæ Britanniæ, Epiſcopus Beritenſis, & Coadiutor Eccleſiæ Patriarchalis Babyloniæ, Vivit de quo *fol.* 155.

Fr. Carolus de Spinoſa, Provinciæ Flandro - Belgicæ, primò Epiſcopus Tricalenſis, & Suffraganeus Eccleſiæ Mechilnienſis, poſtea translatus ad Epiſcopatum Antverpienſem, Vivit, de quo *fol.* 160.

Fr. Angelicus Viglinus, Provinciæ Neapolitanæ, Epiſcopus Tropeenſis, de quo *fol.* 180.

Fr. Vincentius Bragadenus, Provinciæ Venetæ, Epiſcopus Scardonæ in Dalmatia, Vivit, de quo *fol.* 197. & 198.

ALBUM

ALBUM PATRUM,

QVI AD MVNVS

CONCIONATORIUM

In Sacro Palatio Apoſtolico è noſtra Religione fuerunt aſſumpti.

I. FR. Anſelmus â Monopoli, poſtea S. R. E. Cardinalis. Concionatus eſt per annos 10. incirca, quantùm ex quæſitis hinc inde Documentis coniici poteſt.

II. Fr. Hieronymus Narnienſis. Concionatus eſt per annos 17.

III. Fr. Franciſcus Januenſis. Concionatus eſt per annos 16.

IV. Fr. Bonaventura à Recineto. Concionatus eſt per annos 16.

V. Fr. Franciſcus Maria ab Aretio, poſtea S. R. E. Cardinalis, Concionatus eſt per annos 14.

VI. Fr. Bonaventura â Ferraria, Miniſter Generalis Ordinis, Examinator Epiſcoporum, SS. Congregationum Rituum, & Supremæ, Univerſalis, ac Romanæ Inquiſitionis Conſultor. Concionatur per annos 18.

Ex Tabulariis Archivi generalis.

TABULA INDULGENTIARUM
PLENARIARUM PERPETUARUM

In Menſe Martii.

Die XI. Sacro S. Catharinæ à Bononia, ex conceſſione s. m. Clementis PP. XI.

Ubi verò Feſtum die IX. ejuſdem menſis celebratur, Indulgentia ex indulto, ſeu Decreto Sac. Congreg. Indulgen. &c. eodem quoque die obtinetur, de qua Breve, & Decretum *fol.* 154.

In Menſe Maii.

Die XVII. Sacro S. Paſchali de Baylon Confeſſori, ex conceſſione s. m. Clementis X. de qua *fol.* 152.

Die XVIII. Sacro S. Felici à Cantalicio Confeſſori, ex conceſſione s. m. Clementis XI. de qua *fol.* 154.

Die XX. ejuſdem menſis, Sacro S. Bernardino Senenſi Confeſſori, ex conceſſione s. m. Sixti PP. V. de qua *fol.* 39.

In Menſe Junii.

Die XIII. Sacro S. Antonio de Padua Confeſſori, ex conceſſione s. m. Sixti V. de qua *fol.* 39.

In Menſe Julii.

Die XIV. Sacro S. Bonaventuræ Epiſcopo, & Eccleſiæ Doctori, ex conceſſione s. m. Sixti V. de qua *fol.* 39.

Die XXIV. Sacro S. Franciſco Solano Confeſſori, ex conceſſione s. m. Benedicti PP. XIII. de qua *fol.* 182.

In Menſe Auguſti.

Die II. Sacro Dedicationi Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum, ex conceſſione s. m. Gregorii PP. XV. de qua *fol.* 69.

Confirmata cum extenſione ad Defunctos per modum ſuffragii, ex indulto Ven. Dei Servi Innocentii PP. XI. de qua *fol.* 136.

Die XIV. Sacro S. Claræ Virgini, ex conceſsione s. m. Sixti PP. V. de qua *fol.* 39.

Die XIX. Sacro S. Ludovico Toloſano Epiſcopo Confeſſori, ex conceſſione s. m. Sixti PP. V. de qua *fol.* 39.

In Menſe Septembris.

Die IV. Sacro S. Roſæ Virg. Viterbienſi, ex conceſſione s. m. Clementis XII. de qua *fol.* 205.

Die XVII. Sacro Commemorationi Sacrorum Stigmatum, S. P. Franciſco impreſſorum, ex conceſſione s. m. Clementis XII. de qua *fol.* 190.

In Menſe Octobris.

Die IV. Sacro S. P. Franciſco Confeſſori, ex conceſſione s. m. Sixti V. de qua *fol.* 39.

Die XIV. Sacro S. Petro de Alcantara Confeſſori, ex conceſſione s. m. Clementis IX. de qua *fol.* 119.

Die XXIII. Sacro S. Joanni Capiſtrano Confeſſori, ex conceſſione s. m. Clementis PP. XI. de quo *fol.* 152.

In Menſe Novembris.

Die XXVIII. Sacro S. Joanni à Marchia Confeſſori, ex conceſſione s. m. Benedicti XIII. de qua *fol.* 182.

Die XXIX. Sacro memoriæ confirmationis S. Regulæ pro Fratribus, Monialibus, & Tertiariis profeſſionem reſpectivè renovantibus de qua *fol.* 206.

In Menſe Decembris.

Die VIII. Sacro B. V. Mariæ Conceptioni Sanctiſſimæ, ex conceſſione s. m. Benedicti XIII. de qua *fol.* 183.

TABULA INDULGENTIARUM RENOVANDARUM.

In Menſe Januarii.

Dominica ſecunda poſt Feſtum Epiphaniæ D. N. J. Chriſti, qua Feſtum Nominis Jeſu celebratur, de qua *fol.* 204.

In Menſe Februarii.

Die IV. Sacro B. Joſepho à Leoniſſa, Ordinis noſtri Confeſſori, de qua *fol.* 213.

In Menſe Aprilis.

Die XXIV. Sacro Beato Fideli ex Sigmaringa, Ordinis noſtri, Martyri, de qua *fol.* 208.

In Menſe Octobris.

Die XII. Sacro B. Seraphino ab Aſculo Ordinis noſtri Confeſſori, renovanda.

In Menſe Novembris.

Die XII. Sacro S. Didaco Confeſſori, de qua fol. 213.

Indulgentia plenaria cum facultatibus abſolvendi pro Oratione 40. horarum in Provinciis Ultramontanis inſtituta, de cujus origine, aliiſque notatu dignis plura *fol.* 54. 55. 98. 109. 134. 159. & 209.

Indulgentia plenaria pro Oratione 40. horarum, inſtituta à noſtri Ordinis Concionatoribus in Eccleſiis, in quibus per Quadrageſimam concionantur, de qua *fol.* 63. & 210.

Indulgentia plenaria pro Miſſionibus, quas Fratres noſtri Ordinis peragunt, de qua *fol.* 126. & 137.

Animabus Defunctorum per modum Suffragii applicanda ex conceſſione s.m. Clementis PP. XII. *fol.* 203.

Indulgentia plenaria pro tempore, quo Capitulum Generale celebratur, de qua *fol.* 218.

Indulgentia plenaria, pariter Defunctis applicanda, quæ pro Communione Generali menſtrua, vel in Eccleſiis Ordinis, vel extra Ordinem à Fratribus inſtituitur, de qua *fol.* 219.

N O T A.

HIS utriuſque Tabulæ Indulgentiis gaudent reſpectivè Eccleſiæ, ſeu Oratoria publica, & fixa in Miſſionum noſtrarum Reſidentiis, & Hoſpitiis juxta Decretum S. Congregationis, Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ *fol.* 191. poſitum.

Cumque (Indulgentiâ Communionis generalis exceptâ) omnes aliæ toti Ordini ſint communes, earum renovandarum curam Reverendiſſimus P. Procurator Generalis Ordinis ita habet, ut Provinciæ de earum renovatione Sollicitæ eſſe non debeant.

INDEX
RERUM PRINCIPALIORUM,
Quæ in hoc Primo Tomo continentur.

A

ALEXANDER PERETTUS

SAnctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Montaltus nuncupatus Ordinis Protector conſtituitur, *fol.* 58. *columna prima.*

Altaria

Tria, in qualibet Ordinis Provincia, tam erecta quàm erigenda quotidie privilegiantur, *fol.* 52. *col.* 2.
Privilegium hoc Altaribus in Eccleſiis noviter erectis, PP.Miniſtris Provincialibus communicandi facultas conceditur, *in Nota fol.* 53.
Et ab uno ad aliud ejuſdem Eccleſiæ Altare ſine novo ad S. Sedem recurſu transferri poſſe declaratur, *ibi.*
Extenditur gratia, & omnia Ordinis Altaria Majora tribus diebus hebdomadatim, & per totam Octavam Commemorationis Fidelium Defunctorum hujuſmodi privilegio decorantur, *in Not. fol.* 53., *&* 169. *col.* 2.

FR. ANGELUS BRUXELLENSIS.

Provinciæ Flandro-Belgicæ, Epiſcopus Ruremundenſis renuntiatur, *fol.* 143. *col.* 1.
Ejus virtus commendatnr, *in Not. fol.*144.

FR. ANGELICUS VIGLINUS

Provinciæ Neapolitanæ ad Epiſcopatum Tropeenſem evehitur, *fol.* 180. *col.* 1.
Spiritu lenitatis fulget, *in Not. fol.* 181.

Annales

Ordinis, â P. Zacharia Boverio compoſiti juxta correctionis exemplar liberè legi, & ſemper re-imprimi poſſunt. *f.* 105. *col.*1.

Annus

Incarnationis in Data Bullarum Pontificiarum annotatur *in Iſagoge fol.* XII. *& ſeq.*
Illius initium â die XXV. Martii calculatur, *fol.* XIV.
Cum econtra in Brevibus Apoſtolicis â XXV. Decembris incipiat, *fol.* XXXI.
Habet *poſticipationem*, non *anticipationem*, *fol.* XIV.
Non exprimitur numeris Arabicis, nec Romanis, ſed per extenſum in Bullis ſcribitur, *ibi.*
Ei additur Annus Pontificatûs, *fol.* XV.
Qui â die Coronationis Papalis auſpicatur, *ibi.*

Annuli Piſcatorii

Materia, forma, uſus &c. deſcribuntur *in Iſagoge*, *fol.*XXXII.

FR. ANSELMUS A' MONOPOLI

Provinciæ Romanæ, S.R.E. Cardinalis, Capituli Generalis Præſes deputatur, *fol.* 50. *col.* 2.
Ejus merita commemorantur, *in Not. fol.* 51.

FR. ANSELMUS A' PETRA MOLARIA

Ad Claſſem Pontificiam in Inſula Cretæ ablegatur, *fol.* 33.
Ejus Zelus laudatur, *in Not. fol.* 34.

D. ANTONII PATAVINI

Imagines in noſtri Ordinis Habitu pingi, ſculpi &c. ac publicè exponi poſſe deciditur, *fol.* 115. *col.* 1.
Nec juri obeſt Deciſio particularis in Cauſa Neapolitana emanata, *in Not. fol.*116.
Hinc exemplaria typis impreſſa, & juri noſtro contraria, vel ſuſpenſa, vel combuſta fuère, *ibi.*
Et poſſeſſio noſtra Monitorio ab Auditore Cameræ relaxato univerſaliùs firmata, *ibi.*

FR. ANTONIUS BARBERINUS

Provinciæ Tuſciæ, ab Urbano PP. VIII. ejuſdem Fratre Germano, Romam vocatur, *fol.* 71. *col.* 1.
Cardinalitiâ Purpurâ inſignitus, Ordinis Protector conſtituitur, *fol.* 88. *col.* 1.
Ejus Humilitas, & fidelis Eccleſiaſticorum proventuum diſpenſatio, & filialis erga Ordinem Amor recenſentur. *in Not. fol.* 88., & 89.
Varia Ædificia in et extra Urbem ædificat, vel reſtaurat, *ibi*.
S. Congregationem de Propaganda Fide univerſalem Hæredem inſtituit. *ibi*.

FR. ANTONIUS A' MUTINA

Provinciæ Bonnonienſis, Miniſter Generalis Humilitate, & Zelo excellit, *in Not. fol.* 92.

FR. ANTONIUS PISCATORIUS

Provinciæ Lombardiæ, renuntiatur Archiepiſcopus Epheſinus, *fol.* 216. *col.* 1.
Ac Prælatus Domeſticus Papæ, & Solii Pontificii Aſſiſtens, *fol.* 217. *col.* 2.
Ejus honorifica Officia in Hiſpaniis, & Neapolî tanguntur, *in Not. ibi*.

Aſſiſtentes Solii Pontificii

Vide *Prælati Domeſtici*.

FR. ATHANASIUS DE MESGRIGNY

Provinciæ Pariſienſis, Epiſcopus Graſſenſis creatur. *fol.* 148. *col.* 2.
Paſtoralem ejus ſollicitudinem exhibet *Nota ibi*.

B

BARTHOLOMÆO S. R. E. CARD. RUSPOLO.

ORdinis noſtri tutela committitur *fol.* 213. *col.* 2.

Beatificationis

Solemnia ut debitè apud Nos peragantur, articuli præſcribuntur, *in Not. fol.* 212.

BENEDICTI PP. XIII. S. M.

Devotio erga S. Felicem â Cantalicio, & benevolentia erga Ordinem commendantur, *in Not. fol.* 166.

Benedicendi

Privatim agros, Domos &c. jus nobis competit, *fol.* 110. *col.* 1.

Benedictionis

Quam Papa largitur iis, ad quos ſcribit, aſſertus ab aliis effectus *in Iſag. fol.* IX.

VEN. DEI SERVI FR. BERNARDI A' CORLEONE

Proceſſus de Vita, & Miraculis prolongatur, *fol.* 131. *col.* 1.

BERNARDINUS S. R. E. CARD. SPADA

Ordinis Protector deſtinatur. *fol.* 102. *col.* 1.

FR. BERNARDINI ASTENSIS

Provinciæ Romanæ, Electio in Vicarium Generalem confirmatur, *fol.* 16. *col.* 1.
Ejus Vita epitomatur, ac eximia pro Ordine geſta enarrantur, *in Not. fol.* 17.

FR. BERNARDINUS ASTENSIS

Provinciæ Pedemontanæ, in Archiepiſcopum Eccleſiæ Turritanæ præficitur. *fol.* 186. *col.* 1.
Ejus virtus nobili ſuo ortui correſpondet, *in Nota fol.* 187.

FR. BERNARDINUS A S. ANGELO IN VADO

Vicarius generalis ſubſtituitur. *fol.* 157. *col.* 1.
Variè, & indefeſsè pro Ordinis commodis laborat, *in Not. fol.* 157. & 158.

Bibliothecas

In Conventibus debitè inſtrui ordinatur. *fol.* 103. *col.* 2.
Vide *Libri*.

FR. BONAVENTURÆ A RECINETO

Concionatoris Apoſtolici &c. prærogativæ recenſentur, *in Not. fol.* 135.

FR. BONAVENTURA A FERARRIA

Miniſter Generalis ab obligatione viſitandi Provincias ob Apoſtolici Concionatoris munus eximitur, *fol.* 195. *col.* 1.

Item â communibus Conventûs, & Ordinis oneribus, *fol.* 196. *col.* 1.
Eminet in dono prædicandi, & Zelo Religionis, *in Not. fol.* 195. *&* 196.
Archiepiſcopatum Urbinatenſem recuſat, *ibi.*
Et econtra alia Sedis Apoſtolicæ officia acceptat, & communi laude exercet. *ibi.*
Cauſas Sanctorum promovet, & ſpecialia Ordini beneficia præſtat. *ibi.*
Singularis ejus apud omnes Romæ æſtimatio. *ibi.*
Conventui Præneſtino Bibliothecam Libris inſtruit, Cellaſque in eo ampliat. *ibi.*

Brevium Apoſtolicorum

Etymon, materia externa, character, & alia, per quæ â Bullis diſcernuntur. *in Iſag. fol.* xxviii. *& ſeq.*

Bulla

Varia verbi hujus acceptatio: *in Iſag. fol.* ii. *&* iii.

Bullarum Apoſtolicarum

Origo *in Iſag. fol.* iii.
Earum materia extrinſeca. *fol.* iv.
Character quoad apparentiam difformis. *ibi.*
Idioma debet eſſe Latinum. *fol.* iv. *&* v.
Et triplex hujus cauſa adducitur. *fol.* v.
Stylus eſt ſemper elegans. *fol.* x.
Data tempus, quo copia ex autographo dimittitur, ſignificat. *fol.* xi.
In Data exprimitur locus, in quo Papa tempore expeditionis moratur. *ibi.*
Et locus loci, ſeu Palatium, per Baſilicam viciniorem deſignatum. *ibi.*
Bullæ majoris momenti ab ipſis Summis Pontificibus ſubſcribuntur. *fol.* xvii.
Aliæ ab aliis Officialibus. *ibi.*
Expediuntur, & procurantur per ſex vias, & modos. *fol.* xxii. *&* xxiii.
Veræ â falſis pariter per ſex Regulas ſecernuntur. *fol.* xxiv.
An fide ob defectum Sigilli deſtituantur, Judex ex concurſu adminiculorum decidit. *fo.* xx.
Hanc tamen Cordularum corroſio non infirmare videtur. *fol.* xxi.

C

Cadavera

Secularium in Eccleſiis noſtris ſpeliri. *fol.* 82. *col.* 2.
Ac Habitu Ordinis noſtri veſtiri poſſe declaratur. *fol.* 104. *col.* 2.

In Capella Pontificia

Locus PP. Miniſtro, & Procuratori Generalibus conceditur. *fol.* 169. *col.* 1.

Capitula

Triennalia cum Congregatione intermedia inſtituuntur. *fol.* 112. *col.* 2.
Abrogantur, & ad Seſquiennalia reducuntur. *in Not. fol.* 114.
Ita tamen, ut hæc P. Miniſter Generalis ordinare poſſit juxta exigentiam Provinciarum, ab ipſomet judicandam. *fol.* 127. *col.* 1.
Contagione celebrationem Capitulorum impediente, PP. Miniſtro Provinciali, & Diffinitoribus Guardianos eligendi facultas datur. *fol.* 84. *col.* 1.
Et, ut PP. Provincialis, Diffinitores &c. per Schedas Romam mittendas eligantur, diſponitur. *fol.* 86. *col.* 1.

Capucini

Nomen hoc ex ore infantium naſcitur. *in Not. fol.* 13.
Per illud Ordo â PP. Conventualium, & Obſervantium vulgariter diſcernitur. *ibi.*
Capucini â PP. Obſervantibus ſeparantur. *fol.* 3. *col.* 1.
Iis diſtincta vivendi forma præſcribitur. *ibi. col.* 2.
Ac privilegia Ordinum FF. Minorum Obſervantium, & Camaldulenſium tam conceſſa, quàm concedenda communicantur, *ibi. col.* 2.
Eremitæ nunquam poterant nominari. *in Nota fol.* 4.
Etiamſi ab initio Vicarium Generalem duntaxat haberent, regulæ tamen præcepto, *ut obediant ſuis Miniſtris*, plenè ſatisfecêre. *fol.* 20. *col.* 1.
Propagatio ad partes Ultramontanas iis ad certum tempus prohibetur. *fol.* 22. *col.* 1.
Quod abſolutè revocatur. *fol.* 34. *col.* 1.
Ad Claſſem Pontificiam in Inſula Cretæ ablegantur, amplis muniti privilegiis. *fol.* 33. *col.* 2.
Ac in Hungariam. *fol.* 48. *col.* 1.
Ne recipiant PP. Obſervantes, aut ab iis recipiantur, in reformationis exordio variè cavetur, præſertim *fol.* 23. 24. *&* 42.
Recipere non poſſunt PP. Minimos, nec ab his recipi. *fol.* 31. *&* 32.
Vide. *Tranſitus ad Religionem &c.*
Sunt verè FF. Minores, & Filii S. P. Franciſci. *fol.* 57. *col.* 1. 77. *col.* 1. *&* 201. *col* 2.

Ac

Ac ex vera, & nunquam interrupta S. Patris linea deſcendunt. *fol.* 77. *&* 201.
Ubique ſub propria Cruce in proceſſionibus incedunt. *fol.* 60. *col.* 1.
Ab omni P. Magiſtri Generalis Conventualium dependentia eximuntur. *fol.* 62. *col.* 1.
A' teſtatoribus nominati Perſonas Sæculares ad Subſidia Dotalia nominant, *fol.* 187. *col.* 1.

CAROLUS S. R. E. CARD. BONELLUS

Ad Ordinis Protectionem deſtinatur, *fol.* 114. *col.* 1.
Quam ex indiſpoſitione relinquit, *in Nota ibi.*

FR. CAROLUS BRUXELLENSIS

Provinciæ Flandro Belgicæ, Epiſcopus Brugenſis proponitur. *fol.* 147. *col.* 1.
Ejus Virtus laudatur, *in Not. ibi.*

FR. CAROLUS DE SPINOSA

Ejuſdem Provinciæ, primò Epiſcopus Tricalenſis nominatur, cum facultate Pontificalia in Eccleſia Mechlinienſi exercendi. *fol.* 160. *col.* 1.
Poſtea ad Eccleſiam Antverpienſem transfertur, *fol.* 181. *col.* 1.
Zelo Zelatur pro Deo, & Eccleſia. *in Not. fol.* 182.

S. CLARÆ

Officium, quolibet menſe tam à Fratribus, quàm Monialibus recitari indulgetur. *fol.* 122. *col.* 2.

Clauſura

Non eſt in Domibus locorum, & Urbium, ad quas infirmi ducuntur, & nec Conventus, nec Eccleſia adjacet. *in Not. fol.* 132.
Nec, ubi Conventus ædificantur, & nonniſi pauci Fratres ædificii cauſa morantur. *ibi.*
Debet tamen in his maturiùs, ac fieri poteſt, clauſura terminari, ac, quænam ſit, ſigno determinari. *ibi.*
Sub Clauſura Sacriſtias, Eccleſiis unitas, non comprehendi olim fuit deciſum. *ibi.*
At poſtea Mulieres, eas æquè, ac Viridaria, & hortos ingredientes, ac illas inducentes, ſeu non impedientes pœnis violantium clauſuras ſubdi declaratum, *fol.* 131. *col.* 2.
Nec quæſitum deſuper moderamen hucuſque fuit obtentum, *in Not. fol.* 132.

Clerici

Ordinis Noſtri, ad Sac. Ordines extra tempora promoveri poſſunt, *fol.* 7. *col.* 2. *& in Not. fol.* 11.
Nec derogatum eſt privilegio à Sacro Concilio Tridentino, *in Not. fol.* 10.
Sicut iderogatum cenſetur privilegio illos recipiendi abſque licentia Diœceſani, *in Not. fol.* 11.

Communionis Generalis

Origo, fructus &c. deſcribuntur, *in Not. fol.* 219.
Inſtituitur tam in Eccleſiis noſtris, quàm Sæcularium, *in Not. fol.* 220.
Debet tamen in hiſce Communio ſollicitudine Fratrum noſtrorum peragi. *ibi.*
Indulgentia non acquiritur, niſi Euchariſtia in ipſa Eccleſia, in qua Communio peragitur, ſumatur, *in Not. fol.* 119.
An autem tempus Indulgentiæ â primo mediæ noctis puncto, vel â primis veſperis incipiat? duplex opinio adducitur, *in Not. fol.* 120.

Confeſſiones

Sęcularium olim Fratres pro ſua quiete non excipiebant, *fol.* 44. *col.* 1.
Quod jam reformatum eſt, *fol.* 49. *col.* 1., *&* 200. *col.* 1.

Confraternitas

Cordæ S. P. Franciſci, in Eccleſiis noſtris â Reverendiſſimo P. Magiſtro Generali Conventualium erigitur, & Archiconfraternitati Aſſiſii unitur, *fol.* 40. *col.* 1., *&* 41 *col.* 2.

S. CONRADI III. ORDINIS Ş. P. FRANCISCI.

Officium, â toto Minoritano Ordine recitari, ad inſtantias noſtri P. Miniſtri Generalis conceditur, *fol.* 74. *col.* 1.

Conſtitutiones

Ordinis, nihil contra S. Regulam continere declaratur, *fol.* 57. *col.* 1.
A Sede Apoſtolica approbantur. *fol.* 95. *col.* 2. *&* 100. *col.* 1.

Cuſtodes

Supernumerarii, Capitulum Generale accedere permittuntur, *fol.* 98. *col.* 2.
Eorum concurſus tamen ad electiones non eſt in uſu, *in Not. fol.* 100.

PP. CON-

P.P. CONVENTUALIBUS

Primi Ordinis Fratres ſubiiciuntur *fol.* 3. *col.* 1.
Eorum P. Magiſter Generalis intra tres dies Vicarium Generalem confirmat, *fol.* 18. *col.* 2.
Confirmandi formula, *in Not. fol.* 29.

Conventus

In quibus plus quàm ſex Fratres degunt, Epiſcoporum juriſdictioni non ſubjacent, *fol.* 108. *col.* 1.
Conventum in Inſula Cretæ ædificandi Apoſtolica commiſſio datur, *fol.* 30. *col.* 1.
Quatuor alii ibi extruuntur, *in Not. fol.* 31.

D

Data

Vide *Bulla*, *Brevia*.

Diffinitorium Generale

Romæ reſidere ordinatur, *fol.* 113. *col.* 1., & *fol.* 192. *col.* 2.
Dat quocunque anni tempore Fratribus facultatem confeſſiones Sæcularium excipiendi, *fol.* 200. *col.* 1.
Hebdomadatim bina vice congregatur ad decidenda graviora Ordinis negotia, *fol.* 192. *col.* 1.
Quæ ſpecificantur *fol.* 121. *col.* 1.
Nulla DD. Cardinalium Congregatio, vel Curiæ Romanæ Tribunal poteſt cognoſcere cauſas Ordinis, niſi prius à Diffinitorio Generali fuerint deciſæ, *fol.* 192. *col.* 2.

Diffinitor Generalis

Primus ſuccedit defuncto P. Miniſtro Generali & ſic ſucceſſivè, *fol.* 90. *col.* 1.
Olim uſque ad complementum Septennii viſitationem proſequebatur, *fol.* 112. *col.* 2.
Quod revocatur, & econtra, ut Capitulum Generale illico convocetur, ordinatur, *fol.* 120. *col* 1.
Si Romæ reſidere nolit, & ad Provinciam redeat, omnibus privilegiis, & prærogativis privatur, *fol.* 192. *col.* 1.
Illique alius ex eadem Natione ſubſtituitur, *ibi col.* 2.
Non verò, ſi moriatur, Conditore Conſtitutionis id ita declarante, *in Not. fol.* 193.

Diffinitor Provincialis

Completo hoc officio, nulla gaudet præcedentia, *fol.* 113. *col.* 1.

E

In Eccleſiis noſtris

Cadavera Sæcularium ſepeliri poſſe decernitur, *fol.* 82. *col.* 2.
Hoc tamen fieri debet in loco ſeparato ab illo, in quo Fratres tumulantur, *in Nota fol.* 84.
Et ſepulchra vago ornatu non debent cingi, *ibi*.

ELECTIO

Sanctorum in Patronos

Debet fieri cum Conditionibus notatis, *in Not. fol.* 151.

Electiones

Minùs Canonicè, ratione belli, forſan factas ſanandi P. Miniſtro Generali facultas olim data *fol.* 152. *col.* 1.

FR. EMERICUS HUNGARUS

Provinciæ Auſtriaco-Hungaricæ, Epiſcopus Viennenſis creatur. *fol.* 129.
Indefeſſo Zelo animarum ſaluti incumbit, *in Nota fol.* 130.
Duorum Imperatorum animos reddit ſibi addictiſſimos, *ibi*.
Mutato Habitu vitam Capucinam continuat. *ibi*
Ejus relicta bona ad pios uſus convertuntur. *ibi*.

Epiſcopi

Non poſſunt obligare Superiores Ordinis, ut ſpondeant ipſis obedientiam, ac fide-juſſionem præſtent de victu, & veſtitu, ſubminiſtrando Clericis, quos ad S. Ordines mittunt, caſu, quo hi vel Religionem deſererent, vel ab ea deſererentur, *in Not. fol.* 11. & 72. *col.* 2.
Ipſis competit remittere Interſtitia quoad Regulares, non horum Superioribus, *in Not. fol.* 11.

Eremitæ

Habitu Franciſcano, ejuſque forma abuti prohibentur, *fol.* 134 *col.* 1.
Et, ut Ordinarii Apoſtolicas Conſtitutiones deſuper obſervent, ſancitur, *ibi*.

Vide & *Habitus*.

Eucha-

Euchariſtiæ

Sacramentum, per Octavam, Corporis Chriſti dictam, Veſpere in Eccleſiis noſtris exponi, & Matutinum cantari ordinatur, *fol.* 177. *col.* 1.
Indulgentiæ, quas Aſſiſtentes lucrantur, enarrantur, *in Not. ibi*.

F

VEN. DEI SERV. FELIX A' CANTALICIO

BEATUS nuncupatur, ac Officium cum Miſſa de eo conceditur, *fol.* 75. *col.* 1.
Ac extenditur, *fol.* 76. *col.* 1. 78. *col.* 1. & 109. *col.* 2.
Ejus Elogium Martyrologio Romano apponi indulgetur, *fol.* 139. *col.* 1.
Decretum de illius Canonizatione expediri jubetur, *fol.* 145. *col.* 1,
Sententia EE. DD. Cardinalium &c. de hac requiruntur, *fol.* 147. *col.* 1.
Canonizationis Bulla extraditur, *fol.* 164. *col.* 1.
Cujus retardatæ cauſa adducitur, *in Not. fol.* 166.
Lectiones propriæ cum Miſſa de Eo Ordini conceduntur, *fol.* 171. *col.* 1.
Ac Clero Sæculari in Italia, & Inſulis adjacentibus exiſtenti, *fol.* 214. & 215.

Feſta

Ordinis, pro quibus Indulgentiæ, vel perpetuæ, vel temporaneæ conceſſæ fuêre, vide in Tabulis *fol.* 230. *&* 231.

VEN. D. S. FIDELIS A' SIGMARINGA

Martyr, Beatorum albo adſcribitur, *fol.* 183. *col.* 2.
Officium, & Miſſa de Eo toti Ordini Minoritano conceditur *in Not. fol.* 184.
Illius elogium Martyrologio inſeri indulgetur *in Not. fol.* 185.

Formula.

Qua PP. Vicarii Generales in Religionis exordio à Reverendiſſimo P. Magiſtro Generali Conventualium fuêre confirmati *in Not. fol.* 20.

FRANCISCUS CARD. DE JOJOSA

Ordinis Protector conſtituitur, *fol.* 49 *col.* 1.
Eximia ejus de Ordine Merita memorantur *in Not. ibi*.

FRANCISCUS CARD. BARBERINUS

Ordinis Protector pariter renuntiatur, *fol.* 155. *col.* 1.
Fitque grata de collatis ab Eo & Gente Barberina Ordini beneficiis memoria *in Not. fol.* 156.

FR. FRANCISCUS MARIA CASINUS

Provinciæ Tuſciæ, S. R. E. Cardinalis creatur, *fol.* 149. *col.* 1.
Illius virtutes attinguntur, *in Not. fol.* 150.

FR. FRANCISCUS MARIA CORRARIUS

Provinciæ Venetæ, Patriarcha Venetiarum renuntiatur *fol.* 198.
Glorioſæ Vitæ epitome adjungitur, *in Not. fol.* 199.

FR. FRANCISCUS A' JANUA

Procurator Generalis, ſimul & Vicarius Generalis inſtituitur, *fol.* 87. *col.* 1.
Fungitur Officio Concionatoris Apoſtolici communi applauſu, *in Nota fol.* 88.
Fulgetque varia virtute, & gloria, *ibi*.

FR. FRANCISCUS A' PERUSIA

In Officio Procuratoris Generalis ſubſtituitur, *fol.* 134. *col.* 2.

Fratres

Duo Carnales non poſſunt inſimul eſſe Diffinitores, nec unus alteri in Provincialatûs munere ſuccedere, *fol.* 107. *col.* 2.

FEDERICUS S. R. E. CARD. BORROMÆUS

Ordini in Protectorem datur, *fol.* 121. *col.* 1.
Peculiare Illius pro Ordinis decore Studium celebratur, *in Not. ibi*.

H

Habitum

Ordinis, vel eidem ſimilem portare ſub cenſura prohibetur, *fol.* 16. *&* 25.
In ſpecie Tertiariis Reformatis PP. Conventualium, *fol.* 36.
Fratribus S. Joannis â Deo, *fol.* 37.
Eremitis vagis, & acephalis, *fol.* 45.
Omnibuſque Regularibus, cujuſvis ſint Inſtituti, Societatis, Ordinis &c. *fol.* 65.
Contra inobedientes Monitorium relaxatur, *fol.* 68.
Conſuetudo eundem etiam in periculoſis infirmitatibus deferendi, ratihabetur, *fol.* 131. *col.* 1.

FR. HARTMANNO BRIXINENSI

Miniſtro Generali facultas datur eligendi Provincialem, & duos Diffinitores ſine Capituli concurſu, neceſſitate id ſuadente, *fol.* 178. *col.* 1.
Necnon nominandi Guardianos in actu celebrationis Capituli, ac aliàs inſtituendi Viſitatores &c. *fol.* 179. *col.* 1.
Ejus dotes memorantur *in Not. ibi.*

HIERONYMUS S. R. E. CARDINALIS FARNESIUS

Ordinis Protector deſignatur, *fol.* 110. *col.* 1.
Læſum Ordinis honorem tuetur, *in Not. ibi.*

FR. HIERONYMUS A' NARNIA

Vicarius Generalis, S. Palatii Apoſtolici pulpito per 17. annos vacat, *in Not. fol.* 88.
Relinquit poſteris Libros, igniti eloquii ſui teſtes, *ibi.*

FR. HIERONYMO A' CASTRO FERRETTORUM

Viſitatio Eremi Camaldulenſium in Hetruria committitur, *fol.* 59. *col.* 1.
Ejus in-et extra Ordinem Officia, & eximia geſta tanguntur, *in Not. fol.* 60.

FR. HIERONYMUS A' PISTORIO

S. Pii V. Theologus, ad Inſulam Cretæ mittitur, *in Not. fol.* 34.
Purpuram Cardinalitiam recuſat, *in Not. fol.* 44.
In dicta Inſula victima charitatis obit, *in Not. fol.* 34.

I

JACOBUS S. R. E. CARDINALIS ROSPIGLIOSUS.

Ordinis Protector deputatur, *fol.* 124. *col.* 1.
Nactus eſt in Eo Ordo honorem, & commoda *in Not. ibi.*

V. D. S JEREMIÆ A' VALACHIA

Proceſſum *de non cultu* reaſſumi conceditur, *fol.* 124. *col.* 2.

FR. IGNATIUS AB APIRO

Ad Inſulam Cretæ ablegatur, *fol.* 30.
Fundat ibi quinque Monaſteria, *in Not. fol.* 31.
Ubi & piè moritur. *ibi.*

Incorrigibiles

Ex Ordine dimittendi Eminent. Card. Protector PP. Miniſtris Provincialibus facultatem concedit, habito prius per literas Miſſivas P. Miniſtri Generalis aſſenſu, *fol.* 101. *col.* 1.
Noviter circa eorum expulſionem Decretis S. m. Urbani VIII., & Innocentii XII. derogatur, *fol.* 207. *col.* 1.
Ac facultates, deſuper PP. Obſervantibus conceſſæ, Ordini quoque communicantur, *ibi.*
Conditiones ad dimiſſionem requiſitæ ſuccinctè enumerantur, *in Not. fol.* 208.

Indulgentias ſpeciales

Habuit olim Ordo annexas Coronis, Medaliis &c. ad Fratrum inſtantias benedictis, *fol.* 46. *&* 47.

Indulgentias Plenarias

Ordinis tam perpetuas, quàm renovandas in ordinata Serie vide, *fol.* 230. *&* 231.
Iis generaliter conceſſis gaudent Eccleſiæ, & Oratoria publica Miſſionum, *fol.* 191. *col.* 1.
Illas Infirmi lucrantur in Sacello Valetudinarii *fol.* 168. *col.* 1.
Ac in Cellis, *fol.* 170. *col.* 2.
Earum tempus incipit â die Datæ Brevis, & non â die publicationis, *in Not. fol.* 55.

Indulgentia Portiunculæ nuncupata

An toties, quoties FF. Minorum Eccleſiæ acceduntur,

ceduntur, acquiratur, quæritur, & ſervari ſolitum reſolvitur, *in Not. fol.* 137.
Alia de hac Indulgentia vide *fol.* 69. *&* 136.
Anno Jubilæo non fuit ſuſpenſa in Eccleſiis Provinciarum Ultramontanarum, *fol.* 168. *col.* 1.
Nec illæ pro Feſtis S. P. Franciſci, & Sanctiſſimæ Conceptionis B. V. Mariæ, *ibi*.
Quod ultimum, & ad Eccleſias Provinciarum Italiæ fuit extenſum, *fol.* 170. *col.* 1.
Indulgentiæ, quas Aſſiſtentes Divinis Officiis infra Octavam Corporis Chriſti lucrantur, ſpecificantur, *in Not. fol.* 177.

Interſtitia

Quoad Regulares remittunt Epiſcopi, non illorum Superiores, *in Not. fol.* 11.

JOSEPHUS A' LEONISSA

Provinciæ Umbriæ Beatificatur, *fol.* 211. *col.* 1.

JULIUS A' RUVERIO S. R. E. CARD. URBINAS DICTUS.

Ordinis Vice-Protector, & Protector inſtituitur, *fol.* 28. *col.* 2.
Contentio amoris deſuper enata, blandè ſuppreſſa *in Not. fol.* 29.

JULIUS ANTONIUS S. R. E. CARD. S. SEVERINÆ VOCATUS.

Capituli Generalis Præſes deputatur, *fol.* 35. *col.* 2.
Tenero Ordinem amore proſequitur, *in Not. fol.* 44.

L

Laici

Clericis ubique, & ſemper locum cedere debent, *fol.* 56. *col.* 1.
Et quamvis ex indulto Urbani PP. VIII. Clericos Novitios præcedere poſſent, *fol.* 81. *col.* 1.
Nihilominus, quod uſui Provinciarum hoc non obſtet, decernitur, *in Not. fol.* 56.
Iis non niſi expleto Septennio concurſus ad electiones permittitur, *fol.* 95. *col.* 1.
Cui derogatur, &, ut poſt quadriennium concurrant, conceditur, *fol.* 102. *col.* 2.

FR. LAURENTIUS A' BRUNDUSIO

Ex-Generalis, Verbum Dei ubique per Germaniam prædicandi, Apoſtolica facultate munitur, *fol.* 51. *col.* 1.
Ituro in Hungariam ad Exercitum Cæſareum, varia privilegia communicantur, *fol.* 52. *col.* 1., *&* *fol.* 58. *col.* 1.
Cauſam Beatificationis, & Canonizationis Ejus reaſſumendi commiſſio approbatur, *fol.* 193. *col.* 1.

Libros

Quinterna, folia &c. ex Bibliothecis extrahere limitatè prohibetur, *fol.* 96. *col.* 2., *&* *fol.* 106. *col.* 2.
Libri inutiles cum licentia dantium, vel hæredum per Syndicos in utiles permutari, *fol.* 97. *col.* 1.
Et ſuperflui ad Conventus, iis carentes mitti poſſunt, *fol.* 103. *col.* 2., *&* *fol.* 167. *col.* 1.
Extra ordinem commodari non debent, *fol.* 107. *col.* 1.

LUDOVICUS S.R.E. CARDINALIS LUDOVISIUS

Ordinis Protector renuntiatur, *fol.* 70. *col.* 1.
Converſatur cum Fratribus familiariter, *ibi col.* 2.

FR. LUDOVICI A' FOROSEMPRONIO

Ab Ordine dimiſſio ratihabetur, *fol.* 21. *col.* 1.
Cauſæ casûs *ibi in Nota*.
In ſerie PP. Vicariorum Generalium collocandus videtur, *in Not. fol.* 22.

FR. LUDOVICUS FRANCISCUS DE MORNAY

Provinciæ Pariſienſis, Epiſcopus Eumenienſis & Coadjutor Eccleſiæ Quebecenſis creatur, *fol.* 153. *col.* 1.
Splendor generis, & humilitas vitæ in eo ſociantur, *ibi in Not.*

M

MARIA DEIPARA

Sub myſterio Sanctiſſimæ, & Immaculatæ Conceptionis Principalis Patrona, & Protectrix Ordinis eligitur, *fol.* 150., *&* 151.
Ac Feſtum ejus ſub ritu primæ claſſis ab Ordine celebrari conceditur, *ibi*.

FR. MARII

A Foro Sarzinio Vicarii Generalis Virtus laudatur, *in Not. fol.* 34.

FR. MATHÆO

A' Baſſio, extra Ordinem PP. Obſervantium, in locis ſolitariis vivendi facultas datur, *fol.* 1.
Primus, & primarius Reformationis Auctor, cujus Vita, & Mors breviter deſcribuntur, *in Not. fol.* 2.

Matutinum

Per Octavam Corporis Chriſti Veſpere cantatur, *fol.* 177. *col.* 1.

Vide *Indulgentiæ*

FR. MICHEAL ANGELUS

A' Raguſa Miniſter Generalis, 34. Provincias eximio fructu viſitat, *in Not. fol.* 152.

PP. Minimi

Non poſſunt â Nobis recipi, nec Noſtrates recipere, *fol.* 31. & 32.

Miniſter Generalis

Socium ex Natione Gallica habere debet, *fol.* 61. *col.* 2.
Olim graviora negotia in Viſitatione abſque Capitulo non decidebat, *ibi*.
Cui derogatur, &, ut Auctoritas ejus in utroque foro integra conſiſtat, vivæ vocis Oraculo decernitur, *fol.* 64. *col.* 2.
Ac Brevi Apoſtolico confirmatur, *fol.* 93. *col.* 1.
Ejus Officium ad Sexennium protrahitur, *fol.* 61. *col.* 2.
Et tandem ad Septennium, *fol.* 112. *col.* 2.
Eligit Guardianos in actu celebrationis Capitulorum, *fol.* 89. *col.* 1. & 179. *col.* 1.
Item inſtituit Provincialem, & duos Diffinitores ſine concurſu Capituli, *fol.* 92. *col.* 1. & 178. *col.* 1.
Ei defuncto primus Diffinitor Generalis, & ita ſucceſſivè &c. ſuccedit, *fol.* 90. *col.* 1.

Vide *Diffinitor Generalis*.

Miniſtrorum, & Vicariorum Generalium

Seriem vide, *fol.* 223. & 224.

Miniſter Provincialis

Illius Provinciæ, in qua P. Miniſter Generalis moritur, intimat mortem P. Procuratori Generali, *fol.* 91. *col.* 1.
Et Sigilla, ac Scripturas relictas P. Diffinitori Generali, quem Vicarium Generalem eſſe contingit, mittere debet, *ibi*.

Miſſæ

Quæ pro Summis Pontificibus, Cardinalibus Protectoribus, Principibus &c. ac Superioribus Ordinis, & Provinciarum poſt eorum mortem legi ſolent, valent, ac ſi eſſent lectæ in Altari Privilegiato *fol.* 209. *col.* 1.

Miſſiones

Ubi faciunt Fratres, Fideles lucrantur Indulgentias plenarias, *fol.* 126. *col.* 2. & *fol.* 137. *col.* 1.
Applicandas per modum Suffragii Defunctis, *fol.* 136. *col.* 1. & 203. *col.* 1.

Miſſionum

Seu Hoſpitiorum Eccleſiæ, & Oratoria publica gaudent Indulgentiis generaliter Ordini conceſſis, *fol.* 191. *col.* 1.

Monialium

Curam ne Fratres ſuſcipiant, ordinatur, *fol.* 60. & 61. *col.* 1.
Indulgentias, quas Moniales lucrantur, vide in Tabula, *fol.* 230. & 231. & in ipſis Brevibus.
Infirmæ lucrantur eas in Sacello valetudinarii, ac in Cellis *fol.* 170. *col.* 2.

Monitorium, & Mandatum Executivum

Relaxatum ab Auditore Cameræ, contra portantes Habitum noſtrum, aut ei conſimilem, *fol.* 38. & 68.
Aliud contra eos, qui D. Antonium Patavinum in noſtri Ordinis Habitu pingi, vel ſculpi &c. non poſſe, prætendunt, *fol.* 116.

N

Negotia

Graviora, quæ Diffinitorio Generali, Romæ jam reſidenti, decidenda incumbunt, ſpecificantur, *fol.* 121. *col.* 1.

NICO-

NICOLAUS S.R.E. CARD. ACCIAJOLUS

Ordinis Protectionem ſuſcipit, *fol.* 128.
Quam ad 42. annos cum ſingulariſſimo amore, & Zelo proſequitur, *in Not. fol.* 129.

Novitii

Ad Ordinem recipi poſſunt quocunque anni tempore, *fol.* 43. *col.* 2.
(*Quamvis jàm aliter, ſaltem quoad Italiam, cautum ſit, vt ſuo loco videbitur*)
Ac ante Habitûs ſuſceptionem abſolvi â quibuſque caſibus, *fol.* 47. *col.* 2.
Debent in primo quadriennio ſuis Magiſtris confiteri, *fol.* 81. *col.* 1.
Dandi tamen iis ſunt quinque, vel ſex vicibus per annum Confeſſarii extraordinarii, *ibi*.
Novitii Clerici ad Habitum recipiendi ita communiter debent annos 17. habere completos, *fol.* 146. *col.* 1.
Ut tamen in caſu particulari cum iis diſpenſari poſſit, *ibi*.

O

PP. OBSERVANTES

Capucinos recipere, & ab his recipi prohibentur, *fol.* 24. 25. 42, *& aliàs*.
Strictioris Obſervantiæ, in Italia calopodia reaſſumere debebant, *fol.* 71. *col.* 1.
Eorum Miniſtro Generali titulus *Miniſter Generalis totius Ordinis FF. Minorum* adjudicatur, *in Not. fol.* 163.
Quin tamen Ei exinde juriſdictio quædam in PP. Conventuales, & Capucinos competat, *ibi*.
Vide *Capucini*.

Officium S. Inquiſitionis.

In cauſis ad hoc ſpectantibus, ut P. Miniſtri Provinciales Ultramontani contra ſuos Subditos reos procedant, facultas ſub certis clauſulis conceditur, *fol.* 73. *col.* 2.
Cujus uſus novo adminiculo, & longiore Nota ſuffulcitur, *ibi*.
Sub prætextu deponendi coram S. Officio Fratres almam Urbem accedere non audent *fol.* 129. *col.* 1.

Officia

Propria, ac Miſſas de Sanctis Ordinis dicendi facultas datur, ita tamen, ut Miſſæ Miſſali Romano non inſerantur, *fol.* 33. *col.* 1.

Oracula

Vivæ vocis, res Ordinis concernentia, â ſe non revocata eſſe, declarat Gregorius PP. XV., *fol.* 69. *col.* 2.

Orationis

Quadraginta horarum origo, propago, & finis, *in Not. fol.* 54., *&* 55.
Inſtituitur in Eccleſiis Provinciarum Ultramontanarum cum Indulgentia plenaria, & ſpeciali facultate abſolvendi, Confeſſariis noſtris tribui ſolita, *fol.* 54. *col.* 1.
Ubi & noctis tempore eam interpolari conceditur, *fol.* 134. *col.* 1.
Ac contra novam contradictionem facultates abſolvendi, ab Alexandro PP. VII. prius reſtrictæ. *fol.* 109. *col.* 1.
Confirmantur, *fol.* 159. *col* 1. *& in Not.* 160.
Inſtituitur (licèt abſque dicta facultate abſolvendi) etiam in Eccleſiis, in quibus Fratres per Quadrageſimam concionantur, *in Not. fol.* 55., *& fol.* 63. *col.* 1.
Et Indulgentiis, quas hac occaſione Fideles lucrantur, ſupperadduntur aliæ partiales, *fol.* 98. *col.* 1. *&* 210. *col.* 1.

Ordo

Apoſtolica auctoritate, & ſub præſcriptâ vivendi norma erigitur, *fol.* 3. *col.* 1.
Et confirmatur, *fol.* 17. *col.* 1. *& fol.* 25. *col.* 1.
Vide *Capucini*, *Privilegia*.

Ordines Sacros

Recipiunt Regulares, quin eorum nomina in Eccleſia debeant proponi, *in Not. fol.* 11.
Biennale Theologiæ Studium in ordinandis non requiritur, *ibi*.
Ad illos Clerici Ordinis promoveri poſſunt *extempora*, *fol.* 7. *col.* 2. *& in Not. fol.* 10.
Non tamen abſque licentia Diœceſani. *ibi*.
Vide *Interſtitia*.

P

S. PALATII APOSTOLICI

Concionatorum Seriem, annoſque per quos Concionati ſunt, vide *fol.* 229.

Papæ

Vocabulum quid ſignificet, *in Iſag. fol.* XXIV.

Papa in creatione aliud ſibi aſſumit nomen, *in Iſag. fol.* VI.
Cui in Bullis adiicit titulum: *Servus Servorum Dei*, *in Iſag. fol.* VII.

FR. PETRUS MARIA A' LUCA

Procurator Generalis conſtituitur, *fol.* 158. *col.* 1.
Spiritu, & virtute præcellit, *in Not. fol.* 159.
Varioſque pro Ordine favores impetrat, *ibi*.

Prælati Domeſtici Papæ

Et Aſſiſtentes Solii Pontificii, Nobiles declarantur, *fol.* 217. *col.* 2.
Notarios, ac Auratæ Militiæ Equites creant, *ibi*.
Tenent Oratorium Domeſticum, *fol.* 217. *col.* 1.

Privilegia

Fratrum Minorum, & Camaldulenſium Ordini communicantur, *fol.* 3. *col.* 2.
Quæ ultima recenſentur, *foli* 5. *col.* 1.
Et omnia Ordinis privilegia generaliter confirmantur, *fol.* 47. *col.* 2.
Vide *Capucini*, *Ordo*, *& Ordines*.

Procurator Generalis

Ut eligatur à ſolis Diffinitoribus Generalibus, ſtatuitur, *fol.* 80. *col.* 1.
Quod abrogatur, *ibi in Nota*.
Ipſi olim utraque vox in Capitulis Generalibus competebat, *fol.* 31. *col.* 1.
Jam verò ad Generalatum non concurrit, *fol.* 113. *col.* 1.
Habitâ de morte P. Miniſtri Generalis notitiâ Capitulum Generale convocat, *fol.* 120. *col.* 1.

Procuratorum Generalium

Syllabum vide *fol.* 225, *&* 226.

Provinciam

Erigere, ſeu dividere ſine Apoſtolica Sedis licentia, prohibetur, *fol.* 99. *col.* 2.

D. PAULUS

An in Bullarum Sigillo dexteram, vel ſiniſtram partem occupet, diſcutitur, *in Iſagoge fol.* XIX.

R

FR. RAYNERII TUDERTINI

PRoceſſum *de non cultu* formandi facultas datur, *fol.* 97. *col.* 2.

PP. RECOLLECTI

In Gallia Capucium Rotundum, & Mozzettam largiorem portare jubentur, *fol.* 71. *col.* 2.

Recurſus

Extra Ordinem ſub cenſura prohibetur, *fol.* 123. *col.* 1.

Regulæ

Sex aſſignantur, per quas Bullæ veræ à falſis ſecernuntur, *in Iſagog. fol.* XXIV.

Romam

Abſque præſcripta licentia accedere, Fratribus inhibetur *fol.* 85. *col.* 1.
Etiam ſub prætextu deponendi coram S. Officio *fol.* 129. *col.* 1.

FR. RUPERTUS DE LAMBERG.

Provinciæ Tyrolenſis, Epiſcopus Aulonenſis, & Suffraganeus Eccleſiæ Paſſavienſis renuntiatur, *fol.* 142. *col.* 1.
Nobilitatem generis, genere virtutum in ſe reddit illuſtriorem *ibi in Not.*

S

Sacriſtias

INgredientes Mulieres, & eas non impedientes, pœnis violantium Clauſuram ſubiici decernitur, *fol.* 131. *col.* 2.
Vide plura deſuper Verb. *Clauſura*.

Sanctorum

Electio in Patronos varios exigit articulos, *in Not. fol.* 151.

Secretarii

PP. Miniſtri, & Procuratoris Generalium aliquando exemplaria Conſtitutionum, & Brevium Apoſtolicorum ſubſcribunt, *fol.* 176, *col.* 2.

VEN.

Sepulturam

Sæculares in noſtris Eccleſiis ſeligere poſſunt, *fol.* 82. *col.* 2.
Ubi & deciſio S. Rotæ ſubnectitur, *in Nota fol.* 82. 83. *&* 84.

VEN. DEI SERVO SERAPHINO AB ASCULO

Cultus publicus decernitur, *in Not. fol.* 194.
De validitate Proceſſuum Auctoritate Apoſtolica ſuper Ejus Virtutibus, & Miraculis confectorum conſtare declaratur, *ibi*.
Item conſtare de Virtutibus in gradu heroico, *fol.* 193. *col.* 1.
Miſſam, & Officium de Eo dici conceditur, *ibi*.

Sigillum

Bullarum communiùs eſt plumbeum, *in Iſag. fol.* XVIII.
Formam Sigilli Bullarum conſtituunt ex una parte Capita SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ex altera nomen Papæ, *fol.* XIX.
Vide *Bulla*.
Sigillum P. Procuratoris Generalis aliquando impreſſis Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Brevium Indulgentiarum exemplaribus in fidem apponitur, *fol.* 176. *col.* 2. *& In Not. fol.* 210.

T

Tertiarios

Ubique locorum recipiendi jus Ordini competere decernitur, *fol.* 63. *col.* 1.
Brevibus Apoſtolicis confirmatur, *fol.* 124. *col.* 2. *fol.* 144. *col.* 1. *& fol.* 174. *col.* 1.
Contradictiones refutantur, *in Not. fol.* 176. *&* 177.
Tertiarii à Nobis recepti gaudent omnibus Privilegiis, Tertio Ordini, à quocunque Miniſtro Generali Franciſcano dependenti per Apoſtolicam Sedem unquam conceſſis, *fol.* 176. *col.* 1.
Speciatim potiuntur per viam communicationis omnibus Indulgentiis, (præter alias) quibus fruuntur Confratres, & Conſorores Confraternitatis B. V. Mariæ de Monte Carmelo, *fol.* 205. *col.* 2.
Inſuper renovantes profeſſionem die XXIX. Nov. lucrantur Indulgentias plenarias, *fol.* 206. *col.* 2.

Teſtatorum

Voluntates, Fratres exequi poſſunt nominando vel eligendo ad ſubſidia Dotalia &c. *fol.* 188. *col.* 2. *& ſeq.*

FR. TIMOTHEUS A FLEXIA

Provinciæ Britanniæ Minoris Epiſcopus Beritenſis, & Coadiutor Eccleſiæ Patriarchalis Babiloniæ deputatur, *fol.* 155. *col.* 2.
Fungitur variis Officiis, & ad Regem Galliarum mittitur *in Nota ibi*.

Tituli

Varii eorum, ad quos Papa ſcribit, *in Iſag. fol.* VIII.

Tranſitus

Ad aliam Religionem Fratribus prohibetur, & quidem ad PP. Minimos, *fol.* 31. *col.* 2.
Ad PP. Ordinis B.V. Mariæ Redemptionis Captivorum, *fol.* 55. *col.* 1.
Ad laxiorem Ordinem abſque Apoſtolicæ Sedis licentia, *fol.* 79. *col.* 2.
Ad PP. Carthuſianos verò, aut aliam quamcunque Religionem abſque licentia P. Miniſtri Generalis ſcripta, *ibi*.
Ad PP. Ciſtercienſes Riformatos vulgò *de la Trappe*, *fol.* 141. *col.* 1.
Tranſeuntes ad PP. Obſervantes ſine S. Sedis licentia Apoſtatæ declarantur, *fol.* 105. *col.* 2.
Tranſeuntes verò cum debita licentia ad aliam Religionem, in Provincia, in qua Capucinam Profeſſionem emiſere, degere vetantur, *fol.* 111. *col.* 1. *& fol.* 139. *col.* 2.
Contravenientes, & Superiores in Provinciis hujuſmodi eos collocantes, vel retinentes, privatione utriuſque vocis puniuntur, *fol.* 141. *col.* 1.

Tribunal

S. Inquiſitionis vide *S. Officium Inquiſitionis*.

FR.

V

FR. VINCENTIUS BRAGADENUS

PRovinciæ Venetæ, ad Epiſcopatum Scardonenſem in Dalmatia promovetur, *fol.* 141. *col.* 2.
Claret genere, Religione, & Virtute, *in Not.* *fol.* 198.

Viridaria

Conventuum ingredientes &c. Clauſuram violantium pœnis ſubduntur, *fol.* 131. *col.* 2.
Vide *Clauſura*.

Vocalium

Abſentia in Capitulo Generali ſuppletur, *fol.* 93. *col.* 1.

Menda, & Errores, qui poſt typum in Exemplaribus correcti non ſunt, benevolus Lector ut de ſe corrigat, rogatur.

FINIS.

BX
3104
A2
1740
t.1

Catholic church
Bullarium

N... ...d in RBSC
MK/1978

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY